
NAZIONALE
B. Prov.
coll.
5
141
BIBLIOTECA
VITT. EM. III
NAPOLI


19382
BIBLIOTECA PROVINCIALE
Armadio
Palchetto
Num.° d' ordine



BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

Chez N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, Libr., rue de Seine, n° 10, F^gs St.-Germ.

DE BURE frères, Libraires du Roi et de la Bibliothèque du Roi, rue Serpente, n° 7.

P. DIDOT l'aîné, Impr. du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.

F. DIDOT, Imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

TREUTTEL et WURTZ, Libraires, rue de Bourbon, n° 17.

Aug. RENOUARD, Libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.

BOSSANGE père et fils, Libraires, rue de Tournon, n° 6 *bis*.

BRUNOT-LABBE, Libraire, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, Libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

Alexis EYMERY, Libraire, rue Mazarine, n° 30.

DONDEY-DUPRÉ, Imprim.-Libr., rue St.-Louis, n° 46, au Marais, et rue Neuve St.-Marc, n° 10.

VERDIÈRE, Libraire, quai des Augustins, n° 25.

N. PICHARD, Libraire, quai Conti, n° 5.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

CAII VELLEII

PATERCULI

QUÆ EXSTANT OMNIA OPERA

EXCUDEBAT C. L. F. PANCKOUCKE.

CAIUS VELLEIUS
PATERCULUS

QUALEM OMNI PARTE ILLUSTRATUM

PUBLICAVIT

DAVID RUHNKENIUS

CUI SELECTAS VARIORUM INTERPRETUM NOTAS

KRAUSII EXCURSUS

CUM DUOBUS LOCUPLETISSIMIS INDICIBUS
ET NOVIS ADNOTATIONIBUS SUBJUNXIT

N. E. LEMAIRE





PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXII

PRÆFATIO EDITORIS.

Quæ nostra fuerit circa Velleium adornandum opera, paucis lectorem moneamus necesse est. Dav. Ruhnkenii editionem quæ potissimum typis mandaretur, elegimus, 1° propter egregiam textus nusquam aut raro conjecturis adulterati fidem; 2° ob elegantem notarum parcimoniam, quæ legentes juvare, non fatigare possit; 3° ob incolumem post tot annos hujus commentarii famam, quod certissimum est veræ laudis indicium: unde Krausius ipse, summus Ruhnkenii admirator, tam certi ducis vestigia sequi se palam profitetur. Doctissimi etiam viri Fr. Ern. *Ruhkopf* et Godofr. *Seebode*, in corpore suo historicorum latinorum, integras ejusdem notas ad suarum calcem edendas putaverunt.

Quæ tamen in Ruhnkenio desiderari poterant, præsertim ad rerum et personarum notitiam pertinentia, ne quid in nostra editione deesset, quod in rem lectoris fieri posset, abunde supplevimus. Idcirco selegimus cum ex ipso Krausio aut recentioribus aliis, tum præsertim ex antiquioribus Paterculi interpretibus, qui omnes ad manum fuerant in editione Ruhnkeniana, copiosam notarum segetem. In iis vero, quæ excerpsimus, transcribendis, summa usi sumus fide ac diligentia. Unum admisimus quod lector in suam gratiam factum ignoscet. Nam quum interpretum alii multo plures Varronis æram; alii Catonis, binos annos singulis summis detrahentem; alii vero mediam sive fastorum æram sequerentur; gravis inde oriebatur molestia, quod passim

idem factum duobus aut etiam tribus diversis temporibus, ubi nullatenus dissentirent auctores, adscriberetur. Nos ad Varronianam, ut notissimam et nunc vulgatissimam rationem, calculos omnes interpretum redegimus, nisi quum æram ipsi suam, aut fastos capitolinos indicarent.

Præterea in fine fragmenta quæ Velleio quondam inscripta fuerunt edidimus; Krausianas omnes lectiones a Ruhnkenii textu diversas; Krausianum etiam indicem omnium locupletissimum, demptis tantummodo iis quæ nullius pretii visa sunt.

Quod primum inieramus de Dodwelli Velleianis annalibus edendis, re accuratius perpensa, consilium mutavimus. Nam plena quidem doctrina et acumine dissertatio, longa tamen videbatur, et stylo plumbeo nulloque ordine scripta, nec gravissimis etiam carere erroribus qui a J. Massono, in Nov. lit. t. XI (si Ruhnkenio fides, nos enim locum designatum non invenimus) a Burmanno autem et ipso Ruhnkenio in notis, merito exagitati essent. Novam igitur Velleii vitam exhibendam rati sumus, ubi nihil veri aut probabilis omitteretur, nihil manifesto falsi occurreret. Huic etiam subjunximus Krausii de Velleiani operis indole, ejusque editionibus, accuratam commentationem, non eam tamen quæ in majori, sed quæ in minori editione reperitur; nam altera mole sua fatiscere nobis visa est. Et quod in alia editione frustra quæras, totius operis argumentum, vel potius ἀνάλυσιν ad certas temporum rationes exactam, adjuvante Krausianæ editionis marginali chronologia, composuimus: quibus nostris laboribus, etsi modicum, aliquid tamen de Velleio bene meriti dicemur.

N. E. Lemaire.

PRÆFATIO
DAVIDIS RUHNKENII.

ÆQUO LECTORI
SALUTEM.

Quod a veterum scriptorum editoribus, qui criticam rationem sequantur, jure postulatur, ut in præfatione accuratam codicum et editionum, quarum in lectionum judicio sit auctoritas, historiam contexant, id nobis in summa faciendi voluntate facere non licet. Est enim unus tantum hujus scriptoris codex, una, quæ auctoritatem habeat, editio. Unicus ille, et ne integer quidem MStus, qui Velleium conservavit, sub renascentium literarum tempus, in cœnobio murbacensi repertus est; ex quo summa diligentia et pari fide per Beatum Rhenanum, felicem bonis libris proferendis virum, expressa editio prodiit Basileæ apud Jo. Frobenium 1520 fol. De codice ita scribit Rhenanus: « Non satis erat, vetustatem utilissimum opus initio suo truncasse, nisi fine etiam suo mutilaretur: ut nihil dicam de vitiis, quibus in medio fœdissime deformatum est. .... Meus codex et unicus erat, et mendosissimus. Ausim jurare, eum, qui illum descripserat, ne verbum quidem intellexisse: adeo omnia erant confusa absque ullis punctis aut distinctionibus, etc. » In tanta igitur mendorum multitudine quum facile aliquid Rhenani, quamvis in membranis legendis exer-

citatos, oculos fefellisset, Jo. Albertus Burerius recentem a prelo Velleium iterum ad eumdem codicem, qui adhuc penes Frobenium esset, exegit, et discrepantes lectiones, quas enotasset, Rhenani editioni subjecit, tanta religione hac in re versatus, ut singulas syllabas minuta et anxia diligentia ad calculos vocaret. Quo magis miror, quid in mentem venerit Grutero ad Vell. II, 49 et 68, fraudis nescio cujus suspicionem jacere; quamquam reperti sunt, qui hujus judicii levitatem temere sequerentur, Burmannus ad Vell. II, 22, et in præf. et Fabricius in Bibl. Lat. t. II, p. 18. Equidem sæpe optavi, ut mihi codicis iterum inspiciendi facultas contingeret, non quod me multa, quæ Rhenani et Burerii diligentiam fugissent, inventurum sperabam, sed quo certius hominum de literis bene meritorum fides confirmaretur. Quin etiam amicis quibusdam Alsatis negotium dedi, ut, si codex murbacensis adhuc superesset, studiose inquirerent. Sed nullum inventum esse nuntiarunt, sive jam olim mala manu ablatus sit, quoniam nec Montfauconius, codices murbacenses recensens, Bibl. Bibliothec. t. II, p. 1175, ullam ejus mentionem fecit, sive nuper admodum perierit in monachorum ex sede murbacensi in Gebenwilarensem migratione, de qua videndus Gerbertus Itin. Alemann. p. 366. Nec alius dum præter hunc MStus repertus est, nisi quod Labbeus Bibl. Nov. MSS. p. 167, ex nescio qua bibliotheca memorat *Velleii Paterculi librum priorem integrum*. Cujus rei fides sit penes auctorem. Sic murbacensi codice oculis nostris subtracto, relinquebatur, ut Rhenani et Burerii non dubia fide staremus. Quorum etiam notas, singulis paginis veteris scripturæ testimonium exhibentes, sub textum revocavimus, aliorum interpretum annotationibus ad libri calcem rejectis. Hactenus de editione Rhenani, non solum principe reliquarum omnium, sed una etiam propter fidem et integritatem digna, cui nomen editionis tribuatur. Quum autem in hac editione innumerabiles loci, qui correctione indigerent, superessent, ut quisque mox ad Velleium edendum accessit, ita ejus textum pro captu suo vel meliorem fecit, vel corrupit. Quorum editiones, etsi nullum suffragii jus habentes, tamen idcirco inspiciendæ sunt, ut, quid quisque correctorum Velleio vel profuerit, vel obfuerit, cognoscatur. Primus, quantum indagare potuimus, in Velleio aliquid mutare instituit Junta, a nemine superiorum interpretum adhibitus, cujus cura Velleius accessit Justino et Nepoti, Florentiæ, 1525, 8. Huic successit Michael Vascosanus, Velleium addens Appiani Alexandrini versioni

latinæ, Paris. 1538, fol. cujus item nulla ratio habita est ab interpretibus Velleii. Horum conjecturas diligenter commemoravimus, sicut alii ante nos fecerant in Bonhommæo et Gryphio, qui et ipsi nonnihil in Velleio novarunt. Sed hi omnes priscam lectionem parce et modeste tentarunt. Mox exortus est, qui tot ac tantis primæ editionis salebris offensus, insigni temeritate, prope novum et a Rhenaniano diversum Velleium protruderet, ac nihil moratus corruptæ lectionis vestigia, id, quod ab omnibus intelligi posset, dandum existimaret. Quæ Velleii editio subjecta est scriptoribus Historiæ Augustæ, ante Erasmi cura editis, et mox repetitis Basileæ, apud Frobenium, a. 1546, fol. non a. 1542, ut bis per errorem scribit G. Vossius ad Vell. II, 3 et 75, Burmanno caussam præbens editionis, quæ nulla esset, quærendæ. Titulus hic est : « Vitæ Cæsarum, quarum scriptores hi, C. Suetonius Tranquillus, Ælius Spartianus, etc. Annotationes D. Erasmi Rot. et Bapt. Egnatii in vitas Cæs. Accesserunt in hac editione Velleii Paterculi libri II, ab innumeris denuo vendicati erroribus. Basileæ apud Froben. 1546. » Quem titulum per festinationem legentes Vossius et Burmannus, quod de scriptoribus H. A. ab Erasmo castigatis dicitur, etiam ad Velleium, qui post accessit, traxerunt. Enimvero Erasmum ignoret oportet, qui talem ei recensionem tribuat. Quis enim minus conjectandi libidini indulsit, aut quis antiqua monimenta tractavit religiosius? Puteanus ad II, 25, inter Velleii corruptores nominat Heleanum quemdam, mihi incognitum : « quod depravavit Heleanus, sive quisquis alius posterioribus editionibus manum admovit. » Sed quicunque Basileensi illi editioni præfuit, fatearis necesse est, acutum et perdoctum hominem fuisse, in quo nihil, nisi effrenatam, de qua diximus, audaciam reprehendas. Quum igitur hæc editio, si minus Velleii manum, at certe quod intelligi posset, exhiberet, quis miretur, eam a doctis indoctisque cupide arreptam esse, Rhenanianam autem, tot ulceribus scatentem, prorsus neglectam? Immo, quod magis mirere, sequentes Velleii editores, etiam qui critici dici haberique vellent, hanc adulterinam præ sincera Rhenani expresserunt. Jactat quidem Burmannus, se Velleium ad primam Rhenani editionem exegisse; sed res non apparet. Ipse quoque Basileensem interpolationem plerisque locis secutus est, satis habens, primæ editionis lectiones, quæ in textu poni debebant, in notis commemorasse. Quo magis necessarium duxi, verum et germanum Velleium, qualis in Rhenani editione prodiit, tandem aliquando reducere. Quamquam vereor,

ne mihi interdum irascantur artis criticæ expertes, qui Velleii textum multis locis mendosiorem, quam erat in Burmanniana et aliis editionibus, dederim. Sed sic facere editorem conveniebat, qui non hominum eruditorum somnia dare vellet, sed prima editione, quæ ad unius codicis exemplum formata esset, per omnia sequenda, summam lectionis veritatem quærere statuisset. Ne orthographiam quidem, quamvis sæpe vitiosam, mutare ausus sum, recte, ut opinor, judicans, in scriptore, qui ex uno tantum codice prodiisset, nullam religionem posse nimiam videri. Nec tamen ita me primæ editioni quasi in servitutem addixi, ut emendationibus sive aliorum, sive meis, tam liquidis et certis, ut qui dubitet, stuporis notam subeat, locum in textu denegarem. Tum autem diligenter vetus lectio indicata est, ut, qui novam minus probet, ingenio suo fruatur. Quoniam vero de Junta, Vascosano, et editore Basileensi dicere incepimus, non alienum videtur, de reliquis etiam, qui in Velleio recensendo elaborarint, judicium nostrum interponere. In his alii nullum fere operæ pretium fecerunt, ut Schegkius, Popma, Gruterus, Bœclerus. Quorum postremum, si mei res arbitrii fuisset, hac editione prorsus exclusissem, quod dudum explosa est a viris doctis, inprimis a Cl. Ernesto in pulcherrima præfatione ad Tacitum p. 49, eorum stultitia, qui historicos politica ratione interpretentur. Alii de Velleio præclare meriti sunt, ut Acidalius, Puteanus, Lipsius, Vossius, Heinsius. Acidalianum nomen gravi invidia laborat, præsertim apud eos, qui nihil in veterum libris emendandis ingenio, omnia MStorum auctoritati, tribui velint. Neque ego negaverim, Acidalium, juventutis æstu ablatum, multa in notis ad Velleium, quorum ipsum postea pœnituerit, effudisse. Sed idem tot tam desperata Velleii vulnera tanta felicitate sanavit, ut facile appareat, eum, si ad maturitatem pervenire potuisset, majorem reprehensoribus suis criticum futurum fuisse. Puteano, cultissimi ingenii viro, quicquid bonæ frugis Aldus Nepos attulit, sublectum esse, Aldi ignavia credibile facit. Sed ut iste ab avita paternaque virtute descivit, ita Gerardus Vossius se dignissimum tanto patre filium in Velleio edendo præstitit. Omnium tamen Velleii interpretum longe longeque principem pono Justum Lipsium, cujus miram sagacitatem in vitiis odorandis, et parem solertiam in iisdem tollendis, non dubitem critices studiosis, tamquam præclarum hujus artis exemplum, commendare. Nec Heinsii in præf. judicium discrepat a meo: « Lipsius tot conjecturis pulcherrimis Paterculum emaculavit, ut, quum ubique sit in scriptis

felix ac præstabilis, hic tamen semet videri possit post se reliquisse.» At Burmannus hunc principatum Heinsio detulit. In quo judicio plus, quam deberet, Heinsiani nominis favor, et Lipsiani odium, valuit. Nos æqui simus, et suam cuique laudem tribuamus. Fuit Heinsius omnium, qui fuerunt, et erunt posthac, in poetis latinis tractandis felicissimus; sed hæc tantopere celebrata felicitas illum destituit in prosæ orationis scriptoribus, Velleio, Petronio, Curtio, Tacito, aliis; ac, si dicendum, quod res est, discrimen inter sermonem prosaicum et poeticum non satis videtur tenuisse. Qui enim in accurata ejus rei scientia fieri potuisset, ut tot formas poeticas Velleio, et aliis, quos nominavi, scriptoribus obtruderet? Longius a Lipsii laude abest ultimus omnium Velleii editor, Petrus Burmannus, præsertim in eo scriptore recensendo, in quo, propter crebras corruptelas, res omnis ad acumen criticum, quo illum minus valuisse scimus, rediret. Sed quid quisque boni ad Velleium contulerit, perspicue apparebit ex notis nostris, ubi veras singulorum emendationes commemoravimus, falsas, quas refutare longum et molestum erat, silentio nostro condemnavimus. Hactenus de Velleii editoribus, et nostræ editionis ratione: sequitur, ut de ipso Velleio aliquid dicamus. Prænomen Velleii incertum fecit Rhenanus, in titulo libri *P.* in ipso libro *C.* edens; sed *C.* a Rhenano in codice inventum arbitror, propterea quod, si *P.* reperisset Burerius, id pro diligentiạ sua non videtur prætermissurus fuisse. Rhenanus autem in titulo *P.* edidit, non codicem, sed Tacitum Ann. III, 39, secutus. Ego *C.* præferam, commune cum avo prænomen, quod non minus facile apud Tacitum in *P.* abire potuit, quam in *M.* apud Priscian. VI, p. 706. Nec dubitem assentiri Rhenano in Vita Vell. et Lipsio, P. Velleium, legatum exercitus in Thracia, cujus Tacitus l. c. mentionem facit, eumdem statuentibus C. Velleio, historiæ scriptori. Profecto qui familiæ suæ dignitatem ostentaturus, in tali compendii brevitate locum invenit tritavi, atavi, avi, patris, patrui, fratris, laudandi, quomodo cognatum alium, præsertim exercitus ducem, si ullus tum præter se et fratrem fuisset, silentio præteriisset? Quod autem Ryckius, eumque secutus Cl. Ernestus objiciunt, nihil de expeditione, quam Tacitus Velleio tribuit, in ejus historia reperiri, facilis ac prompta responsio est, ejus rei narrationem justo historiæ operi, quod toties promittit, servatam esse. Majoris momenti est quærere, quid tandem Velleium impulerit, ut, quum in priore historiæ parte tot liberi spiritus documenta dedisset, in posteriore se ad humilem et

servilem Tiberii adulationem demitteret? Utrum id gratiæ captandæ caussa fecerit, an metu diri tyranni subactus? Heinsius in epistola ad Casp. Fagelium, et Perizonius Anim. Hist. cap. 6, p. 211, sibi persuaserunt, Velleium hoc opusculum non alia de caussa scripsisse, nisi ut Tiberii, Sejani, et aliorum hominum primariorum gratiam aucuparetur. Verum quis credat, Velleium tam stultum fuisse, ut, quum ad Tiberii amicitiam arrepere constituisset, id non compendiaria via faceret, libello, ut hoc utar, de rebus gestis Tiberii scribendo, sed antequam ad Tiberii laudes perveniret, per mille ambages infinita seculorum spatia pervagaretur? Addit Heinsius, eumdem non alio consilio res romanas à trojano excidio et erroribus Æneæ, qui Juliæ nobilitatis auctor fuisset, ad tempora sua deduxisse, nisi ut apud Tiberium, qui adoptione in gentem Juliam transisset, gratiosus fieret. Sed hoc est fingere, non demonstrare. Nos, unde Velleius historiam orsus sit, nescimus, initio primi libri intercepto; atqui, si Trojanorum errores memoravit, id fecit eo consilio, quo Græcorum errores attigit, ut civitatum ab illis conditarum primordia demonstraret. Levior est Barthii ratio, nec digna, quæ refellatur, cui Advers. LX, 6, Velleius *tantum præconem romani nominis agere* videtur, *ut eo solo fine scripsisse videri possit*. Si igitur hæc adulatio a nullo gratiæ profecta est aucupio, relinquitur, ut sævi et suspicacis domini metu sit expressa. A qua necessitate adulandi caussas Tacitus etiam repetit Ann. I, 1, forte Velleium respiciens: « Tiberii, Caiique, et Claudii, ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ. » Dicat aliquis cum Lipsio Epist. Quæst. V, 11: « Vera scribere si non licuit, falsa non debuit; nemo silentii caussam reddit. » At sic Velleio in otio inertissimo consenescendum fuisset; qualis vita magnis et gloriæ cupiditate incensis ingeniis mors est; neque historia romana attingenda. Et quis tam hospes est in Cæsarum historia, quin sciat, ipsum silentium probis doctisque viris crimini fuisse? Hæc tam misera scriptorum sub tyrannis conditio facit, ut si minus excusandum, certe lenius accusandum, Velleium arbitrer, præsertim quum ejusdem culpæ socios habeat, ne de poetis dicam, Valerium Maximum, Senecam, Curtium, utrumque Plinium, Quintilianum, et alios. Atque hanc sententiam, præter R. Bentleium ad Lucan. I, 33, maturiore ætate idem, qui juvenis alia omnia senserat, Perizonius in Curtio vind. p. 5, probavit. Alii alia in Velleio reprehendunt, majore cum iniquitate. Mitto Aldum Nepotem, hominem nullo in his literis sensu

præditum, qui ad II, 52, Velleium non optimum latinitatis auctorem vocat. Barthio occurrendum est, qui Advers. XVI, 7, et ad Stat. II Achill. 146, orationis elegantiam Velleio facile concedens, tamen sibi in eo castrense dicendi genus visus est reperisse: quam Barthii reprehensionem suam fecit Daumius de Amiss. Radic. L. L. p. 475. Quis non atrum verborum et locutionum castrensium indicem, quo talis accusatio confirmaretur, exspectasset? At illi ridicule defunguntur duobus exemplis verborum *præscribere* et *prædicere*, pro supra dicere, quorum prius a mala manu Velleio insertum docuimus ad II, 21, posterius Trogi Pompeii, Columellæ, et aliorum auctoritate defendimus. Non minus falsum est, quod Burmannus dicit, Velleii dictionem multum e munditia Augustei ævi descivisse. Id non melius refelli a nobis potuit, quam locutione quaque, de qua talis dubitatio nasci posset, optimorum scriptorum exemplis confirmanda. Alia igitur Velleii vituperatores reprehendant, si volunt, aut possunt: venustum et exquisitum loquendi genus carpere supersedeant, nisi veteris elegantiæ inscitiam prodere velint. Rectissime idoneus, si quis alius, hujus rei arbiter, M. A. Muretus ad Cicer. Catil. III, 10, ait, « historiam a Velleio terse inprimis atque eleganter explicatam esse. » Ne tamen Velleium simpliciter et sine exceptione laudemus, ultro fatemur, perinde nobis, ac Burmanno, aliisque multis, nimis frequentatum videri istud acutarum festivarumque sententiarum aucupium, quod in prosam orationem primus invexit Trogus Pompeius, in ligatam Ovidius. Certe plus laudis ab intelligente posteritate tulisset, si hac quoque parte imitatus esset Sallustium suum. Hunc enim unum sibi imitatione effingendum sumpsit, ab hoc illud artificium indolis humanæ describendæ didicit, hujus æmulatione efficax est et brevitate nervosus, ab hoc denique totus ita pendet cum in verbis, tum in orationis structura, ut magnopere mirandum sit, rem tam manifestam viros eruditos fefellisse. Hac imitatione semel animadversa, quo studio nos ad Velleium, eodem ad Sallustium cognoscendum dedimus. Ac profecto, si forte aliis felicius in Velleio corrigendo versati videmur: quamquam nobis non tantum sumimus, ut Lipsii felicitatem nos assecutos putemus: verumtamen si Velleius cura nostra castigatior prodit, illud non tam qualicumque ingenio nostro tribuendum est, quam summæ familiaritati cum Sallustio contractæ, et perpetuæ utriusque scriptoris comparationi. Hic aliquis quærat, quid sit, quare et Velleius et cæteri historiarum scriptores, deserto eloquentissimo Livio, sese certatim ad

Sallustium imitandum contulerint? Sallustianus fuit, teste Seneca Ep. 114, Arruntius, belli punici scriptor, qui dudum periit: Sallustiani, qui supersunt, Tacitus, Septimius, Sulpicius Severus, Pseudo-Hegesippus. Nempe ab his omnibus, sicut a Martiali XIV, Ep. 191, habitus est,

Primus romana Crispus in historia;

Sed finem præfandi faciam, si id, quamvis leve, monuero, Velleii historiam, quæ adhuc ab uno inter veteres Prisciano VI, p. 706, laudata existimatur, etiam a scholiaste Lucani ad IX, 178, laudari. Vale.

DISSERTATIO
EDITORIS
DE C. VELLEIO PATERCULO.

Anno fere MDXV, Beatus Rhenanus selestadiensis, vir gratæ apud doctos memoriæ, in monasterii murbacensis bibliotheca codicem ex omni parte erosum, sed initio præsertim fœde mutilatum reperit; cujus miseram conditionem ab ipso Rhenano descriptam exposuit in præfatione sua Ruhnkenius. At Krausius multo labore genera mendorum omnia, quibus libri reliquiæ scatebant, enumeranda curavit. Nobis sat erit dicere nihil abfuisse detrimenti, quo incuria simul et inscitia librariorum, temporisque et hominum injuria, librum afficere possit manuscriptum. Nec illo qualicumque monumento diu frui licuit: nam post emissam, anno MDXX, primariam editionem, nescio quomodo ex oculis hominum ipse codex evanuit, ut nemini contigerit quidquam postea de illo videre aut audire. Sed, tamquam præcaventibus fatis, J. Albertus Burerius cura et fide sua providerat, ne gravius desideraretur ista jactura viris antiquarum literarum studiosis. Is enim dum typis J. Frobenii basileensis mandaretur editio Rhenani, cum vetusto illam codice, *nec modo*, ut ipse ait, *versum versui, sed etiam syllabam syllabæ, et, quod alicui plus quam curiosum videatur, etiam literam literæ contulit, ne quid non ageretur in rem eruditorum*; eo factum est ut princeps editio, cum ob editoris notissimam fidem, tum ob diligentissimas et aliquando minutissimas Burerii annotationes, facile codicis amissi damnum supplere posset. Tales denique in doctorum manus devenerunt *C. Velleii Paterculi Historiæ Romanæ libri duo*.

Sed quisnam iste Velleius, de quo nulla fere apud antiquos mentio? Auctorem, ut ipsum opus demonstrat, Augusto ac Tiberio coævum, et quamvis longe a principibus, tamen non inter ultimos ejus ævi scriptores ponendum, nemo veterum criticorum laudat. Nam apud A. Gellium lib. XVIII, cap. 12, ubi de Cn. cujusdam Velleii, seu Vellii, annalibus agitur, Lipsius optime restituit Cn. Gellii nomen, qui circa punica bella floruerat, nec semel a Macrobio et ipso A. Gellio laudatus invenitur. Primus solusque omnium Priscianus fragmentum ex *M. Velleio Paterculo* citat, quod in nostris quidem non reperitur, fortasse vero lacuna haustus fuerit; nec magnopere scrupulum movet prænominis diversitas in eo scriptore, qui potuit Prisciano ipsi non admodum

esse familiaria. Hoc unum de Velleii fama nimis suorum incuriosa servavit antiquitas. Nam Lucani scholiastes recentioribus annotandus est, seculo fortasse duodecimo junior. Liquet tamen, ex Velleii loco (lib. II, cap. 40), ab ipso ad Lucan. IX, 178, transcripto, fuisse hoc tempore alia et a nostris multum diversa exemplaria. Etiam circa decimum seculum non ignotum fuisse Velleium, argumento est fragmentum sub ejus nomine confictum ab illius ævi fabulatoribus.

Quod magis auctori nostro gratulemur, videtur Lucano poetæ non semel fuisse ante oculos; et Sulpicius Severus, consuere solitus opera sua, tamquam centones, ex antiquiorum spoliis, Nostrum non modo imitatur passim, sed hic ibi transcribit, quod ex Ruhnkenii notis manifestum cuivis legenti fiet.

Sed hæc parum lucis afferrent, maneretque Velleius suis quasi tenebris involutus, nisi occurrisset ipse, veluti præscius, posterorum oblivioni, multaque de se ac domo sua publicarum rerum narrationi solerter inseruisset. Petenda igitur ex ipso nobis erit nostra fere omnis materies, ac primum tamquam in silva concidamus oportet ea, quæ ad ipsum aut ejus cognatos pertinentia proposito nostro maxime videntur conducere. Subjicimus ipsa auctoris verba, cum temporum notis ad æram Varronianam digestis.

Excerpta ex Velleio.

Titulus Operis: « C. Velleii Paterculi historiæ romanæ libri II. »

Lib. II, cap. 16: « Neque ego verecundia domestici sanguinis gloriæ quicquam, dum verum refero, gloriæ subtraham; quippe multum Minatii Magii, atavi mei, asculanensis, tribuendum est memoriæ: qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri, tantam hoc bello (italico) Romanis fidem præstitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cosamque occuparet (anno DCLXV). Cujus de virtutibus cum alii, tum maxime dilucideque Q. Hortensius in Annalibus suis retulit; cujus ille pietati plenam populus romanus gratiam reddidit, ipsum viritim civitate donando, duos filios ejus creando prætores, quum seni adhuc crearentur. » An. DCLXVI?

Lib. II, cap. 69: « Quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippæ subscripsit in C. Cassium. » Anno DCCXI.

Lib. II, cap. 76: « Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum; quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos CCCLX judices loco a Cn. Pompeio lectus (an. DCXCIX), ejusdem, Marcique Bruti, ac Ti. Neronis præfectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cujus ob singularem cum eo amicitiam, partium adjutor fuerat, gravis jam ætate et corpore, quum comes esse non posset, gladio se ipse transfixit. » Anno DCCXIV.

Lib. II, cap. 101: « Quod spectaculum stantis ex diverso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus,... sub initia stipendiorum meorum tribuno militum mihi visere contigit (anno DCCLIV). Quem militiæ gradum ante sub patre

tuo, M. Vinici, et P Silio auspicatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque, et omnibus ad orientem visis provinciis, et ore atque utroque maris Pontici latere, haud injucunda tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. »

Lib. II, cap. 104 : « Hoc tempus me, functum ante tribunatu, castrorum Ti. Cæsaris militem fecit : quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, cælestissimorum ejus operum, per annos continuos octo præfectus aut legatus spectator, pro captu mediocritatis meæ adjutor fui. Neque illi spectaculo quo fructus sum, simile conditio mortalis recipere videtur mihi, quum per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ provinciarum, etc. « Anno DCCLVII.

Lib. II, cap. 106 : « Pro Dii boni ! quanti voluminis opera insequenti æstate, sub duce Tiberio Cæsare gessimus ! perlustrata armis tota Germania est, etc. » Anno DCCLVIII.

Lib. II, cap. 107 : « Non tempero mihi, etc. Quum citeriorem ripam prædicti fluminis (Albis) castris occupassemus, etc. « Anno DCCLVIII.

Lib. II, cap. 111 : « Habuit in hoc quoque bello (pannonico) mediocritas nostra speciosi ministri [an *ministerii ?*] locum. Finita equestri militia, designatus quæstor, necdum senator, æquatus senatoribus, etiam designatis tribunis plebei, partem exercitus ab urbe, traditi ab Augusto, perduxi ad filium ejus (an. DCCLIX). In quæstura deinde, remissa sorte provinciæ, legatus ejusdem ad eumdem missus, quas nos primo anno acies hostium vidimus ? etc. « Anno DCCLX.

Lib. II, cap. 113 : « Ipse (Tiberius) asperrimæ hiemis initio regressus Sisciam, legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hibernis. » Anno DCCLX.

Lib. II, cap. 114 : « Per omne belli germanici pannonicique tempus, nemo e nobis, gradumve nostrum aut præcedentibus, aut sequentibus, imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non... sustentaretur Cæsaris cura.... Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum ; lectica ejus publicata, cujus (usum) cum alii, tum ego sensi. « Annis præcedentibus.

Lib. II, cap. 115 : « Cæsar ad alteram belli delmatici molem animum atque arma contulit, in qua regione quali adjutore legatoque fratre meo, Magio Celere Velleiano, usus sit, ipsius patrisque ejus prædicatione testatum est, et amplissimorum honorum, quibus triomphans eum Cæsar donavit, signat memoria.... Nihil in hoc tanto bello (delmatico), nihil in Germania aut videre majus, aut mirari magis potui, quam quod, etc. » Anno DCCLXII.

Lib. II, cap. 121 : « Omnes eminentissimos hostium duces non occisos fama narravit, sed vinctos triumphos (Tiberii de Pannoniibus et Delmatis) ostendit. Quem mihi fratrique meo inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit. » Anno DCCLXV.

Lib. II, cap. 124 : « Quo tempore (statim post Augusti mortem) mihi fratrique meo candidatis Cæsaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris

destinari prætoribus contigit, consecutis ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius. » Anno DCCLXVII.

Hi fere sunt loci, quibus inter se collatis, certi aliquid de Velleii origine et vita suboriri posse existimamus.

Jamprimum titulus operis certus est, sive illum codicis initio, sive quoniam primæ paginæ aberant, in summo chartarum reliquarum margine reperit Rhenanus: qui si, quacumque ratione inductus, de suo illum ingenio extudisset, nos sane optimus Burerius fecisset hujus audaciæ certiores: sed silentem pro confesso habemus. Et saltem *nominis cognominisque* fides in tuto est; nomen ex Lucani scholiaste, quisquis ille fuit, certo discimus: mirum enim si cum Rhenano sponte de conjectura falsa convenisset! Prisciani, de quo supra diximus, et ipsius pseudonymi fragmenti auctoritas eodem afferri potest. Cognomen non cum Prisciano solum, sed cum antiquis etiam lapidibus qui Velleios Paterculos nuncupant, mire congruit. De *prænomine* major est controversia. Rhenanus enim, quem in titulo C. Velleium, eum in indice suo P. Velleium vocat; sed conjectura videlicet, quod Nostrum ab illo Taciti P. Vellæo (de quo vide nos infra), separari posse non putaret; malletque unico suo codici, quam omnibus Taciti manuscriptis diffidere. Sed omnino aliter judicandum est, quum Tacitus in re parvi momenti facile errare potuerit; noster vero titulus ex ipso codice, immo, ut jam diximus, ex singulis ejus paginis desumptus, antiquam manum præferat. Itaque nimis caute videntur, et omnino timide egisse, quibus ad ambigendum Velleii prænomen tam inanis suspicio satis valuit.

Nunc quoniam de nominibus fere constat, de *origine* quatenus licebit, inquirendum. Antiqua sane et nobilis erat origo, quæ a principibus Campaniæ ducebatur, iisque virtute præstantissimis viris, præsertim Decio Magio, in cujus laudibus multus est T. Livius, Hist. l. XXIII: « Decius, inquit, Magius, vir cui « ad summam auctoritatem nihil præter sanam civium mentem defuit. » Ille, ne Capua deficeret a Romanis, obnixe restiterat, missumque ab Annibale præsidium aut ejici, aut altera, sed utili proditione interfici jusserat. Ipso forsitan magistro, Perolla cruentam viam didicerat sanciendi Annibalis nece romani fœderis. Solus obviam Annibali non processit, solus campanam libertatem in vinclis, in serva civitate, in hostilibus castris, inter ipsius mortis minas defendit. Vinctus denique Carthaginem missus est. Quum Cyrenas, quæ tunc Ægyptiorum erant, tempestate dejectus esset, liberatus a Ptolemæo Philopatore, optionem a rege habuit sive Romam, sive mallet in patriam redeundi, sed, « nec Capuam sibi tutam, dixit, et Romam eo tempore quo inter Romanos Campanosque bellum sit, transfugæ magis quam hospitis fore domicilium. Nusquam malle, quam in regno ejus vivere, quem vindicem atque auctorem habeat libertatis. » T. Liv. lib. XXIII, capp. 7, 8, 9.

Decii Magii filius non aliunde notus est quam quod illum verisimile est patrio adversus Pœnos odio imbutum a teneris fuisse. Is enim (nisi potius de fratre agitur apud Liv. l. II, cap. 7), dum tota trepidaret civitas ad excipiendum

visendumque Annibalem, in foro Capuæ cum patre clientibusque paucis, superbi otii particeps ambulabat.

Hujus filius, Decii nepos, fuit Minatius Magius, Velleii nostri *atavus*, qui fidissimam bello sociali Romanis operam navavit (narrat ipse Velleius II, 16); itaque viritim civitate donatus, duos quoque filios prætura vidit ornatos. Id sane fieri debuit post bellum profligatum, anno circiter DCLXVI. Ergo ambo filii tunc certe nonum et trigesimum annum egressi erant, quæ fuit ætas prætoribus imperata, et provecta jam patris senectus, saltem LXXX annorum fuit. Natum enim hunc esse oportet non paulo ante priora seculi finem: nam hujus ipsius pater, Decii Magii filius, vix minus octo annorum fuit, quum Capua desciscerct a Romanis, anno DXXXVIII, si quidem, ut modo diximus, patrem in hoc advenientium Pœnorum tumultu comitabatur. Sed forsitan, idque fateor magis placere, de alio natu majore Decii filio meminit Livius loco citato. Si enim junior tunc fuerit, aut nondum natus Minatii pater, tanto minus excrescet filii ætas, et bello italico gerendo erit aptior. Si Decius exsul, vel quod æque fieri potuit, afflictis punicis rebus in Italiam redux, filium alterum susceperit, anno circiter DLV, potuit Minatius Magius circa annum DC nasci: hinc minus septuaginta annos natus, prætores vidit filios nondum quinquagenarios; et jam senior ipse, quam ut honores ambiret, non tamen rebus gerendis prorsus inhabilis erat. Hinc etiam patet cur *asculanensis*, non *asculanus* dicatur; scilicet natalibus, non origine patriam habuit Asculum, campanis ortus parentibus. Decius enim, ne Capuam crudeli romanorum ultione vastatam, sibique infensas civium reliquias videret, Asculum fortasse cum familia commigraverat, unde Velleii nostri majoribus altera ducitur origo.

Minatii filios Asculo Romam evocavit P. R. munificentia. Ambo, ut diximus, post bellum italicum prætores facti, Magiæ gentis auctores fuerunt, quæ postea Romæ inclaruit. Horum alteruter videtur *abavus* Nostri fuisse.

Proavum vero suum ignorari Noster passus est; sane quod in illo nihil mentione dignum occurreret.

Avus vocatur C. Velleius: quod vix intelligas, nisi aut ipse aut majorum aliquis in Velleiam domum adoptione transierit. Nam quod quibusdam placet, Nostri maternum genus a Magiis, paternum a Velleiis repetere, nobis etsi possibile, tamen vix ferendum videtur. Siccine a Decio Magio quamdam ille majorum suorum seriem instituerit, quæ deinde non una, sed ex duabus diversissimis partibus composita reperiatur, haud minus ingrato legentibus errore, quam ridiculo gloriosi scriptoris artificio? Longe aliter sentimus, nec de adoptione quidquam nobis dubium. Fuit notissima Romæ Velleia gens, cujus plures familiæ, nec Paterculi modo, sed Blæsi, Rufi, Quarti, Urbani cognominibus insignes, cum ab antiquis auctoribus, tum etiam insculptis lapidibus exhibentur. Inter omnes unus maxime enituit C. Velleius senator, epicureæ doctrinæ apud Ciceronem, de Natura deorum, strenuus defensor; de quo etiam Cic. de Orat. III, 21. Amicus ille et familiaris L. Crassi oratoris circa annum U. c. DCL floruisse videtur; a quo inductos fuisse in Velleiam gentem Nostri majores (etiam tum asculanenses) haud crediderim: sed ab aliquo ejus

nepotum aliquis Nostri majorum sive avus, sive proavus, adoptari potuit.

Ecce autem radius affulget ex Cæsaris comment. bell. Civ. lib. I, cap. 24: « Reducitur ad eum (Cæsarem) deprehensus ex itinere Cn. Magius, Cremona, præfectus fabrum Cn. Pompeii; quem Cæsar ad eum remittit cum mandatis, etc. » Magii nomen, præfectura fabrum, tempus denique, a. U. c. DCCV, omnia in C. Velleium, avum Nostri, congruunt. Dicitur quidem Cn. Magius, Cremona; sed potuit ipse domicilio, sive natalibus cremonensis fuisse; ejus tamen familia ex hac urbe non esse oriunda. Si Cn. Magius ab aliquo Velleiorum adoptatus tantummodo sub initia belli civilis mutavit nomen cum familia, aut Cæsar per imprudentiam vetus nomen adoptato servavit, jam plana omnia sunt. Nepos aliquis Minatii Magii, nescio an rei familiaris augendæ caussa, Cremonæ sedem elegit. Ex eo genitus Cn. Magius, præfectus fabrum sub Pompeio, et inde sub Bruto ac Ti. Nerone meruit. Hunc Velleius noster avum sibi fuisse testatur, quem non modo clarissimum, sed etiam ditissimum fuisse ex eo patet quod a Pompeio inter judices lectus honoratissimo loco fuerit; qui tamen inter omnium ordinum viros amplissimo e censu lecti sunt: Cicer. ad Divin. VII, 2, ibique interpp. Item Ascon. ad Cicer. in Pison. 39. Itaque *vir nulli secundus* a nepote suo dicitur: vide quæ de præfectis fabrum ad nostrum Cæsarem loco supra laudato annotata sunt.

Hic singulari amicitia cum Ti. Nerone, imperatoris Tiberii patre, devinctus, ne in Cæsarianorum manus deveniret, anno DCCXIV ad Neapolim se occidit, « gravis jam ætate et corpore, ut Neronis fugam comitari non posset », quæ certe in hominem devexæ maturitatis cadunt; castra enim sequebatur; et τὸ *jam* vixdum inceptam innuit senectutem; *gravis* erat *corpore*, quo valetudinis vitio, plusquam ætate, fuit impeditus. Natus ergo ipse circa annum DCLX; ejus pater anno fere DCXL; avus, DCXX; proavus denique Minatius Magius, DC: quod eum nostris rationibus felicissime convenit, si Minatii filios quintum et quadragesimum annum egressos prætoris dignitas acceperit. Meras, dicet aliquis, conjecturas! Non tamen prorsus inanes; siquidem prope certis temporum metis usi sumus, ætate scilicet Minatii ejusque filiorum, quum ad præturam evehereutur, et C. Velleii, quum se interficeret; ita ut sex hominum ætates complexi, plusquam decem annis errare vix potuerimus; quod facile agnoscent, qui diversos a nostris calculos instituere conabuntur.

Plures aut duo sane fuerunt C. Velleio filii, unus Nostri pater, alter *patruus*, quem Capitonem nominat, et in C. Cassium, Cæsaris interfectorem, Agrippæ subscripsisse narrat. Potuit isti *Capitonis* cognomen quacumque de caussa imponi, quum in sumendis deponendisque cognominibus magna esset apud Romanos licentia: credimus tamen adoptatum hunc ab aliquo Capitone sibi cognomen istud cum patris adoptivi nomine adscivisse. Nec nostra est opinio, sed omnium fere interpretum. Qua semel admissa, nova oritur controversia, quis Nostri patruum adoptaverit. Capitonis enim cognomen multis gentibus commune, præsertim vero Ateiis et Fonteiis; hi ceteris notiores. Ergo inter Ateios et Fonteios præcipue ambigitur. Videtur Noster patrui sui titulos, si quos habuisset, non omissurus fuisse. « Capito, inquit, vir

ordinis senatorii.» Non igitur inter consules quærendus ille, quisquis fuit. Non C. Ateius Capito, qui suffectus dicitur anno U. c. DCCLIX; non C. Fonteius Capito, consul anno DCCLXV; uterque enim anno DCCXI vix puer erat, quum tamen Agrippæ in C. Cassium subscripsisse fertur. Lipsius suspicabatur Ateium Capitonem, de quo Tacitus multa, virum non minus adulatoria servitute, quam jurisprudentia celebrem; sed is, auctore eodem Tacito, anno DCCLXXV, vita excessit; prope secularis, siquidem anno DCCXI jam senator fuisset; quod ægre nobis persuademus de eo qui paucis ante mortem annis adhuc in senatu publicis rebus vacabat. Krausius vero huc accersit C. Ateium Capitonem, fortasse prioris patrem, quem Cicero commendat, Ep. ad div. XIII, 29, qui « semper (Jul.) Cæsarem coluit, atque dilexit. » Sed idem, tunc quum Cicero ad Plancum scriberet, anno DCCIX, certe quadragesimum annum attigerat, quoniam T. Antistius, quæstor Macedoniæ, atque ideo circiter annos triginta natus parentis loco eum colebat atque diligebat, ut ibidem videre est. Natus ergo ante annum U. c. DCLXX. Atqui suppar esse patri suo Nostri proavus non potuit. Discedendum igitur a Krausiana ratione.

Restat Bipontinorum opinio, quæ C. Fonteium Capitonem designat, ab Horatio, Sat. V, lib. I, 31, laudatum : « ... Capitoque simul Fonteius, ad unguem Factus homo, Antoni quo non magis alter amicus. » Is tunc anno U. c. DCCXIV, Antonii cum Augusto reconciliandi caussa, cum Mæcenate et Cocceio Brundisium convenit; eidem postea curam demandavit Antonius deducendæ ad se in Syriam reginæ Ægyptiorum, Cleopatræ, auctore Plutarcho in Anton. Nihil hic impedimenti video quominus assentiar. Si tamen, quod Glandorpio videtur, pater fuit ille Fonteii consulis, mirari potest aliquis quod apud Velleium consobrini consulis nulla fiat mentio. Sed Fonteius parum, ut infra dicemus, commendatione nominis sui cognatum hominem juvisset : nec semper aulici est omnes suos meminisse.

Hujus Capitonis frater, Nostri *pater*, multo etiam nobis minus innotuit, de quo ne suspicari quidem aliud licet, præter id quod ab ipso Velleio didicimus, fuisse illum præfectum equitum, successorem muneris sui filium habuisse. P. enim Velleium aut Vellæum, præsidem exercitus in Thracia, de quo Tacitus, Ann. III, 39, cum illo confundi vetat notissima Nostri ætas, qui tunc quadragesimum annum egressus, vix patrem bello aptum habere potuit.

Filium habuit præter Nostrum, Magium Celerem Velleianum, cujus agnomen satis indicat ipsum ex Velleia gente rursus in Magiam adoptione transiisse, unde sua domus adoptione descivarat. Sæpe de *fratre* suo Noster, nec sine honore, loquitur. Is Tiberii in bello pannonico et delmatico legatus, et post id bellum confectum donis militaribus a triumphante remuneratus, ab Augusto paulo ante obitum et mox a Tiberio successore fuit ad proximi anni præturam commendatus; cujus fata, plus quam fieri solet etiam inter fratres, videntur cum Nostri fatis pæne in omnia convenisse.

Hi sunt, quos novimus aut suspicamur, Velleii nostri majores cognatique : quorum, si quid veri tot nostris aliorumque conjecturis assecuti sumus, stemma erit hujus modi :

DECIUS MAGIUS,
Capuæ inter principes habitus.

N. Decii filius, a Livio memoratus, ad annum 538.	N. Alter filius, Asculi fortasse natus anno fere 555.

MINACIUS MAGIUS,
asculanensis,
natus anno fere 600,
Romanis utilis anno 665.

N. natus anno fere 620, prætor anno fere 666.	N. prætor cum fratre, eodem anno 666.

N... MAGIUS,
Cremonæ sedem eligit,
natus anno fere 640.

CN. MAGIUS,
Cremona,
natus anno fere 660;
præfectus fabrum Pompeii, anno 705,
adoptatus ab aliquo Velleio nomen mutat;
idem est C. VELLEIUS, avus historici,
præfectus fabrum M. Bruti, ac T. Neronis;
occidit se anno 714.

N... VELLEIUS, natus anno fere 685, adoptatus ab aliquo Fonteio nomen mutat; idem est FONTEIUS CAPITO, Antonii amicus; Agrippæ subscripsit in C. Cassium, anno 711.	N... VELLEIUS, natus anno fere 700, præfectus equitum sub Augusto, filium officii successorem habuit, anno 757.

C. FONTEIUS CAPITO,
consul anno 765.

N... VELLEIUS, rursus in familiam Magiam, adoptione transit; idem est MAGIUS CELER VELLEIANUS, Nostri frater.	C. VELLEIUS, HISTORICUS.

Ipsius Velleii vita nunc videtur exsequenda : parum illa difficultatis affert præsertim post elaboratos a Dodwello Velleianos annales, ex quibus excerpere sat erit ea quæ maxima ad rem facere videbuntur, sublatis, si qui manifesto subrepserant, erroribus.

Definita erat apud Romanos legibus, quas vocabant annarias, sua cuique magistratui capessendo ætas. Labente republica, duos annos ex antiqua severitate legum indulgentia remiserat. Ætas quæstoria, quæ eadem erat primi ad honores aditus, primæque in senatum admissionis, annus erat vicesimus quintus, labens nimirum, expleto duntaxat vicesimo quarto. Constabat scilicet illud primum vitæ spatium e duobus intervallis. Alterum *pueritiæ* erat, ad annum ætatis XIV : quo jam elapso, togam virilem sumere solebant, togam prætextam exuere, etiam senatorum filii. Inde *militiæ* tyrocinium, quam *militiam equestrem* Noster vocat; cujus decimo stipendio finito, tunc demum licuit adolescentibus, etiam nobilibus, honores petere senatorios, atque ex equitibus senatores fieri. Itaque decimo stipendio completo, annus erat quæsturæ non quidem ineundæ, sed ambiendæ tamen, atque designandæ. Dodwell. Ann. Vell. cap. 5.

His romanæ disciplinæ legibus feliciter usus est Dodwellus ad investigandam Velleii ætatem. Nos, quantum licebit vestigiis ejus insistentes, facilem impetrabimus veniam, si lectores ad annum Velleii natalem per diverticula, quum alia non suppetat via, duxerimus.

Atqui statuit ipse Velleius, l. II, c. 101, § 2, stipendiorum suorum initia anno DCCLIV, æræ nostratis primo, quum C. Cæsar consul ad visendas Orientis provincias missus est ab Augusto. Tunc ipse tribunus erat militum; nec satis compertum est utrum tribunus militum prima stipendia meruerit, quam veniam senatorum filiis ab Augusto concessam firmat Sueton. Aug. 36. Hoc tamen ipsius verba suadent, potius quam a primo militiæ gradu, id est, præfectura cohortis, cœpisse ejus equestrem militiam. Nam de tribunatu suo loquens : « quem, inquit, militiæ gradum *ante* sub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auspicatus (sum) in Thracia Macedoniaque. » *Ante*, inquit; sed modo de initiis stipendiorum suorum loquebatur : nonne igitur hoc *ante* de primo militiæ equestris anno, atque ipso aditu intelligendum est? Pater M. Vinicii, nempe P. Vinicius, consul anno DCCLV, Thraciam fortasse, et P. Silius Macedoniam, prætores administraverant. Sed quo anno, reticentibus historicis, reticente ipso Velleio, hactenus conjectura nondum licet assequi.

Quod magis patet, post operam in Thracia Macedoniaque reipublicæ navatam, receptus, ut diximus, tribunus militum in agmen C. Cæsaris, perlustravit omnem Græciæ et Pontici maris oram; videtur etiam reliquæ C. Cæsaris in Armenia expeditioni interfuisse, et tandem post ejus obitum, qui accidit IX kal. mart. anno DCCLVII, Romam rediisse : Vell. l. l.

Augustus, eodem anno, V kal. jul., Tiberium Neronem, Liviæ uxoris filium adoptavit. Quo tempore, Velleius præfectus equitum, successor officii patris sui, qui tunc fortasse obierat, in Germaniam missus est cum adoptato recens Cæsare, ejusque germanicis expeditionibus interfuit : lib. II, cap. 104.

Tandem, quum expleto decem annorum numero, finitaque equestri militia,

Romam rediisset quæsturam petiturus; eodemque tempore subitus a Pannonis Delmatiaque terror ingruisset, anno scilicet DCCLIX; Velleius, quæstor designatus, necdum senator, partem exercitus ab Urbe, traditam ab Augusto, perduxit in auxilium Tiberii: cap. 111, § 3. Ergo, tunc finita, equestris militia decennio ante, anno DCCXLIX, incœperat: et sane Velleius, patre militari, militari etiam indole, statim a pubertate arma sumpserat. Natus ergo anno DCCXXXV, togam virilem anno DCCXLIX induerat; denique anno DCCLIX, legitimam ætatem adeptus, ad senatorios honores accedebat.

Dodwellus ad certas quasdam regulas, quas sibi reperisse videbatur, omnem bonorum militarium seriem redigere conatus, aditos a Nostro gradus hoc ordine recensebat:

1° Anno DCCXLIX, equestris militiæ primo, præfecturam cohortis;

2° Anno DCCLII, militiæ tertio, tribunatum legionis, cum laticlavio;

3° Anno DCCLIV, militiæ quinto, tribunatum castrorum;

4° Anno DCCLVII, militiæ octavo, præfecturam alæ equestria;

5° Anno DCCLIX, exacta demum militia equestri, legationem.

Sed nos, annuente Krausio, præfecturæ cohortis immunitatem Velleio vindicatum ivimus. Tribunatus militum nullus unquam fuit; ortus ex interpretum ingenio, qui scilicet apud Nostrum legerent lib. II, cap. 104: « Hoc tempus me, functum ante tribunatu castrorum, Ti. Cæsaris militem fecit. » Optime vidit J. Massonus a Ruhnkenio laudatus, interpungendum esse post *tribunatu*, non post *castrorum*: itaque merito explodantur Dodwelli et aliorum de tam inani lite disputantium controversiæ. Tribunus ergo militavit Velleius, donec anno DCCLVII patri præfecto equitum accesserit. Quum autem anno tantum DCCLX legatis se Noster annumeret, nescimus utrum jam legatus anno DCCLIX partem exercitus ad Tiberium duxerit. Novam enim legionem, absente legato et fortasse jam in Tiberii castris versante, fortasse etiam non legionem integram, sed cohortes in supplementum lectas ducere potuit.

Unum hic moratur homines doctos, quod scilicet quæstorem designatum, necdum senatorem, æquatum se dicat senatoribus, etiam designatis tribunis plebei. Varias interpretum commentationes ne referre quidem nostra festinatio patitur: sed fortasse labori et chartæ pepercissent, si *quibusdam*, non vero *omnibus* tribunis plebei designatis æquatum fuisse Velleium intellexissent. Partem, inquit, exercitus duxi, æquatus scilicet iis, qui cæteras duxere partes, quamvis senatoribus, aut etiam designatis tribunis plebei. Nimirum significat quosdam hodie nobis incognitos, majoris tunc celebritatis viros, quibus se assimilatum aliquando fuisse non inter ultimas laudum ponit.

Romam deinde iterum rediisse videtur ad quæsturam obeundam. Itaque anni DCCLX maximam partem egit Romæ, vacans scilicet muneribus officii; non integrum tamen annum, si quidem ipse c. 104, § 3, octo continuos annos se cum Tiberio militasse profitebatur. Sub finem quæsturæ urbanæ, designatis jam in proximum annum quæstoribus, cæteri magistratu exeuntes provincias sortiebantur. Tunc vero Noster, cap. 111, § 4, quæsturæ provincialis sortem neglexit, adulator homo, qui nusquam a Tiberii latere discedere vellet; itaque

legatus ad Tiberium remissus ab Augusto, componendis pannonici belli reliquiis interfuit; idem (an Magius etiam frater? nam plurali numero loquitur) in hiberna cum cæteris Tiberii legatis distributus est; proximo anno belli pannonici particeps et adjutor fuit; quo feliciter patrato, et pace, qualem victores dare solent, hostibus concessa, manebant in Delmatia libertatis vestigia, quibus delendis Velleius, anno DCCLXII, allaboravit. Inde quum de Pannonia et Delmatia triumpharet Tiberiùs, exeunte anno DCCLXV, ipse cum fratre inter præcipuos præcipuisque donis honoratos viros victorem comitatus est: c. 121, § 3.

Inter illum triumphum et res prius in Illyrico gestas, anni duo, DCCLXIII et DCCLXIV, effluxerant, per quos occupatus Tiberius in ulciscenda Vari clade, componendisque Galliis, utrum comitem Velleium et adjutorem habuerit, nemini credo dubium fore, quum nondum expleta essent octo illa sub Tiberio stipendia; unde tamquam rerum spectator idem et narrator, ubicumque de rebus gestis imperatoris sui mentionem facit, diligentissimus in minimis, ad singulas partes descendit.

Post Tiberii triumphum qui octavum annum claudit Velleii sub duce suo stipendiorum, Romæ videtur mansisse Noster; et circa hæc tempora ædilitatem aut tribunatum plebei necessario gessit: nam per alterutrum munus, ita jubente Augusto (Dio LII, 20), ex quæstura ascendendum erat ad præturam. Sin extraordinaria et rarissima in privatis venia honorem utrumque continuasset, tanti certe beneficii mentionem laudibus suis non invidisset. Tribunum plebei potius fuisse existimat Dodwellus, quamvis in re omnino incerta et dubia, quod duo tantum ædiles curules, decem vero tribuni fuerint. Nec mirum si nullam ipse mentionem fecit muneris a se gesti, cujus quum omnis vis ad imperatorem translata esset, nomen tantum sine re supererat.

Tribunus ergo plebis fuit ille, anno inter Tiberii triumphum et Augusti mortem medio, DCCLXVI: nam anno proximo DCCLXVII ab Augusto moriente et succedente Tiberio designatus prætor, scilicet in annum DCCLXVIII, fuit; eumque magistratum sine dubio gessit. Altius conscendisse non videtur quum ejus nomen in fastis consularibus non occurrat: et ipse quidem Vinicio consuli blanditur non pro consularis hominis dignitate; nec si consulatum adhuc gessisset, titulum hunc præclarissimum inter tot minores omissurus erat: fastorum ergo silentium suo ipse silentio confirmat.

Tacitus, Ann. III, 39, P. Velleium, aut Vellæum, in scenam inducit, qui, quum exercitum in Macedonia præsideret, feliciter adversus Odrusas pugnavit. Hunc eumdem esse cum Nostro, quod olim Rhenano visum, annuit Ernestus (vide ad Tacitum nostrum), nulla tamen fretus ratione, nisi quod Paterculus adulatione in Tiberium et tam projecto servitio potuit ad magnas res evehi. Sed Broterius prænominum diversitate in aliam sententiam ducitur. Nos a judicando abstinemus; vix tamen credimus suas ibi res gestas oblivione deleturum fuisse scriptorem nequaquam famæ negligentem, nisi aut nimia festinatione abreptus mentioni suæ locum non invenit, aut ex illa provincia parum gratiosus (quam suspicionem paulo post excutiemus), ad Cæsarem redierat.

Nihil ergo post annum Urbis conditæ DCCLXVIII, quo præturam gessit, certum habemus, nisi quod quindecimo post anno historiam suam conscripsit; atque ita fere ejus annales in arctum redigi possunt:

ANNI		ANNALES VELLEIANI.
AB U. C.	ÆT. VELL.	
735	1	Nascitur Velleius.
749	14	Togam virilem sumit; prima stipendia in Macedonia et Thracia facit, fortasse statim ab initio tribunus militum.
754	19	In agmen recipitur C. Cæsaris, provincias perlustrantis.
755	20	Adest C. Cæsari in Euphratis ripa cum Parthorum rege congredienti.
757	22	Mortuo Caio, Romam redit. Patri in alæ equestris præfectura succedit. Præfectus equitum cum Tiberio in Germaniam proficiscitur.
759	24	Romam reversus quæsturam petit: designatus quæstor, partem exercitus ad Tiberium ducit.
760	25	Romam redit, ad obeunda quæsturæ munia. Sub anni finem legatus legionis ad Tiberium, in Pannonia bellum gerentem, revertitur; inde per quinque continuos annos ab ejus castris non discedit.
761	26	Secundo anno belli pannonici interest.
762	27	Item bello delmatico.
763	28	Item, post Vari cladem, bello germanico et componendis Galliis per biennium.
765	30	Romæ triumphantem Tiberium comitatur.
766	31	Ædilitatem, aut quod vero propius, tribunatum plebis gerit.
767	32	Ab Augusto moriente prætor designatur.
768	33	Præturam gerit.
774	39	Fortasse exercitum in Macedonia præsidet.
783	48	Historiam M. Vinicio consuli mittit.

Nihil aliud de Nostri vita compertum habemus: nec illius ingentis operis justa, ut ipse vocat, volumina quæ sæpe pollicetur, utrum aggressus sit, certo quisquam dicere possit: nec nisi mera, et, in communi historicorum silentio, parum probabili conjectura necatum illum inter Sejani amicos fuisse vulgo affirmatur. Sejanum quippe laudat, non ut amicum, sed ne ut patronum quidem: ac, nisi fallor, aulici potius personam agit, negligi se ægre ferentis, et

per consulis Vinicii favorem ad Sejani, forsitan abs se alienati, gratiam, quanta potest arte, grassantis.

Ideo sua quæcumque merita seriemque honorum suorum diligenter exsequitur. Commoratur in iis præsertim, quæ majorum suamque fidem commendare possunt. Parum abest quin credam eum post suam (si modo ipsius fuit) in Macedonia anno DCCLXXIV militiam, aliquam ob suspicionem Tiberii gratia excidisse. Inde nulla de hoc aut sequentibus vitæ suæ annis mentio.

Præterea Fonteius Capito, Nostri ut videtur consobrinus, anno DCCLXXVIII per Vibium Serenum accusatus, quamvis falso crimine absolutus fuisset, tamen sub obliqua principis invidia remanserat, quod Tacitus his verbis innuit, Annal. IV, 36: « Neque tamen id Sereno noxæ fuit. » Nihil scio, neque affirmo; si tamen, ut equidem reor, ambo consanguinitate juncti erant, frigoris istius aliqua pars facile in Velleium ipsum manaverit.

Nullo modo his conjecturis insisterem, nisi et illud de postremis annis silentium, et fœdas nec homine prætorio dignas in Tiberium Sejanumque adulationes, et ipsam Velleiani operis raritatem, aliter quam fieri solet, explicare viderentur. Velleium enim post Sejani ruinam quam plurima potuit operis sui exemplaria de medio sustulisse credibile est: post, sive pudore, sive potius timore per reliquam ætatem obscuro in otio delituisse.

Si hæc qualiacumque non omnino visa fuerint veritati aliena, facile patebunt caussæ cur ad Vinicium consulem libros suos miserit; gratias mihi lector habebit ipsa Krausii verba referenti: « Primum Vinicius forsitan auctor Nostro fuit conscribendæ historiæ, in compendium redactæ. Deinde Vinicii in gratia magna erant apud Augustum et Tiberium; inprimis vero is qui consul fuit anno DCCLXXXIII...... Avus enim hujus Vinicii Marcus consul a. U. c. DCCXXXV (Vell. II, 96, § 2) tanta virtute et fide valebat, ut jam senex ab Augusto ad bellum germanicum sustentandum, donec Tiberius anno DCCLVII mitteretur in auxilium, adhiberetur. Vide Vell. II, 104, § 2. Pater etiam P. Vinicius quo consule anno DCCLV Tiberius e secessu rhodiensi Romam reversus est (ibidem, cap. 103, § 1) etiam ab Augusto ad ministeria et provincias administrandas advocatus est: ibid. cap. 101, § 3. Filius denique M. Vinicius, cujus consulatum Velleius ornavit, inter gratiosissimos apud Tiberium fuisse debet, quum triennio post consulatum progener Tiberii et conjux Juliæ, nepti imperatoris et Germanici filiæ electus sit. Vide Tac. Ann. VI, 15, qui ibidem gentis originem, nobilitatem et ingenium ejus sic describit: « Vinicio oppidanum genus: Calibus ortum patre atque avo consularibus, cætera equestri familia erat, mitis ingenio et comtæ facundiæ. » Talium vero hominum apud Cæsares gratiosorum celebrandorum Velleius haud facile occasionem prætermittit. Inter hos hic Vinicius, ambiendus aliqua de caussa, ornandus opere oblato et extollendus videbatur Velleio. Sed præterea hic fortasse beneficiis acceptis obstrictus erat genti Viniciorum. Nam sub patre Publio tribunus militum stipendia facere cœpit[1]. »

[1] Vixit hic Vinicius ad Claudii imp. usque tempora, sub quo anno DCCXCVIII.

Sequitur ut credamus Velleianum opus, etiamsi prius inchoatum, non tamen destinatum luci fuisse ante Vinicium designatum consulem; et saltem ipso consulatus anno absolutum fuisse: quid enim inde gratiæ sperasset auctor, si, quem solo consulatus nomine celebrat, illum jam egressum consulatu fuisset allocutus? præterquam quod anno proximo Sejanus occidit, tantopere a Nostro laudatus, ac nemini certe post mortem suam laudabilis. Inde igitur illa tam in ipso opere frequentia calami properantis indicia, quibus, ut honestum velum prætexat auctor, præludere se dictitat majori isti ac maturiori operi, quo caremus. Voluit et principum simul gratiam aucupari et prætentare hominum de ingenio suo judicia. Quam longe a priori voto potiendo abfuerit, jam diximus; alterum, quod literariam laudem spectabat, non felicius evasisse videtur. Nam post Sejani mortem ignoti aliquot hujus operis codices in privatis fortasse bibliothecis manserunt: qui post fœdas Barbarorum direptiones, et in illa vix resurgentium literarum trepidatione, casu in monachorum manus inciderunt bona malave æque transcribentium. Nec tempus edax eorum laboribus pepercit; sed reliquiæ non contemnendæ Rhenani et Burerii cura nobis servatæ, post quatuordecim demum secula Velleium, jam morti non obnoxium, posteritati servaverunt.

Tituli quem nunc ejus præfert historia: *C. Velleii Paterculi historiæ romanæ*, priorem jam partem asseruimus, quum de constituendis Nostri nominibus ageretur: altera pars, *historiæ romanæ*, pariter in controversiam venit, ut quæ sit, quorumdam judicio, e Rhenani conjecturis orta. Sed nos putamus vere hoc titulo insignitas fuisse summas in ipso codice paginas: quo tamen lis omnis non dirimeretur (nam in librorum manuscriptorum titulis magna esse solet diversitas), et potius operi quam titulo credendum esset, si universam potius quam romanam historiam sibi Noster proposuisset adumbrandam. Qui in hanc sententiam eunt, allegant præsertim multarum civitatum origines initio operis comprehensas. Verum in his videtur paululum immoratus esse Velleius, quo certiorem Romæ natalibus locum, inter indefinita temporum spatia, quodammodo statueret; at quo perspecta cæterarum gentium ætate, ipsius Romæ vetustas facilius posset æstimari: sic Thucydides de bello peloponnesio acturus, quædam primo libro de universæ Græciæ statu, et variarum civitatum negotiis attingit, claram secturis lucem præferens. Etiam Velleio cavendum erat, ne lector debellatas a Romanis tot gentes cum fastidio recenseret, quas ne sub cælo quidem esse admonitus antea fuisset: quemadmodum in tragœdiis nemo nisi antea designatus, et jam aliqua ex parte cognitus intervenit.

Objici quidem potest fragmentum a Prisciano servatum, a Ruhnkenio post cap. 8 in notis editum: « Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius

alterum gessit consulatum; quo exacto Messalinæ, quæ quinquennio ante Juliam quoque, conjugem ejus, e medio sustulerat, veneficiis necatus est. De fratribus hujus eloquentia claris vide Nic. Fabrum, ad Senecæ Controv. XIII, p. 206, ed. Gronov. Kraus.

Cimon. » An igitur, dicet aliquis, Atheniensium res gestas opere suo persecuturus erat Velleius? Sed potuit obiter Cimonis mentionem facere, ut forsitan de Pericla et aliis ejusdem seculi Atheniensibus proloqui, quum triumviros legum quærendarum Athenas missos referret, anno U. c. CCC: quo tempore et Cimon florebat, et Athenæ plurimum terra marique pollentes, primum a Romanis publice aditæ sunt.

Lipsius, quamvis romanæ tantummodo historiæ Velleium incubuisse ratus, existimabat lacunam inter octavum et nonum prioris libri caput, opinione multo majorem, quippe quæ nobis invidisset plus dimidiam Velleiani operis partem, romanos omnes reges, omnes consules tribunosve militares usque ad annum DLXXXII. Itaque tribus non duobus libris divisum fuisse totum opus arbitrabatur, quorum secundi fuisset initium urbis a Gallis captæ recuperatio. Sed, nisi fallor, præcipuum ante oculos finem babuit Velleius Tiberii laudationem, ad cujus principatum quam potuit rapidissimo cursu properavit. Ergo priore libro secula sex comprehendit, reservatis in alterum paulo plus centum viginti annis, rerum copia et hominum celebritate opimis. Ipse quidem (lib. I, cap. 14, § 1) diserte duas voluminis partes agnoscit, nempe duos operis libros; sed hunc locum minus intellexisse videtur, humani aliquid passus, cæterum inter omnes eruditos judicio præstans Lipsius.

Prior igitur liber, cujus initia, certiores nos de auctoris proposito factura, utinam vetustate non intercidissent! de græcis coloniis, de antiquis Asiæ dominationibus, de ludorum Olympiorum origine, aliisque temporum metis, aliquantum exspatiatus, per hunc circuitum ad urbis Romæ cunabula nos circumagit. Inde nisi sexcentorum fere annorum res gestæ miserò casu abessent, secutura erat usque ad secundi libri et totius operis finem romanæ reipublicæ et imperatorum Augusti Tiberiique historia. Ultimam partem, quæ sola incolumis superest, claudit Liviæ, Tiberii matris, obitus, qui Vinicii consulatum et ipsum Velleii opus uno tantum anno præcesserat.

Prioris libri finem ab alterius initio distinxit Velleius duobus fragmentis, quorum unum *de Coloniis romanis*, minime ab historiæ ratione alienum, non mediocrem utilitatem attulit bis qui circa romanas origines laborem doctrinamque suam intenderunt: alterum de literaria potius quam historica quæstione, scilicet *de summis in uno quoque genere ingeniis vulgo circa eadem tempora congruentibus*, nihil aliud est quam verbis turgidus, rebus inanis, nec integer fortasse, *locus communis;* scriptus ut videtur, confecto jam opere, ex commentariolis aliquot a Valleio inter pugillares suos repertis.

Totum opus, quamquam neglecto sæplus, interdum affectato dicendi genere conscriptum, Augustea præsertim latinitate commendatur. Alio quoque nomine de curiosa rerum antiquarum posteritate meruit, quod eorum præcipue temporum facta describit, in quibus maxime deficiebant auxilia cæterorum. Auctor ipse plerisque præsens, in iis quæ adulationem non redolent, gravissimus testis et fide dignissimus est. Paucos in eo reprehendit errores sagax eruditorum investigatio; quorum pars in minimi momenti rebus versatur, festinationi scribentis imputanda; pars incuria librarii, quum unus codex supersit.

excusari potest; major pars ex pessimo fonte, quem jam indigitavimus, adulatione defluxit. Quo crimine tantopere laborat Velleius, ut ne suis quidem interpretibus uti possit advocatis. Immo apud plerosque, aliquando etiam justo acerbius, exagitatur eo nomine: nec satis ad ejus famam restituendam valuit Caroli Morgensternii, professoris Genadensis, docta apud Krausium commentatio de *fide historica Velleii Paterculi*. Krausius ipse, cujus modo accuratissimam dissertationem lectorum oculis subjicimus, nescio an auctori suo nimium indulsisse videtur. Nos crimen fateri malumus, quam apud judices male affectos etiam defendendo augere. Non tamen, quod ausus est noster laudationum scriptor clarissimus, Thomas, in illo elegantissimo de arte vere sua tractatu, *l'Essai sur les éloges*, Velleium nostrum persona vilissimi mancipii induemus, herilem vitam augendi peculii caussa scribentis, ita ut singulas paginas cubanti aut lavanti domino quotidianus recitet adulator. Benignius de illo, quamvis apud nos quoque reo, sentimus: servit, nec semper cum dignitate, sed hoc crimen illi est cum summis sui temporis auctoribus commune. Et quoniam non propositum modo nostrum, sed et vires excederet critica totius operis disquisitio, quam post clarissimum laudique suæ superiorem Krausium attingere non audemus: satis interim nobis fuerit, pace tua, Lector, honorificentissimum de Velleio suffragium optimi in his rebus judicis, *le président Hénault*, tibi gallicis ipsius verbis apponere.

[1] « Je viens au *modèle inimitable des Abrégés*, pour lequel je m'étais réservé. C'est *Velleius Paterculus*, cet écrivain trop peu vanté par des raisons étrangères à son talent; cet écrivain que je ne me lasse point de lire; que par pressentiment j'ai admiré toute ma vie; qui réunit tous les genres; qui est historien quoiqu'abréviateur; qui dans le plus petit espace nous a conservé un grand nombre d'anecdotes qu'on ne trouve point ailleurs, *quædam habet*, dit *Vossius*, *quæ haud alibi invenias;* qui défend son lecteur de l'ennui d'un abrégé par des *réflexions* courtes, qui sont comme le corollaire de chaque évènement, dont les *portraits* nécessaires pour l'intelligence des faits sont tous en ornement; enfin l'écrivain le plus agréable que l'on puisse lire, et pour tout dire, le grand admirateur d'*Homère*, mais surtout de *Cicéron*, quoique *Cicéron* fût républicain, et que *Velleius* fût *passionné pour le parti monarchique*.... Il en dit assez pour instruire; sa précision ne vient pas d'impuissance. Il n'est pas un simple annaliste, et il ne manque à son ouvrage que le titre d'Histoire.... Enfin l'ouvrage de *Velleius* suffit à l'apologie des abrégés chronologiques. »

[1] Mémoires de l'Académie royale des Inscriptions et Belles-Lettres, t. XXVIII, p. 611.

NOTITIA LITERARIA

DE

C. VELLEIO PATERCULO,

EX JO. CHRIST. HENR. KRAUSII PROLEGOMENIS

PAG. XVI, SEQQ.

AD EDITIONEM VELLEII MINOREM.

I. DE OPERIS VELLEII INDOLE.

Operis Velleii index: *Historiæ romanæ ad M. Vinicium consulem libri II*, sub quo a Beato Rhenano primum editum est, vel singulis quidem codicis paginis, vel libri alterius initio superscriptus, sed a grammatici manu cujusdam, ambitum opusculi haud penitus perspicientis, et a potiori argumento illud dimetientis, præfixus esse videtur. Velleium enim non proxime Romanorum; sed quoque exterorum res pro operis suscepti modulo persecutum esse, ex prioris libri fragmentis apparet. Nam quum statim ab initio, quantum superest, incipiat inde a Græciæ post Trojæ excidium fortuna et vicissitudinibus, easque contineat, intermixtis suo loco et tempore, quæ ad civitatum vel italicarum (I, 1, 4, 7), vel barbararum (I, 2, 6), origines pertineant, usque ad Urbis conditæ ætatem, à qua inde ingens lacuna prioris libri maximam partem, longamque rerum et annorum seriem, ad Perseum usque Macedoniæ regem a. U. c. DLXXXVI devictum, hausit: probabile est, Velleium totius orbis antiqui, inprimis vero græci et italici, quem nosse civium suorum maxime intererat, origines commutationesque esse complexum, donec ad ea pervenerit tempora, quibus, ut imperium Romanorum terrarum orbem, ita eorum historia cæterorum populorum res gestas hauserit quasi et in se comprehenderit. Et hæc quidem sunt illa tempora, quibus, Macedonum regno deleto, Carthagineque et Corintho excisis, Romani reliquum orbem imperio suo subjecerunt, omniumque populorum fortunam moderati sunt. Itaque a

Perseo inde victo continua pergit rerum romanarum enarratio ad Liviæ usque obitum, a. U. c. DCCLXXXII.

In priori autem operis Velleii parte mutilata Græcos egisse potiores partes, patet primum vel ex ipsis hujus partis reliquiis, quas Græcorum res ad Urbem usque conditam potissimum explent; deinde e fragmento Velleii, a Prisciano lib. VI, pag. 706, servato: « Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon. » Tum quoque Græcorum natio, ut rerum fortissime gestarum gloria, ita coloniis, commerciis, vitæ cultu, moribus, inventis, artibus ac doctrina, et orbem terrarum omnem, et Italiam Romamque urbem implevit.

Unde autem Velleius, quum ab initio mutilum sit opusculum, historiam exorsus sit, conjicere licet, tum ex iis, quæ adhuc in principio exsistant, tum ex historicorum romanorum more exordiendi rerum narrationem inde a Trojæ excidio, Æneæque et Trojanorum adventu in Italiam. Nam quæ a fronte libri primi leguntur de græcorum principum e bello trojano redeuntium erroribus, fatis, civitatibusque passim conditis, ea naturaliter sequebantur Ilii eversi memoriam. Neque deseruisse Nostrum communem auctorum origines romanas ab Ænea ejusque coborte repetendi consuetudinem probabile est, maxime quum, ut alio loco videbimus, gratiæ domus Augustæ, quæ Anchisem Veneremque gentis Juliæ auctores gloriabatur, captandæ sit studiosissimus. Denique a Troja inde capta rerum antiquitatis memoria certior, clarior, amplior, rebusque magnificentioribus magis referta esse cœpit.

Sed cum initio historicæ enarrationis periit quoque auctoris ipsius præfatio: quo factum est, ut consilium auctoris cum ex singulis locis, ubi passim ipse in transitu ad illud se revocat, tum ex operis ipsius forma assequi nos oporteat. *Artatum* enim (II, 86) atque *recisum* (II, 89) vocat opus suum historicum; *promissæ brevitatis fide admonitus* (II, 55) intra fines propositos sese recipit; *festinatione sua*, quæ scriptorem præcisum opus suscipientem in rebus memoria dignissimis consistere et morari non patitur, excusat, quod res pro earum magnitudine haud digne persequatur; vid. II, 29, 52, 86, 99, 124. Hanc *artati operis*, quod sibi proposuerat, seu *formam*, seu *regulam*, seu *modum* (ita enim variat) ubi vel digrediendo, vel diutius morando egreditur; violatæ brevitatis promissæ crimen evitans, aut rerum, ad quas excurrit, gravitate et utilitate (I, 16; II, 38), aut personarum magnitudine (II, 41), aut animi graviter commoti impetu (II, 66), purgare se a culpa conatur. Id vero consilium tot tantasque res et a barbaris et a Romanis ad suam usque memoriam gestas breviter constringendi Velleius pariter, ac Sulpicius Severus, auctor christianus, quem facile quisque Nostri non solum in operis forma, sed in librorum quoque numero, æmulatorem agnoscit, in præfatione deperdita haud dubie proposuit. Nec a vero prorsus abhorrere videtur, Velleium, ut Sulpicium eundem, multis, qui res in orbe terrarum gestas compendiosa lectione cognoscere properarent, efflagitantibus, ipsi Vinicio forsitan, auctori gravissimo, obsecutum, certe seculo suo, mollitie et laboris, e voluminosis priorum historicorum operibus rerum gestarum memoriam hauriendi,

fuga corrupto, ita indulsisse, ut breviori et compendiosa via ad rerum scitu dignissimarum cognitionem æquales perduceret.

Sed noluit Velleius neque tenues atque exiles annales, quorum unica laus sit brevitas, conficere; neque priorum cujusdam historicorum opus, ut, teste Cicerone ad Att. XIII, 8, M. Brutus in Cælio Antipatro præiverat, in compendium redigere: sed rerum amplissimarum et gravissimarum speciem, duobus libellis (ita enim ipsi placuit; vid. I, 14) contractam, eamque lectoribus, certe romanis, neque indoctis, perspicuam, efficacem, et gratissimam, oratoria quasi arte elaboratam, tamquam in tabula præcisa, una cum temporum distinctione, proponere ei placuit.

Quum utrumque genus et breviter narrandi et oratorio modo proponendi, tum a rerum delectu et tractatione, tum ab elocutione et dictione pendeat, de utroque videndum est, et quidem primum, quomodo Velleius, brevitati studens, in rebus seligendis et tractandis, historici simul, simul oratoris partes egerit.

Rerum autem delectus duplex est, non solum summorum historiæ universæ capitum, sed etiam rerum singularum, seu partium, quibus illa continentur et explicantur.

In illis vero summis seligendis secutus est Noster res, lectoris romani cognitione dignissimas, voluptate cognoscendi jucundas, ad animos commovendos gravissimas, atque exemplo in utramque partem utilissimas. Quo ex genere sunt omnia, quæ ingenuum et liberalem hominem romanum nescire dedecebat; quæ eum de gentium celeberrimarum, inprimis suæ, originibus, fortuna, incrementis, virtutibus, disciplina, artibus inventisque erudiebant; quæ magnitudine sua et effectorum vi tum in præsentem rerum statum, tum in consequentia tempora, erant gravissima; quæ et antiquitate, et novitate, et magnitudine et honestate lectores afficerent; quæ vel ad honestum alliciunt, vel a turpi deterrent; denique quæ docent, monent, movent, delectant, quippe quæ sequi oratoris est.

Ut vero, intuentes majorem et integriorem operis partem, res romanas complectentem, singula persequamur, comprehendit Velleius ordine, quæ vel ad vires opesque Romanorum auctas, et ad fines imperii sive per bella, sive per artes dilatatos, vel ad reipublicæ formam et ordinum dignitatumque statum, aut legibus novis, aut præter ordinem legesque institutis, aut domesticis motibus transformatum, vel ad mores et disciplinam, eamque publicam, privatamve, immutatam, vel ad ingenii cultum et literarum artiumque incrementa atque fastigium, vel ad singulorum virorum fortunam pertinent.

Harum rerum enarrandarum agmen quasi ducunt eæ, quæ publice, aut foris aut domi, gestæ sunt, statumque publicum commutaverunt. Has, ut sese excipiunt temporis ordine, annis notatis, auctor disponit per totum opus, easque singulas, quæ veluti partes potiores constituunt, continua serie persequitur, donec ad finem perducta sit earum expositio, ut subsistere, et reliqua minus notabilia, circa idem tempus gesta, vel incidentia, quæ autem erudiunt, movent atque delectant, subjungere queat. In quibus non semper temporis

ordinem strictim sequitur, sed potius memoriæ impetum, rerumque similitudinem invicem sese ultro in animum revocantium, locique opportunitatem. Instar exempli sint ea, quæ seditioni Gracchorum (II, 2....6) enarratæ cap. 7....10, subjecit.

Brevitatem sequens, in summo aliquo capite historiæ tractando plerumque ab eo temporis momento, in quo rerum discrimen factum est, incipit, et, quæ ad intelligendam rem priorum temporum memoria repetenda sunt, ea opportuno loco intertexit; vid. v. c. II, 11, sq. 18. Neque tamen in re summatim exponenda præterit, quidquid haud nescire lectoris interest, a quibusnam scilicet personis, quo loco, quo tempore, quibus de caussis, quibus consiliis, viribus et auxiliis, qua ratione aliquid peractum sit; vid. v. c. II, 15, sq. In quo ita est diligentior atque copiosior, quo graviora sunt, in quæ incidit, tempora; vid. v. c. II, 48....56, 84....86, 110....116, 117, seqq.

Quum Noster res narrandas perpetua oratione, omnibus partibus aptissime inter se connexis, persequendas sibi proponeret; his transitione idonea jungendis, oratorio modo studuit. Præter enim solennes transeundi et copulandi particulas formulasque, in transitu *vel* rei subsequentis cum præcedente, quæ caussæ instar habenda sit, nexum notat (v. c. II, 2, 15, 100); *vel* acta, cum sequentibus in unum tempus incidentia, in memoriam revocat (v. c. II, 29, 74, 88, 112); *vel* judicio de rei narrandæ magnitudine, quam operis modus paucis tantum comprehendere jubeat, præmisso (II, 29, 41, 67, 86, 119, 124); eodemque nonnunquam per sententias, interrogationes exclamationesque, animi adfectu plenas, proposito (II, 106, 110, 114, 122), legentium animos præparat atque intendit.

Animis lectorum ita præparatis, incipit plerumque a viris summis, sive civibus, sive barbaris (vid. II, 18, 108, 118), aut virtute claris, aut turpitudine famosis (II, 45, 48, 68), qui primas rei partes egerunt, atque ad genus eorum et cognationem (II, 2, 3, 17, 29, 41, 59), ad corporis eorum animique dotes, indolem, mores, studia literarum, fortunamque (vid. ll. ll. et II, 11, 45), ad juventutem et ad vitam, antequam ad rempublicam accesserunt, actam (II, 29, 41, 59, 108, 117, etc.) digreditur; quibus ex omnibus indoles horum virorum, actionum, susceptorum et rerum gestarum caussæ, quantum in personis insunt, perspiciantur. Quo in genere, ut quis est nominis gloria major, ita diligentior et copiosior est Velleius in ejus indole moribusque describendis, sibique ita in hoc genere placuisse videtur, ut fere nunquam, ubi in homines ex utraque parte insignes inciderit, imaginem eorum ob oculos ponere prætermittat. Hæ morum notationes, quæ opportuno loco insertæ lectoris judicium de his personis mire adjuvant, veritate et orationis brevitate admodum se commendant, insigne operis sunt ornamentum et delectamentum, varietate narrationem distinguunt, legentibusque sunt velut diverticula, ubi animus ex longo et festinante transcursu rerum breviter propositarum requiescere queat.

Deinde ubi ad res ipsas accedit, ita, partibus prudenter seligendis, summam rei conficit, ut, quidquid lectoris ad eam perspiciendam plurimum interesset,

minime desideretur. Pro exemplis sit inter alia belli socialis II, 15 sq. et Catilinariæ conjurationis brevis et apta expositio. Sed non solum intelligentiæ lectorum, verum etiam affectuum animi movandorum rationem habuit, iis quidem partibus deligendis, quæ rerum et personarum magnitudinem ob oculos ponant, admirationem excitent, metum injiciant aut depellant, et lætitiam de exitu instillant, dolorem miserationemque commoveant. Itaque legentium animos sæpius tenet, pericula discutianda oculis objiciendo (v. c. II, 2, 6, 18, 109, 110), vires adversarias juste exigendo (v. c. II, 49, 51, 84, 109, 110), impedimenta consiliis et rebus agendis objecta exponendo (v. c. II, 51, 55, 79), consiliorum, quibus disjecta sunt, rationem, et prudentiam, agendique fortitudinem persequendo (v. c. ll. ll. et II, 88, coll. 111, 112, seqq.), et tandem ad exitum vel haud speratum, vel deplorandum (v. c. II, 28, 66, 67), perducendo.

In rebus autem sic tractandis et caussis et effectibus rerum brevitatem suam instruxit, quod genus vocant pragmaticum. Quippe caussas vel rei universæ ejusdemque magnæ statim initio narrationis uberius subjicit (v. c. II, 2, 6, 15, 44, 48), vel easdem partium at rerum singularium expositioni intermiscuit (v. c. II, 21, 48, 63, 82), neque solum rationem habuit earum, quæ certo constabant, vel tales sibi videbantur, sed etiam, quæ sive plures circumferebantur, sive quas conjectando assequi licebat; v. c. II, 2, 6, 48. Has vero caussas vel e rebus antecedentibus recte derivat; vel ex humani animi indole hominumque moribus, perversis etiam, quorum vis, communi rerum experientia alias comprobata, re ipsa a scriptore narrata confirmatur. Hoc ipso in genere placet Velleio plerumque sententiosa proponendi ratio, per locum communem caussam comprehendentem ad rem effectam transiens; v. c. I, 9; II, 30, 31, 53, etc.

Ad effecta autem rerum gestarum quod attinet, ea sunt primum res ipsæ novæ, ad statum publicum pertinentes, ex præcedentibus sive exortæ (v. c. II, 2, 15, 22, 103, etc.), sive ab auctore ex iisdem derivatæ (v. c. II, 100), quippe quæ connectendi operis partes, et subsequentia cum prioribus copulandi, magnam præbent opportunitatem. Deinde alia notavit Velleius, vel ad disciplinam morum publicam (v. c. I, 13; II, 1, 3, 22), vel ad instituta publica, eaque sacra (v. c. II, 25, 27), vel ad singulorum hominum personas, fortunam (v. c. II, 19, 71, 77, 86), et mores, ex eventu rerum susceptarum assumptos (v. c. II, 25, 28, 52, 91) pertinentia.

Etiamsi vero Velleio, brevitatem sequenti, in gravissimis maxime rebus, iisque publicis, versandum erat, tamen varia rerum singularium, et antiquitate, et novitate, et magnitudine lectores afficientium, notitia opus suum distinxit. Hoc ex genere sunt, quæ admiscuit, *aut* de singulari virorum clarorum in re quadam administranda gerendi sese ratione (v. c. II, 37, 45, 55, 114); *aut* de laudabiliter turpiterve factis, sive eorum, qui partes rerum secundas agerunt (v. c. II, 16, 51, 63, 85, 87, 116, 119, 120); sive eorum, qui in fortunæ societatem venerunt (v. c. II, 26, 71, 76, 88, 120); *aut* de eorumdem horum fortuna, facto vel casu quodam singulari nobilitata (v. c. II. 7;

74, extr. 116, 119); *aut* de virorum summorum vel honeste, vel fortiter, vel scite dictis, virtutem et indolem eorum declarantibus (v. c. I, 10; II, 4, 14, 27, 33, 77, 86); *aut* de gentium familiarumque, inprimis adhuc Velleii ætate nobilissimarum, fortuna insigniori (v. e. I, 11; II, 10, coll. 11, 72); *aut* de rebus omnino ad antiquitatem pertinentibus, sive de dignitatum et imperiorum vicissitudinibus (v. e. II, 16, 30, 32, 89), sive de legum consuetudine in viris eximiis deserta (v. e. II, 12, 30), sive de antiqua severiorique disciplina, vel publica, tam domestica (I, 10, extr. 15; II, 8, 10), quam militari (II, 5, 78), vel privata (II, 14, 114, 126), sive de ædificiorum celeberrimorum monumentis, ad Velleii usque tempora perdurantibus (I, 11; II, 1, 8, 48, coll. 81, 130), sive de rerum in pretio habitarum initio; v. e. II, 7.

Præter hæc variavit opus suum Velleius, qui, quidquid scitu dignissimum atque utilissimum erat, sequebatur, digressionibus, quibus genera quædam talium rerum, e singulis ætatibus decerptarum, una specie contracta comprehendit, et post longam continuamque rerum ævi cujusdam gestarum enarrationem, ubi subsistere licebat, legentibus requiem et diverticula parat, generisque harum rerum ipsius notitiam altius inhærentem suppeditat: cujus rei consilium ipse exponit I, 14. Duo autem maxime sunt rerum genera, quæ a perpetua atque recta narrationis via digrediens perlustravit: alterum ad literarum per diversas ætates inter Græcos Romanosque statum, alterum ad fines imperii civitatisque romanæ propagatos pertinens. Sic tum ad colonias conditas et civitates civium rom. jure donatas, narratione ad Carthaginem deletam perducta (I, 14, 15); tum ad provincias romani imperii, a Syria, Pompeii virtute subacta, opportunitatem nactus (II, 38 et 39), excurrit, incipiens quidem ab harum rerum initiis, sed procurrens ulterius ad extrema, ubi desierunt tempora, ut, quidquid coloniarum conditum, quidquid provinciarum ad suam usque ætatem factum sit, his duobus locis comprehenderet. Ad literas vero græcas ac romanas quod attinet, primum post macedonici regni exitum, Carthaginisque et Corinthi excidium, ex quo inde illæ deflorescere, hæ vero increscere cœperunt, lectorum mentes Velleius ad eam rem, quæ suum animum vehementer percellebat, intendit, qui scilicet factum sit, ut summa literarum artiumque cujuscunque generis perfectio inter utrumque populum angusto temporis spatio finiretur? Quod ita evenisse in singulis generibus docet, caussasque indagat, adjicitque, quod non minus mirandum erat, Græcorum ingenia atque artes unis Athenis fere esse inclusas; vid. I, 16.... 18. Deinde post Gracchanas seditiones, circa quas initia literarum romanarum efflorescentium, inprimis oratoriæ artis, incidunt, summa ingenia oratorum, poetarum et historicorum hujus et proximi ævi, brevi cum judicio enumerat; vid. II, 9. Neque minus, postquam narratio deducta erat ad Ciceronis consulatum, a quo inde Augusti ætas, et eloquentiæ literarumque romanarum cæterarum summa perfectio incipit, hujus ævi excellentia ingenia ad sua usque tempora recenset; vid. II, 36.

Jam videamus, quomodo et oratoris quasi partes egerit historicus noster.

Ipse enim rerum varie afficientium delectus incendere debebat animum scribentis, eumque sensibus varie ita commovere, ut facile affectionem verba sequerentur, eamdem lectorum animis instillantia. Hic gravior rerum enarratarum sensus, et animus, vel admiratione, vel indignatione, vel miseratione, vel lætitia cæterisque perfusus ubique spirat, et variis propositionum et orationis formis, quas figuras appellant, quæque naturaliter animum vehementer affectum sequuntur, interrogationibus, exclamationibus, apostrophis, anaphoris, polysyndetis, asyndetis, etc., sese patefacit. Itaque et omnino majorem quasi sonum vocis addidit historiæ, et maxime in ultima operis parte, in qua penitus admiratione et pietate in Augustum Tiberiumque effusus, ad panegyricam fare orationem adscendit. Conf. inprimis II, 126, 129, sq. Ubique etiam aperit se studium magnitudinem sensus sui verborum magnitudine exæquandi, quod nonnunquam modum excedere, et in majus augere vel res vel personas videtur; ubique studium, prouti quæque senserat, orationis luminibus distinguendi, omnique ornamentorum, troporum efficacium, epithetorum gravissimorum, etc., genere instruendi. Eorumdem affectuum modum naturaliter sequitur vel brevitas orationis, vel copia, inter se mixtæ.

Frequentes quoque apud Velleium sunt sententiæ, et sententiosum dicendi genus, quod prorsus oratorium est. Non solum enim, quæ finite de certis personis, rebus, temporibusque pronuntianda erant, ea infinita oratione proponit, et singula sub genere universo comprehendit, v. c. I, 12 extr.; II, 3 pr., 128 extr.; sed etiam sæpius immiscet propositiones universas, sive pronuntiata de universo quodam rerum genere, vel ex ipsa re narrata et similium experientia hausta, vel in re singulari in animum scribentis revocata. His sententiis, quæ quidem lectoris animum acuunt atque instruunt, ita creberrime utitur Velleius, ut, quum simul aciem ingenii et mentis sapientiam scriptoris aperiant, nonnunquam, ingenii acuminis ostentandi caussa, avide eas captasse videatur; quod tamen ætatis potius, quam scriptoris unius, erat. Hæ sententiæ occurrunt legentibus, *vel* in fine rei cujusdam narratæ, ut judicia de re exposita acuantur, regantur, et sapienti quodam præcepto animi instruantur, v. c. I, 2, 7 extr.; II, 10; *vel* in transitione ad rem novam, eamque magnam miramque, sive ad talis rei novum eventum, tum ut præparet quasi animum, v. c. II, 53, 75, etc.; tum ut de caussis earum communibus, sive in communi rerum hominumque natura, sive in fortunæ arbitrio sitis (v. c. I, 12 extr.; II, 30, 57, 118), erudiat. Quo autem hoc genus sententiarum maxime commendatur acumine, id quæsivit inprimis Velleius in antithetis, in quibus illud contraria sibi invicem, et quidem non cujusvis oculis obvia, deprehendendo, perspiciendo et concinnando sese prodit. Eadem hæc antitheta regnant quoque in toto scriptoris narrandi genere, v. e. II, 1 pr., 5, 49, 84, 117. Quod vero scriptoribus acumina nimis captantibus accidere solet, ut nonnunquam argutantur, adeoque in frigus putidum et puerile incidant, id quoque Velleio obvenit; vid. I, 16, 18; II, 4, 22. Contra concinnitas orationis, membrorumque congruentia, quod genus est ornamenti oratorium, cuique naturalis comes est oratorius numerus, a Velleio, in sententiis antithetisque maxime, observata, veræ ei laudi ducitur.

Dictionem præterea sectatur Velleius, non solum gravissimam, sed quoque exquisitam, a vulgari recedentem, et insolentia ac novitate lectores afficientem, quam et oratores vel delectandi, vel animi sensus plenius et fortius exprimendi gratia, quærunt. Quasi enim vulgaris dictio impar esset magnitudini sensuum atque vehementiæ, vel nova vocabula et dicendi formulas invenit, v. c. I, 6, *excelsissime floruit*; II, 35, *altissime illuminavit*; II, 64, *os fulgentissimum*; vel frequentativa verba prætulit, vel ad poeticam dicendi rationem adscendit; v. c. I, 16 extr., 18 extr.; II, 4, 21, 59 extr., 66, 69 extr. Ut vero dictionis insolentia suaviter afficeret lectores, qui nove dicta tum forte amabant, captavit vel vocabula non admodum frequentata, adeo antiquiores aliorum formas, vel rariores nec vulgo obvias significationes, vel insolentiorem verborum vel cogitatione, vel grammatica ratione jungendorum modum. Neque contentus in sermonis romani vestigiis institisse, in Græcorum quoque ditionem evagatus est, decerpens inde non solum nominum propriorum formas, scripturam et flexionem, sed etiam loquendi et construendi verba rationes græcas affectans. Quod tamen non sine priorum exemplis, sed nimium magis caventium, fecit.

Quamquam oratoris est, pro sensuum et affectuum modo, vel brevitatem, vel copiam dicendi adhibere, easque Velleium quoque in opere commiscuisse diximus: magis tamen breve dicendi genus ei placuit, seu festinatione et velocitate cogitationis ad constringendam orationem adactus, seu Sallustii exemplo, quem omnes historiam conscribentes a Velleio inde admirari et exprimere cœperunt, invitatus. Oratio enim ejus ita parca est atque concisa, ut vix salvo sensu demi aliquid verbis possit. Contra quidquid incolumi sententia facile abesse poterat, vel quidquid a lectore intelligente et docto facillime poterat mente suppleri, id relegavit ab oratione, et, quantum pro romani sermonis, maxime græca (v. c. in frequente genitivorum usu) imitantis, ingenio fieri poterat, vel plures notiones, earumque inter se rationem, paucissimis verbis constringit, vel plures sententias uno verborum complexu concludit. Ut igitur apud Sallustium, ita apud Velleium frequenter obviæ sunt verborum cujuscunque generis, particularum, nominum, substantivorum æque ac adjectivorum, verborumque ellipses, sed optimorum scriptorum exemplo comprobatæ. Nonnunquam adeo, quod commune est omnibus brevitatis studiosis, vocabulum ex præcedente cognato, sed diversæ formæ, repetendum adsumi jubet, v. c. II, 17, *consul* ad *factus est* ex *consulatum petens*; II, 39, *stipendiaria* ad *facta est Numidia* ex præcedente *stipendium*. Plures deinde notiones vel sub adjectivorum neutris, v. c. II, 84, *meliora et utiliora* pro *partes meliores et utiliores* (conf. II, 49, *illa gloriosa, hæc terribiliora*); vel sub epithetis nominibus adjectis, v. c. II, 24, *externus metus* pro *metus ab hoste externo*; II, 50, *arma principalia* pro *bellum inter principes civitatis*, complexus est. Pari ratione enuntiationem, pluribus verbis absolvendam, uno vel duobus constringit, ut *civium voto major*, II, 40, *in id s. hoc*, pro *eo consilio*, quod e contextu explicandum est, v. c. II, 27, 114, *imperio nostro et suo quærens orbem*, scil. *novum*, II, 46, h. e., *quærens orbem novum, cui nos imperemus*.

et ipse imperet. Nonnunquam eadem dictionis parcimonia rem actam quamdam declarat, ut non nisi lectoribus rerum non ignaris perspicuus esse possit, v. c. II, 46, *invictum par consulum*, scil. in contentione de consulatu cum competitoribus; et mox: *consulatus Pompeii et Crassi non honeste* (h. e. per vim) *petitus;* II, 49, *quum Lentulus salva rep. salvus esse non posset*, scil. ob æs alienum gravissimum contractum. Pluribus denique propositionibus una verborum comprehensione concludendis admodum inserviebat patrius sermo, qui afferebat elegantem et frequentem usum participiorum, adjectivorum participii loco usurpandorum, ablativorum absolutorum gerundiorumque; quorum auxilio Velleius egregie est usus.

Etsi vero brevitas dicendi regnat in Velleii opere, auctor tamen ei non ita se addixit, ut, ubi animus commotus orationis angustias respueret, in arctum cogeret sensus: contra, ubi et perspicuitas rei declarandæ, et gravitas atque magnitudo rei inculcandæ copiam requireret, vim eloquentiæ, quæ hac re continetur, patefecit. Hæc copia inest vel in rebus enarrandis, vel in verbis. Illud genus persecutus est, id, quod caput rei erat, per partes, quæ sensus animumque movendi vim habebant, explicando, ut res eo clarius perciperetur atque ponderaretur. Vid. v. c. II, 22, 66, 70, 106, 120, etc. Eadem animi sensus commotio, quæ illa progenuit, protulit quoque ejusdem sententiæ, quæ graviter scriptorem afficiebat, exaggerationem per novam pluresve similes, v. c. II, 14, 22, 28 extr., 89. Pariter in dictione copia ex eodem animi commoti fonte orta est, cumulatis synonymis seu similibus; v. c. II, 6, 52, 103. In aliis locis, ubi uno verbo defungi poterat, abundantiori dictione numeris et perspicuitati consuluit; huic quidem, *vel* adjecto vocabulo, præcedens magis declarante, v. c. II, 27, *ferri gestarique;* vel proprio, tropicam dictionem explanante, v. c. *animum quateret atque terreret*, II, 110 extr.; *inescandæ illiciendæque multitudinis caussa*, II, 13; *exercitum majorem, quam ut temperari posset, neque habilem gubernaculo*, II, 113; *vel* tropico, altero ejusdem generis clariori, v. c. *hirtus atque horridus*, II, 11; *respublica fluens atque procumbens*, II, 16 extr.; *vel* proprio, altero graviori, ut, *leges perniciosæ et exitiabiles*, II, 18; ita, ut per gradus nonnunquam adscendat, v. c. *oratio, ac vis forensis, perfectumque prosæ eloquentiæ decus*, I, 17; *vel* effectum declarante, ut, *victi afflictique*, II, 17; *caput pro rostris erectum et ostentatum*, II, 19; *vel* adjuncto participio modum rei declarante, ut, *si nomen usquam stantis maneret Carthaginis*, I, 12; *cognomen virtute partum vindicavit*, I, 13; *urbem excisam æquavit solo*, II, 4; *vel* circumscribendo, ut, *temporum claustra*, I, 17; ut *Pindari*, I, 18; *id, super quod adscendi non potest*, II, 53; *præceptorum disciplinæ*, II, 94; *plurimo igne emicans incendium militaris tumultus*, II, 125.

Ad numerum orationis quod attinet, cum Velleius concinnitate membrorum, inprimis in morum notationibus, sententiis, antithetisque probe consecutus est. Vid. e. g. II, 1 pr., 18 pr., 29, 46, 48, 65, 73, 85, 89, 126. Sed huic concinnitati adversantur nimis longæ periodi, disparibus antecedentibus, quibus multarum rerum, ad unum caput pertinentium, ambitum una

verborum comprehensione constrinxit, cum consequentibus brevioribus junctis, vel contrario modo, v. c. II, 18 pr. et med. Ingratum quoque est, deprehendere orationem atque periodos, easque longiores, parenthesibus longioribus discissas (v. l. l. et II, 13, 28, 58), quo fit, ut lectori a rerum nexu et summa distracto, iterata lectione, ad initium sit recurrendum. Sed ut illa membrorum periodi ratio dispar excusationem habet in festinatione scribentis; ita dilaceratio hæc sententiarum per parentheses condonanda vigori memoriæ, res vel temporis, vel caussæ, vel effecti ratione connexas advocanti, neque minus studio in summa parcimoniæ et brevitate notabilia plurima complectendi, nihilque, quod lectorum interesset, rebusque intelligendis illustrandisque prodesset, prætereundi. Numeros quoque auriumque sensum offendit nonnunquam vel earumdem literarum, et syllabarum, vel similiter sonantium recursus, qui Herelii inprimis elegantem sensum insuaviter affecit in locis II, 20. *Itaque, cum ita*, etc., et 35, *inter ultimos interrogatus*. Sed in ejusmodi locis non semper aurium nostrarum judicium valere videtur, quum, quid veterum pronuntiandi declamandive ratio in his voce viva correxerit, minime patet. Deinde etiam scriptori, velociter et cum graviore quodam sensu res volventi, nec satis vacanti verbis et numeris, aliquid indulgendum esse videtur et in his, et in iisdem vocabulis post breve intervallum iteratis. Nam Velleio id quoque genus negligentiæ obrepsit (v. e. I, 2, 4; II, 4, 22, 79, 109, etc.), etiamsi sæpius facillimo negotio variare poterat dictionem, neque, ut nequiret, dicendi tam inops erat. Nam in rebus simillimis declarandis sæpius variandæ dictioni operam dedit, v. e. I, 9 extr.; II, 13 extr., 50, 68, 88, 89, 105, 110, etc., inprimis in morum et ingenii descriptionibus. Sed præter excusationem festinationis, supra dictam, fit nonnunquam, ut jam paulo ante usurpato nullum melius aptiusque occurrat. Nonnunquam vero iterationum ejusdem vocabuli culpa grammaticis et librariis, ut in aliis scriptoribus breviter dicentibus, ita in Velleio danda est. Illi enim vel vocabulum modo descriptum, quod animo obversabatur, repetebant; vel interpretationis caussa margini adscribebant, sive vocabulum e contextu animo repetendum, sive integram sententiam, vocabulum vicinum continens, ut II, 7 extr. Quæ denique iterationes ejusdem vocis gravitati consulunt, eæ per se habent excusationem, adeo laudem, ut I, 12 extr.; II, 35 pr., 98 extr.

Fuerunt, qui latinitatem Velleii reprehenderent, tamquam inelegantem et a munditie ævi Augustei recedentem; sed dictione ejus cum optimorum scriptorum exemplis comparata, facile refutantur. Alii contra, iique elegantiæ arbitri locupletissimi, ut B. Rhenanus, G. J. Vossius et Muretus, Velleium « nulli inter Latinos secundum, castum ac nitidum in dicendo; dictionem ejus plane romanam atque elegantem; historiam ab eo terse inprimis atque eleganter esse explicatam, » judicarunt; quibus adstipulatur Ruhnkenius.

Quodnam priorum historicorum exemplum exprimere studuerit Noster, idem Ruhnkenius in Præf. sub fin. primus verissime observavit. Etiamsi enim ingenium habebat optimorum auctorum elegantia nutritum, ut adeo eorum sententias, colorem atque ornatum nonnunquam fere expresserit; tamen, de-

serto Livio eloquentissimo, cui forsitan novitas sua obstitit, Sallustii æmulationi studuisse, ab hoc, ut Ruhnkenii verbis utar, artificium indolis humanæ describendæ didicisse, hujus imitatione efficacem esse et brevitate nervosum, ab hoc denique totum pendere cum in verbis, tum in orationis structura, est manifestum. Sallustius enim omnibus historiarum scriptoribus inde ab Aruntio, Augusti æquali, scriptore belli punici deperdito, tam mire placuit, ut, in quæ hic ultro inciderat, studiose et temere quærerent, et amputatas sententias, verba ante exspectatum cadentia et obscuram brevitatem pro cultu haberent; vid. Senec. Epist. 114. Ex his Sallustii æmulis forsitan et Trogus Pompeius fuit, quem sententiarum et brevitatis studium ad nimium acuminum argutiarumque aucupium abduxit, qui istud genus, Ruhnkenio judice, ut Ovidius in ligatam, ita in prosam orationem invexit, et Velleio in eo quoque dux fuit atque exemplum.

Addendum quoque est aliquid de chronologia Velleii, ejusque tempora rerum notandi studio. Etiamsi enim oratoriis sensibus et diserti oris sono concinnavit historiam suam præcisam, tamen cujuscunque facti, vel ejus, in quo rerum summa vertebatur, vel quod præcipua memoria dignum habebat, annos, erudiendi lectores caussa, adjecit. Quo in negotio Varronis, antiquitatis Romanorum doctissimi, æram secutum esse, patet ex I, 8 *. Sed, ut decet disertum enarratorem, in tempore signando variat, vel consules anni, in quem res memorabilis quædam incidit, nominans, vel annum talem retro numerans inde a Vinicio, ad quem scribebat, consule, hoc est, inde ab anno U. c. DCCLXXXIII, vel addens nonnunquam etiam in rebus maximi momenti et præcipua memoria dignis ætatem Urbis. Præterea, in transitu quoque ad nova rerum capita, eorum tempus, vel breviter repetitis rebus, in idem spatium incidentibus, vel numeratis annis sive ante, sive post rem modo enarratam præterlapsis, notare solet. Uti vero nobis memoriter narrantibus solet accidere, ut verus annus rei gestæ non succurrat, sed nobis fluctuantibus, in eo, qui a vero non multum aberret, acquiescendum sit, adeo memoria decipiamur; ita Velleio quoque, fastos et rerum annales evolvere non vacanti, memoria frustrato, rerum nonnullarum tempus definire accuratius non licuit. Quo factum est, ut annorum numeris notatis, quasi cavens sibi, frequenter addat illud *ferme*, ubique fere obvium, ut nonnunquam numeris, quos vocant rotundos, acquiescat, atque a vero, qui aliunde constat, anno, ubi hoc fiat, non multum aberret. Sed magnam partem numerorum, qui scriptorem erroris arguunt sive in annorum, sive aliarum rerum computo, librariorum, quos nulla alia re magis aberrasse constat, vitio corruptam esse, facili negotio probatur.

* Dubitare, immo aliter sentire licet. Nam apud Velleium loco citato, I, 8, § 4, lectio non satis certa. Antea quidem, I, 7, § 4, dissenserat Noster a Catone, sed de Capuæ, non de Romæ originibus; alias Catonem sequitur, II, 49, § 2; 65, § 2. Nobis tamen duorum triumve locorum auctoritas non tanti visa est, ut cum doctissimis viris certamen iniremus. Ed.

Jam habes, benevole lector, opusculi Velleii ejusque virtutum vitiorumque descriptionem, non quidem perfectam, scriptorisque indolem satis explanantem (nam seosui tuo, familiaritate cum eo contracta, multum relinquendum est), attamen judicium tuom de Nostro aliquantum moderaturam. Habuit is inter recentiores eruditos, qui vel virtutes vel vitia ejus altius inspexerunt, et laudatores suos, et vituperatores; æquioribus tamen et sapientioribus, iisque longe pluribus, probatus est. Inter Franco-Gallos autem præcipuum admiratorem et felicissimum imitatorem nactus est virum elegantissimum *Hénault*, lectione Velleii indefessum, et opusculi, *Abrégé chronologique de l'Histoire de France* inscripti, et ad exemplum Velleii concinnati, auctorem,. Nostri opus *inimitabile operis historici præcisi exemplar* vocantem; vid. *Mémoires de l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres, tom.* XXVIII, *pag.* 611, *seqq.*

II. DE VELLEII INGENIO, MORIBUS ET FIDE.

Opus Velleii vindicat sane auctori primum ingenii quemdam vigorem, et in cogitando omnino, et in sentiendo, quidquid in quaque re inest non solum magni, grande, animumque percellens, sed etiam quid pulchri atque honesti, idque cum affectu. Deinde haud inconspicuum est ingenii acumen auctoris, quo, quæ multitudinis oculos animumque fugiunt, penitius perspexit, cui vero nonnunquam nimium indulgens, ad argutiarum vitia abreptus est. Hanc ingenii vim ipse tam rerum experientia, vel ex antiqua, vel ex sua memoria hausta, quam doctrina, antiquiorum omnis generis scriptorum lectione comparata, nutriverat. Quarum illa quidem sese aperit vel consiliorum, caussarum at effectorum perspicientia, vel sententiarum, quibus instruit, sapientia: hæc vero elucet ex antiquitatis, sive domesticæ, sive exteræ, non universæ solum, sed etiam in partibus minutioribus, adeo philosophematum (vid. II, 69, 123) unde orationis colorem duxit, cognitione, neque minus ex oratione ad optimorum scriptorum vestigia expressa. Ex his omnibus enata quoque est auctoris prudentia tam apte seligendi et componendi historiæ suæ argumenta, eaque ad commovendos delectandosque lectores enarrandi, sed etiam circumspiciendi de periculo ex opere suo, inprimis e judiciis de rebus personisque propositis, sibi exorturo, cavendique, ne Tiberium eulicosque offendat atque irritet.

Ad animi vero indolem auctoris quod attinet, hominis sane probi, omnisque honestatis studiosi mores præ se tulit. Odit omne nefas, ac turpitudinem, severaque nota animadvertit in homines magnis morum vitiis et flagitiis infames, in Sardanapalos, Marios, Sullas, Cinnas, Clodios atque Curiones, Antonios Plancosque. Contra in virorum magnorum personis non solum

magnas virtutes, publice patefactas, sed etiam mitiores, animi humanitatem et liberalitatem spirantes, in lucem protraxit. Mores et disciplinam romanam, luxuria, avaritia, potentiæ insatiabili cupiditate corruptam, indeque bellorum cædiumque civilium mala, summa cum detestatione deplorat. Pius est erga majores atque cognatos, pius erga patriam, pius et gratus erga omnes, qui de se bene erant meriti, inprimis erga Augustum Tiberiumque, qui ad honores ipsum evexerant.

Qui quum animi pii gratique erga bene de nobis meritos sensus facile nos abripiat ad eorum admirationem studiumque, ut eum gravi affectu in laudem eorum effusi extollamus eos, vitia eorum autem vel taceamus, vel obumbremus, vel adeo expurgemus; fieri solet, ut in adulatorum numero habeamur Idem accidit Velleio, imperatores suos, quorum beneficiis obstrictus est, admiratione et laude prosequenti. Inde apud doctos in adulationis, et quidem abjectæ, crimen incurrit, quum aliorum scriptorum auctoritas hos Cæsares, inprimis Tiberium ejusque amicos, quam severissime notaverit. Horum vituperatorum Nostri princeps est *J. Lipsius*, et in præfatione et in animadversionibus passim eum carpens. Primus contra ejus defensionem suscepit *Ruhnkenius* in præf. editionis suæ, deinde majori cum cura *Jacobsius* in versionis vernaculæ Velleii præfamine, denique quam diligentissime *Car. Morgensternius*, una cum examine locorum de adulatione suspectorum, in *Commentatione critica de fide historica Velleii Paterculi, inprimis de adulatione ei objecta*, quæ editioni nostræ majori præfixa est.

In adulandi autem studium Velleius vertitur non solum, quod Cæsares, domum Augustam, Cæsarumque amicos, præter aliorum historicorum fidem, qui illorum malas artes et nequitiam testantur, vel a vitiis humanis immunes, vel, prætenta ipsis his vitiis honesti specie, humana natura longe superiores ostendat, et, fictis falsis, speciosissima laude exornet; sed etiam quod iniquus sit in eos, qui invisi erant Cæsaribus aulicisque, quodque personarum laudem vituperationemve suam ex gratia odioque, quibus aula eos prosequeretur, temperet; v. c. II, 100, 101, 103, 116, 125, 129, 130. Quam maxime autem offendit Tiberii Sejanique, fœdissimorum hominum, laus; illius quidem adeo per totam imperii Augusti enarrationem ita dissipata, ut potius Tiberii, quam Augusti, memoria tradatur.

Sed ad diluendum hoc adulationis crimen auctori nostro objectum, multa in promptu sunt. *Primum* si Velleius Cæsarum potentiorumque aulicorum laudem adulanter et cum admirationis sensu prædicaverit, id magis seculi, quam ipsius, vitio daudum esse videtur. Etenim omnes fere, qui romani nominis erant, vel beneficiis imperatorum obstricti, vel metu dominationis adacti, inde ab Augusti initiis ad infimam adulationem delapsi sunt. Ea quoque est scriptorum poetarum principum, poetico quidem spiritu excusabilium, æque ac prosaicorum per tempora dominationis imperatoriæ vox perpetua et ita communis, ut servilis animus, quem istæ voces spirabant, vix ab ipsis, vix ab æqualibus sentiretur.

Qui *deinde* penitius intellexerunt illos scriptores, et ipsum Velleium, eos

non fugit liberalis quidam animi istorum spiritus, sed prudenti arte mire temperatus. Velleius enim bene multa dedit, in priori maxime operis parte, liberioris spiritus documenta, quibus veri æquique sensum probavit, et a partium studio alienum se præstitit. Quum enim optimatium caussæ ac partibus addictum se patefecerit, tamen, vel vitiis adversariorum earum partium castigatis, virtutes horum non reticet, potius egregie collandat; contra in optimatibus etiam mores pravos, temeritatem, sævitiam, impotentiam, aliaque vitia agnoscit et vituperat. Id adeo facere non dubitavit, ubi ad Cæsaris et insequentia tempora pervenit, de quibus, ipse post exstinctam libertatem sub unius auspiciis natus, cum prudentioribus sensit, qui rem romanam ad eam temporum necessitatem esse redactam putarent, ut unius imperium communi saluti quam maxime conduceret. Catones adeo, Brutos et Cassios admiratur, eorumque virtutem, fortitudinem, ingenium, inprimis M. Bruti, insigniter celebrat, fortunamque eorum cum gravi sensu enarrat (vid. II, 35, 58, 69, 72); neque tamen, quæ vituperanda erant in Catone, reticet (vid. II, 45, 49), et percussorum Cæsaris ingratum animum atque caussam improbat. Cæsaris adeo errores et imprudentiam tangit (II, 35, 44, 45, 56), neque ea, quæ Augusto imputari poterant, et a nonnullis vere imputabantur, silentio prætermisit; vid. II, 66, 74. Sed in his rebus tractandis ea arte usus est, primum ut in adversariis Cæsaris nimiam caveret laudem, quamque iis tribueret, eam haud immerita vituperatione temperaret; deinde ut Cæsarum errores lenissime tangeret (vid. II, 35); tum ut eorum, quæ hi deliquerant, culpam in alios relegaret (vid. II, 50, 56, 66, 74); denique in his omnino famam judiciaque aulæ sequeretur. Certissimum enim est, Augustum imprudenter facta Julii Cæsaris improbasse, seduloque cavisse. Sequens ita aulæ famam atque judicia Velleius duces quoque habuit scriptores, maxime poetas, ævi Augustei; neque unquam sane magis consilii erat, eorum prudentiam imitari, quam sub Tiberii, suspicacissimi et sævissimi hominis, imperio. Huic vero rei se studuisse, inprimis in virorum personis, invisis Tiberio, dijudicandis ipse prodit (II, 93, 97, 102, 121), ne igitur dubitandum sit, eum in reliquis etiam ex aulæ sententia suam temperasse. Id sane in Sejani laudibus perspicuum est, cujus gratia apud Tiberium florentis tempora quum enarraret, recedendum non erat prudenti scriptori a Principis de hoc homine judicio, ex indolis morumque ejus specie temperato; conf. Tac. Ann. IV, 1, sq.

Metus sane Tiberii atque aulæ rexit Velleium in scribendo, sed non prorsus corrupit ad infimam adulationem, et veræ historiæ depravationem; potius intendit quam maxime ejus prudentiam atque calliditatem, ut, quum semel otium ac silentium, opere suo (incertum, qua ratione ad scribendum compulsus sit) suscepto, fugisset, periculo suo evitato, fidei historicæ, quam posset fieri, satisfaceret. Ubi enim ad Tiberii initia pervenit, primum maxime in iis virtutibus laudandis versatur, quas nemo, neque æqualium, neque scriptorum serioris ævi, qui gravissime eum castigant, denegare ei ausus est, v. c. ingenii dotes, virtutem bellicam, res præclare fortiterque bello gestas, singularem laborum patientiam et officiorum curam, duriorem vitæ disciplinam, mollitiei

luxuriæque fugam, prudentiam ducis, humanitatem erga milites, severitatem erga eosdem miti clementia temperatam, modestiam, civilem animum, libertatisque, quantum sub unius auspiciis fas erat, studium. Vid. Sueton. Tib. 18, 24, 26...30. Neque, quæ de Sejano prædicat (II, 127, sq.) a veritate abhorrent; conf. Tacit. Ann. IV, 1, sq. Deinde vero quum uterque multas virtutes simulanter fingeret, quarum vanitas postea deprehensa est, Velleius vel pravitatem animi eorum obvelatam, pietate erga principem præpeditus, haud perscrutatus perspexit, vel perspectam haud aperire, potius, et vulgi specie obcæcati, et aulæ imperatori faventia, judicia sequi maluit, quum Tiberius, quem sive colebat, sive metuebat, nihil ægrius ferret, quam recludi, quæ premeret arcana pectoris; vid. Tacit. Ann. IV, 71. Abhorret igitur Velleius a recentioribus scriptoribus maxime eo, quod ille in externa magis rerum specie bonesta acquieverit; hi vero, ultimam maxime Tiberii vitam moresque, postea patefactos posterisque traditos, intuentes, nullo periculo tum, quum scribebant, sibi imminente, internos istius sensus animique fœditatem in lucem protraxerint. Tum ne incideret in acta Tiberii vituperanda, atque offensionem, in quam descendendo ad singula facilius incurrere poterat, evitaret, summam tantum imperii ejus persecutus est, excusationem hujus consilii in viva æqualium memoria habens; vid. II, 126, pr. Ita sane fas erat scriptori multa omittere, multa, quæ præterire periculosum erat, breviter attingere, atque honestatis specie ab aula ipsa prætenta obtegere.

Denique non prætereundum est, oratoriæ amplificationi et exornationi, cui Velleius studet, aliquid concedendum esse, ubi adulatoris personam induisse videtur. Illa enim effectum est, ut multa os adulatorium resonent, quibus, ornatu detracto, nil nisi mera veritas subsit.

Neque in vitium verti potest Velleio, quod in Tiberii gratiam justo iniquior esse videatur erga exteros hostes, inprimis erga Germaniæ populos, a Tiberio debellatos, ita, ut eos, qui nunquam Romanis obedierint, armis captis, rebelles dicat, eosdem perterritos tantum, repulsos et dissipatos, pro fractis penitus, victis, atque deditis habeat, omninoque eorum decori multum detrahat. Hoc sane arrogantiæ romanæ est, qua omnes scriptores hujus populi laborant.

Quæ omnia quum ita sint, animus et voluntas ejus profecto adulandi vitio ita corruptus non fuit, ut exueret subito veritatis studium, quod in superiori operis parte prodiderat. Idem potius studium in extrema quoque particula e rerum selectu et callida ratione eas tractandi elucet.

In æstimanda igitur Velleii fide voluntas ejus vera narrandi in dubium vocari nequit; in quantum vero obsecutus ei fuerit, facile ex ejus animi indole, sensibus erga Tiberium et domum Augustam, ex principis, quem enarrabat, ingenio et moribus, temporumque ex conditione, comparatis aliorum auctorum testimoniis, exigi potest.

Idem vero veritatis studium patet quoque in antiquiori historia tradenda ex ratione quam minime temeraria, qua, quæ tradita acceperat, retulerit. Nullius enim, neque celeberrimi auctoris testimonium temere sequitur, sed potius

examinat tradita e rei temporumque ratione, quæque veritati vel consentanea sunt, vel proxima, amplectitur; cujus rei luculentum exemplum exstat I, 7. Deinde aliorum scriptorum, qui vero eruendo, quum possent, operam nullam dederunt, levitatem castigat, II, 53. Denique in scriptorum de eadem re, eaque non manifesta, discrepantia, ne præcipiti judicio suo fallat lectores, diversitate sententiarum notata in medio rem relinquit; vid. II, 21, 27, 48. Quæ omnia sunt scriptoris probi et veritatis studiosi; neque, talem se in reliquis, quæ tradita ab auctoribus retulerit, gessisse, improbabile est, ut in iis, quæ a scriptorum adhuc exstantium testimoniis dissona tradiderit, aliorum deperditorum narrationem bene exploratam sibique probatam secutus esse videatur.

Si vero fides Velleii ex vera tradendi facultate æstimanda est, alia sane ejus est ratio in antiquiori rerum memoria, alia in ævi sui historia. Ad hanc enim quod attinet, æqualis est rerum gestarum inde a C. Cæsaris, Agrippæ filii, initiis (II, 101), earumque plurimis interfuit. Quas vero res ipse non vidit, eas cognitas habere potuit ab iis, qui temporibus interfuerunt, neque exiguas rerum partes egerunt, v. c. a Viniciis aliisque, qui in bello delmatico et germanicis militaverunt, ore traditas. Quo factum est, ut Velleius, his narrandis, multa singularia, quæ aliis non innotuerunt, solus referat. Proximorum vero Augusti temporum, quæ ætatem ipsius superabant, memoriam pernoscere ei licuit, vel ex eorum, qui rerum tum gestarum socii, adjutores, et spectatores fuerunt, viva narratione; vel ex eorumdem talium operibus, v. c. ex Augusti ipsius de vita sua libro, quem laudat II, 59, ex Mæcenatis de rebus Augusti opere, ex Asinii Pollionis bellorum civilium historia; vel ex historicis huic ætati proximis, qui has res pertractarunt, v. c. ex Livio, qui ad Drusi Neronis obitum historiam suam persecutus est, et ex Cremotii Cordi, qui sub Tiberio scripsit (Tac. Ann. IV, 35), annalibus. Ex illorum æqualium Augusto, eique deditissimorum operibus haud dubie magna pars laudis, qua principem illum ornat, famaque aulæ in Velleii libros promanavit, nonnullaque inde fluxisse videntur, quæ apud alios haud tradita, vel aliter, inveniuntur.

In antiquiorum autem temporum memoria fides Nostri constat ex auctorum, quos secutus est, probitate. Hos autem nusquam monstravit, præter Catonem, quem de re Italica et ætate Capuæ urbis confutat I, 7, et Hortensium, ad cujus annales relegat II, 16. Sed alienum a probabilitate non est, Velleium in rebus *romanis*, quos in opere suo (II, 9 et 36) laudat historicos populares, eos habuisse cognitos atque consuluisse, v. c. *Sisennam*, *Cælium*, *Antipatrum*, *Rutilium Rufum*, *Claudium Quadrigarium*, *Valerium Antiatem*, præ cæteris *Sallustium* et *Livium*; illum quidem non solum de Catilinaria conjuratione et de bello Jugurthino, sed etiam de reliquis rebus, quas deperditum illius opus complectebatur. Nam utrumque principem historicorum romanorum sæpius ad verba fere usque expressit. Præter hos etiam alios auctores, qui rerum ævi sui partes egerunt, et acta a se literis consignarunt, adhibuisse in usus suos videtur, v. c. *Ciceronis* scripta, inprimis orationes, ejusdemque et æqualium epistolas, fortitan quoque et acta tabulasque publicas, saltem ab

aliis jam scriptoribus publici juris factas. Ut enim nonnunquam Ciceronem ipsum expressit, ita quoque in pace cum Mithridate per Sullam facta (II, 23), et in Bruti Cassiique edicto (II, 62), verba ipsa talium actorum publicorum secutus esse videtur. In *Græcorum* exterorumque autem historia quosnam auctores habuerit Velleius, ipso tacente nusquam apparet in prioris libri parte superstite; qui si totus superesset, conjectura forsitan aliquid assequi liceret. E Thucydide sane, quem Sallustii magnum exemplar (II, 36) laudat, in Græcorum historia multum proficere potuit; ne tamen eum reliquorum historicorum Græciæ fuisse expertem dicere ausim. Multa quoque rerum græcarum barbararumque e Trogo Pompeio haurire potuit, et fortasse hausit, attamen non perpetuo. Statim enim ab initio recedit a fama, quam secutus est Trogus de Metaponti conditore; vid. Addenda ed. nostræ maj. ad I, 1. Ibi enim et aliis in locis passim, ubi a vulgari memoria recedere videtur, aliam famam a bonis scriptoribus servatam Nostrum secutum esse, eruditorum meaque opella demonstratum est; vid. v. c. Ruhnk. ad I, 4, et Add. nostra ad I, 3 pr., etc.

Firmissimum autem fidei Velleii argumentum est perpetuus fere consensus ejus cum aliis auctoribus, quos consulere de rebus, quas tractat, fas est, quique memoriam rerum haud vulgarem sibi traditam servarunt. In his cum Velleio comparandis et editores jam ante me operam suam posuerunt, et ipse in editione paranda denuo hac de re laboravi, nondum usus Cl. Morgensternii diligentia, qui in Commentatione sua supr. laud. hoc in genere multus fuit. Ita factum, ut multis in locis vel malæ fidei vel adulationis macula, a Lipsio maxime adspersa, a Velleio abstersa sit, atque, si iniqui esse nolimus, Nostrum in reliquis quoque, quibus desint aliorum testimonia, haud improbum esse auctorem, judicandum sit, maxime quum, consideratis temporibus, locis, rebus ac personis, interna, quam vocant, narrationis Velleianæ probabilitas emergat.

Videamus denique, quid damni ista fidei suspectæ et adulationis criminatio, qua ne apud æquales quidem, et proximi ævi homines, temere judicantes, caruisse probabile est, ejus opusculo attulisse videatur. Vidit hoc primus *Herelius* in *krit. Beobacht. über den Velleius*, pag. 7, not., qui inde caussam sibi reperisse videtur, cur nomen scriptoris nostri jam inter veteres obscuratum, ejusque opus haud celebratum fuerit. Apud æquales enim, qui aulæ auram captabant, haud dubie laus eximia Sejano sceleslissimo homini tributa post ejus supplicium famæ Velleii obfuit; sique inter participes consiliorum istius morte luit, auctorem sane talis encomii una cum opere suo detestati sunt. Alia sane pars æqualium, Tiberio infensorum, sprevit scriptorem principem detestabilem serviliter adulantem. Neutra pars neque legendi, neque describendi operis cupida fuit. Qui æquius judicabant, sed pauciores profecto, hi soli occultasse, lectitasse et descripsisse Nostrum videntur, ne in principis sævissimi suspicionem et invidiam inciderent. Ita inter paucos tantum divulgatum Velleii opus, atque posteris, liberius severiusque de Tiberio judicantibus, traditum; neque his vel ob adulationem, vel ob veritatis, Tiberii metu

corruptæ, speciem placere potuit. Ita profecto factum esse videtur, ut Noster infrequentius lectus, descriptus, et nulla dignus memoria sit habitus, etiamsi novam scriptionis formam, virtutibus suis non carentem, invenerit. Attamen insequens ævum haud ignorasse eum, docet haud infrequens aliorum, vel in concinnandis historiæ compendiis, iisque jejunis, vel in dictione ingeniosa, arguta, atque intumescente, Velleii imitatio. Inter quos studiosissimum præ cæteris, sed longe inferiorem æmulum habuit Sulpicium Severum. Sed Lucanum quoque poetam dictionem et sententiarum colorem a Nostro mutuatum esse, facile ex utriusque comparatione cognoscitur.

Tali e contemptu, quo laboravit Velleius, eque codicum ejus raritate intelligitur, cur, præter unicum, idque exiguum fragmentum apud Priscian. VI, pag. 706: *Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon*, nullum aliud repertum sit. Nam fragmentum de Suevorum e Romanis victoria, quod e *Velleii Historia Gallica* excerptum vulgavit Wolfg. Lazius Comm. de Rep. Rom. I, 8, non esse Nostri, sed Galli cujusdam, qui Caroli M. ætate scripserit, docuit jam, præter alios, G. J. Vossius de Histor. Lat. I, 24. Conf. Fabric. Bibl. Lat. tom. II, pag. 22, seq.

III. DE VELLEII CODICE, EDITIONIBUS, INTERPRETIBUS ET EMENDATORIBUS.

Veterum librorum e naufragio unus tantum Velleii codicum, quorum ab initio, ut vidimus, magna paucitas erat, fortunæ beneficio servatus est. Hunc primus invenit *Beatus Rhenanus*, Selestadiensis, vir, sub renascentium in Germania literarum tempora, eruditione, diligentia et fide præcipuus, et veterum libris proferendis et emendandis haud infelix. Latebat Velleii opus usque ad annum MDXV, in pluteis bibliothecæ cœnobii benedictinorum murbacensis, in superiori Alsatia siti. Præter hunc codicem nullus alius repertus est. Nam neque Mediolanensis ille, cujus nanciscendi spem Georg. Merula Rhenano moverat, neque is, quem Labbeus Biblioth. Nov. Mss. in bibliothêca quadam, libro priori integro, inventum memorat, unquam in lucem protracti sunt.

Quæ codicum Velleii jactura in tantum dolenda est, in quantum murbacensis iste liber mutilatum et depravatum Velleium nobis tradidit. Nam ab initio et fine mutilus erat, in medio plurimas habebat lacunas, longe maximam libro I medio, fœdissimisque vitiis ac corruptelis scatebat. Incidisse enim videtur in hominum incuriosorum et insciorum manus, qui vel a situ eum non defenderent, vel folia quædam a fronte et e medio, nescio quos in usus, exsecarent. Præterea alia accessit improba manus, quæ velut membranam tentatura, an, literis expunctis, superscribi posset, in fine nonnulla erasit. Lacunosus etiam erat tam versiculorum, quam verborum omissionibus frequenter

obviis, quæ vel librariorum, sive murbacensis, sive antiquiorum, negligentiæ, vel eorumdem hominum studio lacunas vetustioris exempli in suo, ne mutilus videatur, occultandi debentur. Mendosissimus denique erat, tot et tanta corruptelarum prodigia, quot et quanta unquam in uno codice scriptoris vetusti deprehenduntur, abundantissime referens. Nam descriptus fuit ab homine indoctissimo, qui ne verbum quidem intellexit, negligentissimoque, qui laboris pertæsus, festinanti manu munere suo defunctus est. Attamen ex antiquiori quoque exemplo, unde murbacensis liber exscriptus est, quin etiam ex longe antiquioribus, multa vitia ad recentissimum usque sunt propagata.

Sed uti hæc damna aliorum Velleii codicum auxilio resarciri unquam posse graviter dolendum, ita quoque ipsius codicis murbacensis jactura acerbe ferenda est. Is enim iniquissimo fato, postquam Rhenani cura Frobenii typis exscriptus erat, prorsus disperiit. Nemo enim insequentium editorum librum manu exaratum consuluit, ut post exscriptum Velleium, quod haud raro fiebat in libris typorum notis expressis, velut inutilis abjectus esse videatur. Nam postea in bibliotheca murbacensi repertus non est a Montfauconio, in Biblioth. tom. II, pag. 1175, codices hujus cœnobii recensente. Neque Ruhnkenio, in editione Velleii paranda hunc librum vetustum per amicos Alsatos indaganti, ullum ejus vestigium oblatum est.

Hunc codicem murbacensem Rhenanus, ut operis traderet, ab amico quodam, sed properanter et indiligenter (vid. Rhen. Dedicat.) munere suo fungente, describi curavit, et quinque per annos, dum spes melioris libri nanciscendi, per Merulam mota, affulgebat, ineditum apud se retinuit. Quum vero ederet, operæ pretium haud duxit (nam critica tum ars adhuc erat in incunabulis) ea, quæ critici hodie de libro manu exarato scire interest, referre, nisi paucissima. Neque Burerius, de quo mox dicemus, editionis primæ ad codicis normam castigator, libri vetusti diligentem descriptionem dedit; tamen in notis ad singula scriptoris loca passim codicis habitum, literarum ductus, puncta et correctiones notavit.

Quæ igitur de codicis Velleii indole ex testimoniis Rhenani Bureriique, et conjectura in auxilium vocata constant, sunt fere hæc. Fuisse eum *membranaceum* testatur Rhenanus; sed *vetustate*, maxime in fine, ita *arrosum*, ut vix, quid scriptum fuerit, appareret, refert Burerius in notis ad capita extrema. Deinde *literis minusculis scriptum*, *atque ex tali transcriptum fuisse*, patet *cum* ex vitiorum a librario commissorum generibus, quæ non nisi ex scriptura minuscula originem trahere potuerunt, scilicet ex literis et vocibus ob similitudinem minuscula forma scriptarum permutatis; ex literis et vocibus similibus a vicinis sive extritis, sive additis; et ex erroribus, e compendiis scribendi in minuscula scriptura solennibus enatis; *tum* ex Burerii testimonio, scripturam literæ *a* per *cc*, in libro murbacensi obviam, ad II, 29 extr., referentis: quamquam nonnulla quoque sint vitia, quæ ex majuscularum permutatione in transcribendo e vetustiori libro talibus literis exarato facta, ortum habuisse videantur. Tum non continua serie, sed *vocibus disjunctis* scriptus erat; quod apparet e lectione codicis a Burerio notata, vocabulorumque syllabas perversæ

vel separatas, vel junctas exhibente. Porro *absque punctis et distinctionibus* fuisse testatur Rhenanus; at Burerius sæpius notavit interpunctionem libri sui, quam Rhenani editio deseruerat. Neque caruit in vocibus maxime obviis facilioribusque intellectu *compendiis scribendi*, quæ retulit tum editio princeps, tum Burerii adnotatio. *Orthographiam* autem libri murbacensis *singularem*, *pravam* et *inconstantem* tradiderunt iidem Rhenanus atque Burerius; de qua duplex *ii* simplici litera, ut in *Pompei*, *consili*, scriptum notabilissimum est. *Lacunosum* fuisse, supra jam dictum est; sed *glossarum marginalium* nulla vestigia observavit Burerius, quamquam eas mature in vetustiores codices irrepsisse, et in murbacensem se propagasse, vel a librario murbacensi e suo exemplo intrusas esse, jure suspicantur critici. Denique *correctionum*, non quidem perpetuo, sed in locis fortuito occurrentibus factarum vestigia deprehendit Burerius, v. e. literas superfluas sive erasas, sive puncto deletili superimposito damnatas, correctionem interlinearem, emendationem marginalem, eamque veram, punctum divisibile, inter voces disjungendas superne interpositum.

Corruptelarum autem lectionis sunt innumera, quorum potissimis paucis enarrare fas erit. Insunt et in vocum, syllabarum literarumque vel ob similitudinem ductuum, vel ob scribendi compendium, male a librariis explicitum, permutationibus; et in earumdem aut omissionibus, sive temeritate librarii, sive aberratione oculorum ad vicina similia, sive prava syllabarum disjunctione factis; in literarum et verborum transpositionibus; in verbis ob aberrationem oculorum siva ad præcedentia, sive ad subsequentia iniquo loco aut repetitis, aut occupatis; in compendiosa scriptura perverse intellecta atque explicita; in vocabulorum syllabis vel prodigiose disjunctis, vel copulatis; in nominibus propriis pro appellativis, et contra, indocte habitis et monstrose corruptis; ut taceam alia singularia, et quæ interpunctione neglecta vel perversa peccavit librarius. Quorum vitiorum exempla omnibus fere paginis occurrunt.

Quibus vero sanandis cum aliorum librorum scriptorum ope destituti essent eruditi, ad conjecturam solam confugiendum erat, qua ut restitueretur manus Velleii, editores et interpretes inde a seculo XVI ad hodiernum usque diem laborarunt. Jam recenseamus viros doctos, qui acumine et eruditione sua de Velleio emendando bene meriti sunt.

1520. *Editio princeps* e codice murbacensi, vel potius ex apographo hujus libri non satis diligenter facto expressa, prodiit sub indice:

P. Velleii Paterculi Historiæ romanæ duo volumina, ad M. Vinicium Cos. progenerum Tiberii Cæsaris, per Beatum Rhenanum, *Selestadiensem*, ab interitu utcunque vindicata. In calce: *Basileæ*, in ædibus *Jo. Frobenii*, mense novembri. Anno MDXX, in-fol. min.

Quæ editio, credo, ob exemplarium penuriam, emendi cupidis non sufficientem, mox iterata est. Nam Ruhnkenio ad manus erant duo ejus exempla, quorum discrepantiam ad II, 67, et 78 extr., notavit; quæ an pluribus locis

a se recedant, nondum constat. Utraque autem editio fluxit ex apographo codicis per Rhenani amicum negligenter facto, quod editor quidem deinde cum libro scripto contulit. Nam hoc inspecto facillimum erat multa vitia corrigere, quæ Rhenanus, vel in ipso textu, vel in notis marginalibus, nonnunquam satis feliciter, adeo ut codicis lectionem assequeretur, conjectura sola sanare tentavit. Quæ autem deliquerat scriba Rhenani, isque ipse, codice haud comparato, neglexerat, emendavit *Jo. Alb. Burerius*, qui, dum liber morbacensis apud Frobenium adhuc erat, hunc diligentissime cum editione a prelo recenti contulit, et minutissimam discrepantiam lectionis, syllabarum, literarum, punctorum, et quidquid codex sive corrupte, sive bene, sive clare, sive obscure, vel a prima vel a correctrice manu oculis objiciebat, nullo amore libri sui nullaque invidia Rhenani ductus, summa fide et religione notavit. Quæ omnia, una cum suis conjecturis, quas diligenter a codicis lectione distinguit, ad calcem editionis primæ adjici curavit. Etiamsi vero Rhenanus et Burerius haud pauca correxerunt, tamen magnam emendationum faciendarum messem insequentibus editoribus Velleii reliquerunt.

Proximæ editiones principem illam maximam partem sequuntur, non tamen prorsus nihil, quamquam rarius, tentantes.

1525. *Juntina*, in-8°, cum Justino et Nepote.

P. Velleii Paterculi Historiæ romanæ duo volumina nuper reperta diligentissimeque excusa. In fine : *Florentiæ*, per heredes *Philippi Juntæ*, anno Domini 1525.

Hac editione, primum collata a Ruhnkenio, nonnunquam non solum codicis lectio, sed etiam Rhenani et Burerii, ipsiusque Juntæ, quamquam paucissimæ, conjecturæ receptæ sunt, sed judicio recto non ubique adhibito.

1532. *Avenionensis*, in-fol., curante *Ant. Bohommæo*.

A nemine fere editorum, præter Schegkium, propter raritatem collata, pressius sequitur editionem primam, nonnulla tamen corrumpens, paucissima emendans.

1538. *Parisiensis Vascosani*, quæ adhæret Appiano Alexandrino ex Candidi versione latine excuso, Parisiis, 1538, in-fol.

Hujus editionis lectionem variantem Ruhnkenius etiam primus dedit. Vascosanus vero pluribus in locis, quam priores, editionis primæ textum tentavit, non tam priorum judicia, quam sua, sequens, omninoque lectioni faciliori reddendæ studens. Nec infelix in emendando Velleio insequentium editorum bonas verasque conjecturas occupavit.

Novam vero quasi faciem induit Velleius *editoris Basileensis*, ignoti quidem, sed perdocti et acuti, hominis cura. Ab hoc recensitus Noster adjectus est editioni Scriptorum Historiæ Augustæ, antea an. 1517, ab Erasmo curatæ, nunc repetitæ sub indice :

1546. *Basileæ*, apud *Frobenium*, in-fol.

Vitæ Cæsarum, quarum scriptores hi, C. Suetonius Tranquillus, Ælius

Spartianus, etc., annotationes D. Erasmi Roterod. et Bapt. Egnatii in vitas Cæsarum. Accesserunt in hac editione VELLEII PATERCULI LIBRI II, ab innumeris denuo vindicati erroribus.

Qui titulus male inspectus et intellectus est ab iis, qui hanc editionem, Erasmum, an. 1536, jam defunctum, Velleii castigatorem fingentes, *Erasmicam* vocarunt. Quisquis vero fuerit hic emendator Basileensis, is sane experientia librorum manuscriptorum et vitiorum librariis solennium, antiquitatis cognitione, dictionis elegantioris peritia, et ingenii acumine instructus, inter reliquos editores fere plurimum ad Velleium emendandum contulit; sed ingenii sui impetum magis, quam priorum judicia, secutus, in effrenatam audaciam corrigendi incidit, ut, quod ab omnibus intelligi posset, dandum ratus, vehementiori medicina et sæviori manu in ulceribus sanandis uteretur. Ita factum, ut prope novum et a Rhenaniano diversum Velleium protruderet. Sed quum, si minus manum Velleii, certe tamen, quod intelligi posset, exhiberet, editio hæc basileensis cupide arrepta; Rhenaniana autem, tot ulceribus scatens, neglecta est. Itaque basileensem hanc recensionem repetierunt sequentes editores ad Aldum Manutium usque.

1552. *Lugduni*, apud *Seb. Gryphium*, in-12.
VELLEIUS, una cum Floro a Jo. Camerte recensito, Sexto Rufo, Messala Corvino et Eutropio.

1560. *Parisiis*, apud *Hieron. Marneuf*, in-12 seu in-16.
C. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ LIBRI II, cum eodem Floro, etc.

1568. *Parisiis*, 4 voll. in-8°, quorum in primo Velleius subsequitur Sigonium.
VELLEIUS, inter Historiæ romanæ scriptores, ab *Henrico Stephano* editos, præfixis Car. Sigonii Fastis consularibus.

Post hos de Velleio, non quidem edendo, sed emendando, meriti sunt *Car. Sigonius*, conjecturis suis in Fastis consul. et in notis ad Livium propositis, et *Claud. Puteanus* (du Puy) Parisius, qui animadversiones suas cum Aldo Manutio, nepote Aldi, editionem Velleii paraturo, communicavit. Is Aldus utriusque emendationes, auctoribus non nominatis, Puteano quidem rarissime, pro suis venditavit. Quod quum indigne ferret Puteanus, sua sibi vindicaturus, conjecturas suas collectas edere paravit. Sed morte quum præreptus esset, primum emissæ in lucem sunt in editione Velleii, Tacito adjuncta, Parisiis, 1608.

1571. *Venetiis*, *in ædibus Manutianis*, in-8°.
C. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIUM COS. LIBRI II, ab *Aldo Manutio*, *Paulli F. Aldi N.* emendati, et scholiis illustrati.

Is primus editionem basileensem deseruit, et antiquam lectionem editionis pr. restituere tentavit; in quo tamen nulla certa lege et prudentia usus est. Textus enim Velleii temere conflatus est ex lectione et codicis, et editionis

primæ, eaque depravata, et Juntinæ, cujus vitia typographica adeo repetiit, et editionis Basileensis, in locis quidem vexatis, et ex Burerii nonnunquam et suis ipsius conjecturis, raro felicioribus, nonnunquam temerariis, adeo erroribus. In notis alias, plerumque ineptas atque indoctas conjecturas, ab aliis deinde merito castigatas, proposuit. Tamen inter has felicia quoque inventa protulit. Præter annorum numeros de nominibus propriis restituendis maxime meritus est. Velleio explicando etiam, sed obiter et parce, operam dedit. Denique ei debemus *Petr. Delbenii*, docti et acuti adolescentis, conjecturas, licet paucissimas.

1588. Velleius, cum diversis locorum scripturis, in tomo primo scriptorum historiæ romanæ, a *Frid. Sylburgio* editorum *Francofurti* apud *Wechel*, in-fol.

Textum a typographorum Juntinæ et Aldinæ vitiis purgatum, et editionis pr. et codicis lectione revocata, Basileensisque editoris correctione prudentius recepta, emendatiorem dedit Sylburgius: ipse vero de scriptore castigando parum meritus est.

1589. *Jac. Schegkius* Velleium a se recensitum cum notis *Aldi* et suis edidit *Francofurti* apud *Wechel*, in-12.

Quæ editio est rarissima. Schegkius editione Rhenani, Bonhommæi, Basileensis, Aldi, et conjecturis Sigonii, Puteani, Lipsii et Ursini usus, textui modeste purgando et emendando studuit, rarius autem ipse pro modestia sua, qua Lipsio se admodum probavit, in notis aliquid tentavit. Studuit quoque et dictionis et rerum interpretationi.

1590. *Valent. Acidalius*, witstockiensis, in itinere per Italiam facto, Schegkianam editionem nactus, Paterculum emendandum aggressus est, eumque recensitum cum Velleianarum lectionum libro edidit *Patavii* apud *Paul. Mejettum*, in-12.

Acidalius, homo doctus et acutus, in scriptis libris legendis exercitatus, textum Schegkianum passim priorum Criticorum conjecturis, nonnunquam et suis, quarum certus erat, emendare conatus est. Inprimis non solum editorum vitio obtrusa Velleio, sed etiam alia spuria et suspecta expunxit. Plura vero egregie inventa, quibus Lipsium adeo occupavit, et optimis Criticis ingenium suum et doctrinam probavit, contulit in medium, laborans maxime de dictione Velleiana restituenda et illustranda.

1591. Velleius, cum animadversionibus *J. Lipsii*, typis *Raphelengii* in-8°.

Acidalium excepit inter editores Paterculi Justus Lipsius, vir magnæ sagacitatis, sollertiæ et eruditionis, præclari Critici exemplar, in Nostro emendando se ipso quasi superior. Is emendationibus compluribus in prioribus scriptis antea propositis, et Velleio publice auditoribus exposito, in lucem emisit eum h. a. *animadversionibus suis castigatum*, adjectis a Raphelengio variis lectionibus, ex Aldi et Schegkii editionibus notisque excerptis, et con-

jecturis ex Lipsii docentis ore exceptis : quæ editio sæpius dein repetita est. Omnes vero editiones Lipsianæ non textum ab editore recensitum, sed potius Aldinum exhibent; at in animadversionibus post editorem Basileensem fere plurima, et quidem desperatissima loca, varia ope et arte, mira felicitate sanavit. Eminet Lipsius inter reliquos Velleii emendatores lacunas ab ipso primum observatas bene explendo, et scriptori passim acumen suum reddendo. Plurimas emendationes ex rerum historia, a vestigiis tamen codicis haud recedens, hausit; omnes eruditionis suæ copia firmare conatus est. Idem post Aldum numerorum corruptelis sanandis iterum operam dedit. *Raphelengii* autem, qui priores edd. haud accurate inspexit, fides et sollertia parum laudis meretur, ab ipsoque Paterculus parum profecit.

1594. *Lugduni*, in-8°, C. Velleius Paterculus, cum Aldi Manutii scholiis, J. Lipsii animadversionibus, Jac. Schegkii notis, Vinc. (sic) Acidalii variis lectionibus.

Post Lipsium *Fulv. Ursinus* de Paterculo meritus est, non quidem edendo, sed notulis eum castigando, quarum nonnullas jam in opere *de Familiis romanis*, 1577, proposuerat; eas autem Velleio aliisque historicis subjecit,

1595. *Antuerpiæ*, in-8°, in Fragmentis historicorum romanorum.

In nominibus propriis, quorum multa prodigiose corrupta editor Basileensis, Aldus et Lipsius reliquerant, restituendis præcipue feliciter versatus est, quippe qui veterum titulorum et numorum usu exercitatus erat atque adjutus. Reliqua parca manu et sparsim tantum tentavit.

1596. Apud *H. Commelinum*, in-24, sine notis; ex J. Lipsii recensione. Cf. sup. ad an. 1591.

1600. *Antuerpiæ*, in-4°, ex officina *Plantiniana*, apud *Jo. Moretum*; post Tacitum, a *J. Lipsio* postremum recensitum.

1602. *Francofurti*, ex offic. *Palthoni*, in-12:

Hanc pro iterata Lugdunensi Gallica, an. 1594, habet Burmannus. Textum exhibet Aldinum cum depravationibus omnibus et operarum vitiis.

1607. *Antuerpiæ*, apud *Jo. Moretum*, in-fol. : Velleius, cum notis *Lipsii*, additus Tacito.

1607. *Francofurti*, in-16, Janus Gruterus Velleium edidit cum eruditorum variorum notis atque suis.

Aldinum textum, quem Lipsii editiones revocaverant, deseruit iterum *Janus Gruterus*; Sylburgii, Schegkii, Acidaliique exemplum, non tamen per omnia secutus, sed suo potius judicio usus, scriptorem ad codicis et editionis pr. fidem restituere conatus est. Ipse pauca tantum vere emendavit, potissimum, quod obtrusum scriptori videbatur, resecando; cui sanandi rationi plerumque nimium ac temere indulgebat. Annotatio autem reliqua in politicis et ethica expositione potissimum versatur. Cæterum primus Velleii opusculum in capita distinxit.

1608. *Parisiis*, apud *Chevalier*, in-fol. : VELLEIUS, cum notis variorum, *Rhenani*, *Burerii*, *Manutii*, *Schegkii*, *Lipsii*, *Ursini*, et (quæ primum prodiere) *Claud. Puteani*, additus Tacito a *Car. Auberto*.

Vid. supr. post an. 1568.

1609. Ex rec. *Jani Gruteri*, inter scriptores historiæ rom. lat. a *Petr. de la Roviere* editos *Aureliæ Allobr.* seu *Genevæ*, in-fol. et mox,

1611. Inter scriptores historiæ Augustæ min. a *Grutero* ipso curatos *Hanoviæ*, in-fol.

1614. *Monackii*, in-12, cum annotationibus *Lipsii*.

1615. In epitomis historiæ rom. ex offic. *Plantiniana Raphelengii*, in-16.

1620. *Franequeræ*, in-12 : P. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ LIBRI II, ex recensione et cum scholiis *Auson. Popmæ*.

Textum exhibet praviter recensitum, at notis non contemnendis, quæ chronologica et historica explanant, instructum.

1623. In collectione scriptorum historiæ rom. lat. Genevensi, repetita ex illa 1609, in-fol.

1627. *Antuerpiæ*, in-fol. cum Tacito *Lipsii*.

Repetitio editionis anni 1607.

1630. *Amstelodami*, apud *Jo. Jansson*, in-16, inter historiæ romanæ epitomas.

1632. Inter historiæ Augustæ scriptores lat. minores a *M. Zuerio Boxhornio* editos *Lugduni Bat.* 5 voll. in-12.

Is textum fere repetiit eumdem, quem Popma novissimum dederat, plurimis insuper typothetarum erroribus scatentem. Notulas adjecit paucas, easque tumultuarie conscriptas.

Plus profecit Paterculus a *Gerardo Vossio*, qui lectionem antiquam religiosius revocavit, religioseque vestigiis lectionis antiquæ insistens, modeste bonas emendationes et doctas protulit, scriptorisque verba et res traditas passim bene explicuit. Prodiit ejus editio hoc titulo :

1639. M. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ QUÆ SUPERSUNT, cum notis *Gerardi Vossii G. F. Lugduni Bat.* ex officina *Elzeviriana*, in-12.

Quæ editio ita placuit, ut sæpius in Belgio et Germania repeteretur.

Vossium secuti sunt editores, qui priorum Criticorum conjecturis ad textum Velleii constituendum frequentius usi sunt, quorum primi fuerunt *Jo. Henr. Bœclerus* et *Nic. Heinsius*. Ille quidem typis exscribi curavit Paterculum,

1642. *Argentorati*, in-8°,

Cum notis partim verba et res illustrantibus, partim præcepta vitæ et artis civilis exhibentibus, una cum characteribus politicis et dissertationibus de

D.

Amoenitatis, nec non cum indice rerum et latinitatis ab ipso confecto, qui instar sit Clavis Velleianæ. Repetita est hæc editio ibid. 1663 et 1682; sed omissis iis, quibus redundabat prior, et textu, ut præ se ferebat Bœclerus, puriori; in quo constituendo recipiendum esse putavit, quidquid boni et veri a prioribus editoribus ad sananda vitia codicis et editionis pr. prolatum esse sibi videbatur. Itaque ab omnibus (a Lipsio longe plura), nonnunquam nimis fidenter, nec critico acumine ductus, recepit. Ipse paucissima modo tentavit.

Quæ subsequuntur editiones usque ad Heinsianam 1678, vel ex antecedentibus repetitæ sunt, vel si novi quid in iis adlatum, nihil tamen eo ad emendationem, ad interpretationem parum profecit Velleius.

1644. *Parisiis*, in-12 : C. Velleii Paterculi Historiæ romanæ libri duo, cum annotationibus *Ægidii Lacarri.*

Nullius momenti dicitur Burmanno.

1647. *Amstelodami*, apud *Janssonium*, in-16, in historiæ romanæ epitomis.

1647. *Parisiis*, apud viduam *Jo. Libert*, in-12, ex emendatione *Justi Lipsii.*

1649. Inter historiæ romanæ epitomas, a *Nic. Blancardo* editas *Lugduni Bat.* in-12.

1653. Ex recensione *Gruteri*, in tom. I scriptorum historiæ romanæ lat. *Genevæ*, per *Sam. Chouet*, in-fol.

1653. Cum notis *Ant. Thysii*, et selectis variorum, sed misere detruncatis et fœdatis, *Lugduni Bat.* ex offic. *Franc. Hake*, in-8°.

1654. *Lugduni Bat.* apud *Elzevir*, in-12, cum notis *Ger. Vossii.*

1658. *Parisiis*, in-8°, curante *N. Taverniero.*

Titulus est : C. Velleii Paterculi Historiæ notis illustratæ, quæ ex *Lipsio*, *Vossio*, *Acidalio* et aliis selectæ sunt, per *Nic. Tavernier*, artium doctorem et in regia Navarra professorem. Diu apud universitatis nostræ scholas in usu publico fuit hæc editio, quæ sæpius posthac repetita, ultimum fortasse prodiit anno 1715, apud *Brocas*, in-18, notante *D. Barbier*, a bibliothecis regiis. Ed.

1663. *Argentorati*, in-8°; *Bœcleri* II emendatior : conf. an. 1642.

1663. *Norimbergæ*, in-8° : *Christoph. Adami Ruperti* Observationes ad C. Velleii Paterculi Historiæ romanæ libros II, adjectæ ejusdem dissertationibus ad Valerium Maximum.

Ruperti opera potissimum versatur in Velleio ad usus ethicos et politicos advocando, et præcepta hujus generis in exemplis historicorum et sententiis auctorum similibus conferendis.

1664. *Amstelodami*, apud *Elzevir.* in-12, cum notis *Ger. Vossii.*

1668. *Antuerpiæ*, apud *Plantin.* in-fol., Tacito *Lipsii* additus.
Repetitio ultima editionis anni 1607.

1668. *Lugduni Bat.* ex offic. *Hackiana*, in-8°, cum notis selectis variorum et *Ant. Thysii.*

Repetitio editionis anni 1653.

1675. *Parisiis*, apud *Freder. Leonard*, in-4° : C. Velleii Paterculi Historiæ romanæ libri duo. Interpretatione et notis illustravit *Rob. Riguez* e Soc. Jesu, in usum Delphini.

Editio typorum elegantia, textu sæpissime ad Vossii mentem restituto, et notarum pellucido nitore commendabilis. Interpretatio non francogallica, quamvis ita scripserit alicubi Krausius, sed latina est, conversis in alia sive expressiora sive minus exquisita verbis, quæ in scriptore occurrebant, difficilioribus : quod interpretandi genus a celeberrimo duce Montauserio excogitatum, et in editionibus ad usum Delphini comparatis usitatum fuit. Notæ infra sunt adjectæ, ex Vossio præsertim ac Lipsio desumptæ, hic illic insertis de antiqua maxime geographia satis puerilibus interdum commentationibus. Index in fine copiosus, sed fere notis arithmeticis constans, ideoque parum utilis. Edit.

1678. *Amstelodami*, apud *Elzevir.* in-12 : C. Velleii Paterculi quæ supersunt. *Nic. Heinsius* recensuit et castigationum libellum addidit.

Is in tractandis poetis latinis ut felicissimus erat, ita in Velleio emendando poeticæ rationi, quæ familiarissima ei erat, quamplurimum indulsit. Neque tamen fieri aliter poterat, quin Heinsianum ingenium sagax, critica arte bene exercitatum, et Ovidii, acumina avide captantis, lectione satis nutritum, in scriptore ingenioso et acuto multa recte, eleganter et scite emendaret. In textu Velleii constituendo a Bœclero, partim antiquam lectionem diligentius revocando, partim plura priorum editorum bene inventa, adeo et sua, recipiendo, recedit. In castigationibus autem criticum solum egit; sed crisis ipsa adhibita in explorandis et firmandis suis aliorumque conjecturis, multa quoque attulit, quæ explicandæ dictioni maxime inserviunt. In iisdem quoque aliorum eruditorum popularium conjecturas ineditas, ut *Ortuini*, *Munkeri*, *Perizonii*, *Cuperi*, publici juris fecit. Post editum Velleium ad marginem exempli sui multa loca tum retractavit, tum novis animadversionibus auxit; quas curas posteriores deinde Burmannus cum Velleio suo edidit.

1682. *Argentorati*, in-8° : *Bœcleri* III. Repetitio ed. 1663.

1687. *Francofurti*, in-8°, cum notis *Ger. Vossii.*

1693. *Oxoniæ*, e theatro *Sheldoniano*, in-8°, cura *Joannis Hudsoni* : C. Velleii Paterculi quæ supersunt, cum variis lectionibus optimarum editionum, doctorum virorum conjecturis et castigationibus, et indice locupletissimo. Præmittuntur Henr. Dodwelli Annales Velleiani.

Textus expressus est ex ed. Heinsiana.

1703. *Hanoveræ*, in-12, et *Francofurti*, in-12, cum notis *Vossii.*

1707. *Lipsiæ*, apud *Fritsch*, in-12, cum notis *Christoph. Cellarii*, et indice rerum verborumque.

Is textum Heinsianum ita exprimendum curavit, ut ipsas Heinsii conjecturas complures, interdum temere captas et dubias, reciperet. Notæ leviter sunt corrasæ.

1707. *Francofurti* et *Lipsiæ*, in-12, cum notis *Christ. Junkeri.*

Nullius pretii editio.

1710. *Lemovici*, in-8°, cum versione gallica.

1711. *Hudsoniana* repetita *Oxoniæ*, in-8°, cum annotationum libello.

1712. *Lipsiæ*, in-12, cum *Jo. Georgii Walchii* commentt. ad modum Minellii.

1713. *Londini*, ex offic. *Jac. Tonson* et *Jo. Watts*, in-12, cum variis lectionibus et indice copioso, cura *Mich. Maittaire.*

Nitore potius, quam ingenio et eruditione adhibita, commendatur.

1714. *Parisiis*, in-8°, cum notis *Justi Lipsii.*

Debetur hæc editio curæ et studio R. P. *de Grainville*, S. J. Eidem sane allaboravit homo non incelebris P. *Buffier*, S. J. cujus nomen in privilegio regio scriptum legitur, notante Cl. *Barbier*. Ed.

1717. *Lipsiæ*, apud *Weidmann*, in-12.

Repetitio ed. 1712, cum *Jo. Georg. Walchii* comm. ad modum Minellii.

1718. *Londini*, in-12, recusa ed. *Mich. Maittaire.*

1719. *Lugduni Bat.* in-8° : C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex Historiæ romanæ voluminibus duobus, cum integris scholiis, notis, variis lectionibus, et animadversionibus doctorum, curante *Petr. Burmanno.*

Repetita est hæc editio post Burmanni obitum eodem loco 1744, cum notis novis, quas margini editionis suæ adscripserat, in quibus etiam novas eruditorum conjecturas, quæ ei deinde innotuerant, laudat, v. e. *Warburtoni*, nullius fere pretii, *Eruditi*, qui in *Actis Erud. Lips.* 1721 Burmannianam editionem dijudicavit, et *Christii* in *Noct. Acad.* Spec. I. Burmannus ipse ab editione prima, ubi tolerabilis lectio sibi videretur, haud recessisse profitetur, non tamen abstinuit se a recipiendis priorum Criticorum, Basileensis editoris maxime, conjecturis, ubi vitium editionis illius manifestum erat. In notis et lectionem antiquam priorumque inventa sub examen vocat, et novas, in quibus autem acumen sæpius desideratur, emendationes profert, et dictionem pariter ac res passim explicat. Neque tamen Paterculus omnino ejus ope destitutus est; nam et bonas emendationes, quamvis pauciores, in medium protulit.

Severum censorem invenit Burmannus *Thom. Wopkensium*, qui in *lectio-*

nibus Tullianis, deinde in *Adversariis criticis in Velleium*, quæ expressæ sunt in Misc. Obss. vol. VIII, acerbe eum vellicavit, cuique Burmannus, iracundia exacerbatus, respondit in Misc. Obss. vol. IX. Neque hæc acria contentio, sive ad crisin, sive ad interpretationem Paterculi quod attinet, sine fructu fuit. Dedit enim nobis, præter alia, Wopkeosii conjecturas. Sed multo major sane ille fructus fuisset, nisi utriusque aciem animus graviter perturbatus præstrinxisset.

Æquiores judices nactus est Burmannus in Germania, quos paulo ante nominavimus; quorum alterum, qui in *Actis Erud. Lips.* 1721 Burmanni operam dijudicavit, *Cortium* fuisse suspicatur Ruhnkenius. Is, pariter ac *Christius*, nonnulla quoque Velleii loca critica manu tentavit.

Sub idem fere tempus prodiit *Jo. Schefferi liber ἀνέκδοτος Adversariorum in Velleium* in Misc. Obss. vol. VIII et IX. Sed Schefferus laborat libidine quadam emendandi, quæ depravata non sunt, neque in conjecturis proferendis felix est.

1721. *Edinburgi*, in-8°.

1723. In tom. I epitomarum historiæ romanæ duobus volumin. edit. *Florentiæ*, in-8°.

1725. *Londini*, in-12; repetita ed. *Mich. Maittaire*.

1726. *Parisiis*, in-4° : recusa ed. *Rob. Riguez* in usum Delphini.

1730. Eadem *Londini*, apud *W. Innys*, in-8°.

1731. *Marburgi*, apud *Krieger*, in-8°, cum notis germ. *Sinceri*.

1737. Eadem *Giessæ*, in-8°.

1743 seqq., in tom. II, scriptorum latinorum veterum historiæ romanæ, edente *Bennone Casp. Haurisio. Heidelbergæ*, in-fol. cum figg.

1744. *Lugduni Bat.* apud *Sam. Luchtmans*, 2 voll. in-8°; *Burmanniana* II auctior; cf. an. 1719.

1745. *Londini*, in-12; repetita ed. *Mich. Maittaire*.

1746. *Parisiis*, in-12, apud *Mich. Steph. David*, accurante *Steph. Andr. Philippe*.

1752. Ex editione *Burmanni* fideliter expressa. *Glasguæ*, in ædibus academicis excudebant *Robertus* et *Andreas Foulis*, in-12; elegans editio.

1754. *Parisiis*, in-12 : eadem cum ed. 1746, mutato tantum titulo.

1756. Curante *Jo. Petro Millero. Berolini*, sumptibus *A. Haude* et *J. C. Speneri*, in-8° min.

1756. *Roterodami*, apud *Dan. Beman*, in-8°, cum notis *Burmanni* et variorum.

1762. *Halæ*, sumptibus *Orphanotrophei*; in-12.

1762. *Coburgi*, apud *Ahl*, in-8°, ex recensione et cum commentario perpetuo *Jo. Frid. Gruneri.*

Hanc editionem Grunerus maximam partem ex apparatu editionis Burmannianæ concinnavit. Neque tamen Burmanni vestigia in constituenda textus lectione pressit, sed ad lectionem editionis pr. sæpius, quam codicis (Bureriun enim, Burmanni judicio præoccupatus, sublestæ fidei testem habet) recurrit, et in recipiendis aliorum emendationibus suum secutus est judicium, quod nonnunquam Ruhnkenii sententiam congruentem postea invenit. Eumdem Ruhnkenium, hujus editionis ignarum, occupavit vel in nonnullis, quamvis paucioribus, locis sua conjectura tentandis, vel in firmanda et explicanda seu antiqua lectione, seu correctione a Critico quodam proposita. Cæterum ingenio et acumine Grunerus inter editores Velleii non eminet, nec ubi de suo (quod tamen rarius fecit) edidit, uno fere loco excepto, doctis probabitur. Verum ad explanationem scriptoris non tantum ex aliorum annotationibus bona excerpsit, sed ex suæ etiam eruditionis penu nova attulit. Pariter in usum Velleii advocavit virorum doctorum conjecturas in annotationibus ad alios scriptores propositas, v. c. Marklandi, Arntzenii, Oudendorpii, etc. Merito autem in laudanda editionis pr. et codicis lectione, nec non in enarrandis Criticorum conjecturis, Gruneri desideranda est diligentia.

1769. *Parisiis*, in-8°, cum versione gallica abbatis *Pauli.*

1770. Eadem, *Avenione*, in-8°.

1777. *Parisiis*, apud *Jo. Barboo*, in-12, curante *J. N. Lallemand:* C. Velleii Paterculi Historiæ romanæ libri duo; nova editio ex collatione veterum editorum emendata.

Nitida editio, nudum textum exhibens.

1779. *Lugduni Bat.* apud *Sam.* et *Is. Luchtmans*, 2 voll. in-8°, maj.: C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex Historiæ romanæ voluminibus duobus, cum integris animadversionibus doctorum, curante *Davide Ruhnkenio.*

Prior Tomus continet, Ruhnkenii et priorum editorum præfationibus, et Dodwelli Annalibus Velleianis præmissis, textum Paterculi cum notis integris Rhenani et Bureri, quibus accessit Ruhnkenii ipsius annotatio. Alter vero exhibet omnem editionis Burmannianæ apparatum. Præfationis docta et perita est disputatio de editorum priorum meritis, de ipsius scriptoris adulationis iniquius incusati, moribus, ingenio, dicendi ratione et Sallustium imitandi studio. Contextum vero Velleii religiosius, quam cæteri, ad fidem codicis atque editionis primæ, orthographia adeo ubique servata, dedit, nisi quod pro lectione monstrose corrupta non solum manifestis Criticorum correctionibus, sed etiam suis, locum dedit, notata tamen diligenter lectione vetusta. Nam ubi de emendatione quadam aut non liquido constabat, aut ubi de correctione invenienda desperandum erat, vel codicem vel editionem pr. fideliter expressit; at in notis variorum tentamina cum suis, si quid ingenium ipsi suppe-

ditabat, proposuit et examinavit. Uti vero in his criticum verecundum ac modestum, ita in odorandis vitiis sagacissimum, in sanandis acutissimum egit, ut principibus emendatorum Velleii adnumerandus sit. Quod Rhenani et Burerii notas integras dederit, id gratissimo animo accipiendum, quum a praecedentibus plerumque antiqua lectio et Rhenani Bureriique conjecturæ admodum negligenter et confuse traditæ fuerint. In lucem quoque protraxit aliorum Criticorum, qui obiter vel ad alios scriptores, vel in epistolis, vel in margine exempli sui aliud tentarant, conjecturas, v. c. Perizonii, Davisii, Boherii, Oudendorpii. Cæterum ad elegantiam, acumen et mentem Velleii intelligendam, nec non ad res illustrandas ex elegantissima eruditionis et ingenii copia quam plurima subministravit; inprimis vero et Sallustium, tamquam exemplar Velleii, et Lucanum, Sulpiciumque Severum, ejus imitatorem, in auxilium advocavit.

Ruhnkenii operam in Velleio collocatam diligentissime enarraverunt viri docti inter Belgas in *Biblioth. crit. Amstelod. vol. I, p. 4, pag. 45, sqq.*; inter Germanos et in *Ephemerid. lit. Goetting*, 1779. *Addit. pag.* 119, *sqq.* et in *Biblioth. Univers. Germ. Berol. tom.* XLVIII, *p.* 2, et in *Bibl. philolog. Lips. vol.* I, *pag.* 45, *sqq.* Inter hos populares nostri non solum Ruhnkenii operam exegerunt et dijudicarunt, sed etiam novas conjecturas suas proposuerunt.

— Idem Krausius in præfatione: « Quantum debeam Ruhnkenii disciplinæ, qui annotatione sua in Velleium ingenium criticum, si quid in me est, excitavit, nutrivit, formavit, atque rexit, ut si quid ipse aliter viderim in Velleio aut novi attulerim, ejus institutione et exemplo ductus invenerim, facillime ex annotatione critica et ratione tractandi Velleium apparebit. Pariter quam plurima debeo in explicando Nostro ejusdem amplæ et eleganti eruditioni, quæ ad veram Paterculi et doctam interpretationem fere plurimum idque sanissimum, contulit, ut *difficillimum esset quæ attulerit aut resecare aut prætermittere.* » Krausii præceptum secuti, Ruhnkenium exhibuimus integrum; addidimus quidquid ab eo videbatur omissum; nihil quod ut suum vindicare posset negleximus. Nam totum illum Burmannianæ editionis apparatum, cunctas interpretum adnotationes sive bonas, sive malas, siva abs re alienas, nullo discrimine complectentem, *magis ad molem facere quam ad auctoris usum*, cum Bipontinis arbitrati sumus, et in tanta segete optima eligere maluimus quam omnia congerere. Ed.

1780. *Biponti*, apud *Petr. Hallanzy*, in-8° maj. Velleius Paterculus, novissime emendatus et illustratus studiis Societatis Bipontinæ. Editio accurata.

Editor potius ingenii sui et sensus impetum, quam vestigia codicis et editionis pr. rationem criticam, ingenium auctoris sui, et optimorum Criticorum judicia secutus, non satis felix fuit nec in purgando, ut rebatur, textu, nec in recipiendis virorum doctorum, quos sæpius reticet, conjecturis, nec in reperiendis emendationibus, quas tamen audacter, et nonnunquam tacite, in

contextum admisit. Inter ipsius tamen inventa sunt nonnulla laude non indigna. — Sic Krausius.

Sed justius Argentoratinus editor Bipontinum excusat, « qui multa loca a novissimis Criticis maxime a Ruhnkenio feliciter curata non tentaturus denuo neque horum virorum egregie inventa neglecturus erat, si ad manus ei fuisset Ruhnkenii editio, quam non nisi ex Ephem. litt. Gœtting. cognitam habuit, sub prelo jam sudante Velleio. Cæterum habet, quo ingenio suo gratuletur, quod subinde in easdem cum Ruhnkenio veras conjecturas incidit. » Addimus eum quamvis audaciorem, nonnunquam feliciorem vel posterioribus fuisse; saltem non serviliter priorum vestigiis institisse; et quod fateri juvat, nobis plurimum utilitatis attulisse. Catalogum editionum haud contemnendum dedit. Bipontinam ejus editionem, ipsum vero sæpius Bipontinorum nomine, quod plurali numero loqui soleat, designamus. Ed.

1790. *Mannhemii*, in-8° min., accurate ad optimas editiones recognitus. Sic quidem titulus. Kraus.

1794. *Norimbergæ*, apud *Riegel*, in-12, sine notis; ex recensione societatis Bipontinæ.

1800. *Lipsiæ*, sumptibus *E. B. Schwickerti*, in-8° maj.: C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex Historiæ romanæ libris duobus. Recensere et commentario perpetuo illustrare cœpit *Christ. Dav. Jani*. Continuavit *Jo. Christ. Henr. Krause*. Accesserunt *Caroli Morgenstern* commentatio de Velleii fide historica, etc. et *Jo. Friderici Herel* annotationes criticæ in Velleium.

Hæc Krausiana major est editio.

In præfatione consilium editionis suæ diligenter, et ut solet, docte exponit Krausius. Præfationi subjuncta sunt, addenda et corrigenda; index in notas; prolegomena de Velleii vita, operis indole, codice, editionibus, etc.: Car. Morgensternii commentatio critica de fide historica Velleii. Sequitur textus Velleii cum chronologia marginali, et commentario perpetuo, multiplici doctrina pleno. Volumen claudunt Frid. Herelii annotationes criticæ ad Velleium, et indices rerum memorabilium atque latinitatis. Krausianam editionem nullo partium studio laudamus; ingens adhuc et quo nullum altius monumentum Velleio exstructum est. Notarum pretiosa, quamvis justo amplior moles. In iis quæ ad textum constituendum spectant, vulgo Ruhnkenii opinionibus, tamquam basi aut textu quodam nititur: adhibet cæterorum et suos labores; neo semper plus proficit: nam locorum qui a Ruhnkenio desperati aut relicti fuerant, paucos ita feliciter attigit, ut dubio locus non supersit. Sed præclare meruit de Velleio, historicus ut ita dicam interpres, qui nulla non antiquitatis aut recentiorum temporum opera, quæ quidem ad ejusmodi eruditionem spectant, adierit, in usum converterit, ut quæ circa res et personas lectorem morari poterant, enuclearet; ea vero quæ leviter tantum at cursim a Velleio indicata erant, copiosius explicaret; in quo fortasse nimius fuit. Immensum doc-

trinæ profluviam nemo satis admirabitur; cujus unum est vitium, quod ex eo plurima sine damno detrahi possint. Præterea tot compendiis vocum, notisque numerorum scatet, pæne dixeram, horret, immensum Krausii opus, ut fessa mens lectoris libenter ex ista silva luxuriantibus ramis obsita, nonnihil etiam salebris aspera, in planos facilesque Ruhnkenii campos descendat. Ed.

1803. *Lipsiæ*, Impensis *E. B. Schwickerti*, in-8° maj. : C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex Historiæ romanæ libris duobus. Denuo recognovit, et cum codicis et editionis primæ lectione conjecturisque virorum dd. selectis, nec non indicibus in scholarum usum edidit *Jo. Christ. Henr. Krause*.

In hac editione, quæ Krausiana minor est et usui juvenum destinata, editor passim refinxit textum editionis majoris, ita, ut vel antiquam lectionem revocaret, vel vestigia ejus pressius sequeretur. Singulis paginis subjectæ notulæ, in quibus receptæ lectionis auctores laudantur. Chronologia, margini apposita, subinde emendata est. Prolegomena in arctum contracta, novisque curis elaborata sunt. Indici latinitatis adjecta interpretatio. Argentorat.

1811. *Argentorati* ex typographis societatis *Bipontinæ*, in-8° : C. Velleii Paterculi quæ supersunt ex Historiæ romanæ libris duobus. Editio secunda post virorum præstantissimorum Ruhnkenii et *Krausii* curas emendatior et auctior.

Nihil fere ex Bipontina retinuerunt novi editores. Notæ ad Krausii potissimum mentem exactæ, textum subsequuntur. Dissertationes initio, et in fine index rerum verborumque, ex editione Krauslana minori desumpta sunt: additi vero, ut in Bipontina, Dodwelli annales Velleiani. Ed.

1815. *Hanoveræ*, in-8° : C. Velleii Paterculi Historiæ romanæ libri duo, textu recognito, insigniori varietate lectionum indicibusque adjectis. Edidit Arminius Heimartus Cludius. Adjectæ sunt Davidis Ruhnkenii notæ integræ.

Hanc editionem in se comprehendit *corpus historicorum latinorum*, curantibus DD. Fr. Ern. *Ruhkopf* et Godofr. *Seebode*, in Germania publicari cœptum. Textus non uno in loco etiam post recentiores interpretes denuo tentatus est. Notæ tantummodo lectionum variarum segetem exhibent, quibus interdum editor ipse suas adjicit, haud infelices. Exemplum dedit revocandi in lucem Velleiani, ut ipse putavit, fragmenti. Lætamur, quod in edendis Ruhnkenii potissimum notis ipsi Germani viam nobis præmonstraverint. Cæterum quem ex eorum labore fructum cepérimus editio nostra testabitur. Ed.

Addimus ex Hanoverana sive Cludiana editione eorum nomina qui novissime Velleio aliquid operæ contulerunt.

Hottingeri libellus animadversionum in Velleium, in museo Turicensi 1781, vol. I, tom. II.

Nodelli libellus observationum criticarum. *Campis*, 1781, in-8°.

Everwini Wasserbergh diss. de nominibus hominum ac locorum propriis. *Franeq.* 1790.

Sterke suspicionum criticarum specimen I in actis litt. societatis Rheno-Traject. 1793, tom. I.

Withof Kritische Anmerkungen, etc. *Düsseldorf*, 3 tes Heft.

Gurlitti animadversionum ad auctores veteres specimen tertium, 1806. Continentur conjecturæ criticæ Susii, juris doctoris clarissimi, etc.

Lectionum Velleianarum specimen edidit J. S. Rosenheyn. *Berolini*, 1810, in-4°.

Faehse sylloge lectt. in Gloss. etc. — Accedunt animadversiones in græcos et romanos auctores. *Lips.* 1813, in-8°.

Velleii germanica versio, interprete Friederic Jacobs. *Leips.* 1793, in-8°. — Vir elegans elegantes addidit conjecturas.



ARGUMENTUM

CHRONOLOGICUM

TOTIUS VELLEIANI OPERIS.*

LIBER PRIMUS.

		A. A. C. N.	A. A. U. C.
	Desunt initia.		
Cap. 1.	Post bellum trojanum Græci, variis casibus dispersi, multas condunt civitates.	1191	437
	Epeus in Italia Metapontum,		
	Pyrrhus novum Epiri regnum,		
	Phidippus Ephyram in Thesprotia,		
	Agamemnon in insula Creta Mycenas, Tegeam, Pergamum.		
	Is ab Ægystho interficitur.	1190	436
	Ægysthus deinde ab Oreste, qui et Pyrrhi interfector.	1183	429
	Orestes centum annos natus moritur.	1113	359
	Tyrrhenus in Italiam ex Lydia commigrat.		
Cap. 2.	Heraclidarum reditus in Peloponnesum.	1111	357
	Mors Codri, Atheniensium regis.	1053	299
	Megara a Peloponnesiis condita.	1052	298
	Gades a Tyriis in Hispania,		
	Utica ab iisdem in Africa.		
	Orestis liberi in Lesbo insula considunt.	1096	342
Cap. 3.	Achæi Achaiam,		
	Pelasgi Athenas,		
	Thessalus, natione thesprotus, Thessaliam, occupant.	1110	356
	(Poetarum error, qui Thessalorum nomen iliacis rebus intermiscent.)		
	Aletes Corinthum in Isthmo condit, quæ antea Ephyre.	1081	327

* Chronologiam Velleii, æram Varronis secuti sumus.

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 12. Exstinguendæ Corintho destinatur a senatu consul Mummius	146	608
Tertium punicum bellum a Romanis susceptum,	149	605
Scipio Æmilianus, consul factus,	147	607
Excisa Carthagine, conficit.	146	608
(Pauca de Carthaginis cum Roma æmulatione.)		
Cap. 13. Mors Catonis Censorii.	149	605
L. Mummius victor Corinthum delet.	146	608
(Mummii cum Scipione comparatio.)		
Cap. 14. Excursus de coloniis post urbem a Gallia captam deductis.		
Deductæ coloniæ : Sutrium.	383	371
Setia.	382	372
Nepe.	372	382
Aricini in civitatem recepti.	340	414
Item Campani.	334	420
Colonia Cales deducta.	334	420
Fundani, Formiani in civitatem recepti.	331	423
Item Acerrani.	330	424
Coloniæ deductæ : Tarracina.	327	427
Luceria.	323	431
Suessa Aurunca.	320	434
Saticula, Interamna.	318	436
Sora, Alba.	308	446
Carseoli.	306	448
Sinuessa, Minturnæ.	295	459
Venusia.	292	462
Sabinis data civitas, sine suffragio.	290	464
Deductæ coloniæ : Cosa, Pestum.	273	481
Ariminum, Beneventum.	268	486
Suffragium datum Sabinis.	268	486
Coloniæ : Firmum, Castrum.	265	489
Æsernia.	264	490
Æsulum, Alsium.	247	507
Fregenæ.	245	509
Brundisium.	244	510
Spoletium.	241	513
Valentia.	239	515
Cremona, Placentia.	218	536
Cap. 15. Bononia.	189	565
Pisaurum, Potentia.	185	569
Aquileia, Gravisca.	182	572

		A. A. C. N.	A. P. U. C.
CAP. 15.	Luca, Salernum, Buxentum.	178	576
	Auximum.	158	596
	(Digressio de Cassii censoris theatro.)		
	Fabrateria.	124	630
	Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia (sive Posidonium in Bruttiis).	123	631
	Carthago in Africa, prima extra Italiam colonia.	123	631
	Dertona, in Liguria, incerto tempore deducta.		
	Narbo Martius, in Gallia transalpina.	118	636
	Eporedia in Bagiennia ad Alpes.	100	654
CAP. 16, 17 et 18.	Excursus de summis in qualibet professione ingeniis, circa eadem sæpe tempora et loca nascentibus.		

LIBER SECUNDUS.

		A. A. C. N.	A. P. U. C.
CAP. 1.	Nata ex Africani victoriis romana luxuria, Nasicæ, Metelli, Octavii magnificentia, adolescit.		
	Exoritur Viriathicum in Hispania bellum. . . .	148	606
	Quo perfecto, Numantinum exardescit.	140	614
	Ejus eventus varii, sed consulibus præsertim Pompeio Mancinoque turpissimi.	137	617
CAP. 2.	Interim in Italia Tib. Gracchus rempublicam miscet.		
CAP. 3.	Gracchum Scipio Nasica opprimit: hoc sanguinis civilis initium.	133	621
CAP. 4.	Aristonicus in Bithynia rebellis, a M. Perperna victus.	130	624
	A Manio Aquilio ductus in triumpho, capite pœnas dat.	126	628
	Numantiam tandem P. Scipio Africanus Æmilianus delet.	134	620
	(Laus ejus.)		
	Genere mortis ambiguo obit.	129	625
CAP. 5.	D. Bruti Gallæci, Q. Metelli Macedonici, Q. Fabii Æmiliani res antea gestæ in Hispania.		
CAP. 6.	C. Gracchus eadem, quæ Tib. frater, secutus,	123	631
	A L. Opimio consule morte afficitur, cum Fulvio Flacco filioque ejus	121	633
	Pomponii equitis in Gracchum fides.		
CAP. 7.	(In miseram Gracchorum conditionem, Fulviorumque patris et filii mortem pauca disseruntur.)		

		A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 7.	Quorum interfector judicio publico oppressus Opimius, ...	110	644
	Ut Tiberii quondam oppressores, Rupilius Popiliusque.	132	622
Cap. 8.	C. Cato, Censorii nepos, repetundarum damnatus.	113	641
	Duo Metelli fratres hoc anno triumphant;		
	Sic olim duo Fulvii fratres simul fuerant consules.	179	575
	Minucii e Scordiscis triumphus.	108	646
Cap. 9.	(Excursus de clarissimis illius temporis oratoribus, comicis, tragicis, historicis.)		
	Juvenes Jugurtha Mariusque in iisdem castris tunc militabant.		
Cap. 10.	Censorum Longini Cæpionisque severitas	125	629
	Domitii ex Arvernis, Fabii ex Allobrogibus victoria.	121	633
	(Pauca de Domitiæ gentis honoribus.)		
Cap. 11.	C. Marii ingenium: hic Q. Cæcilium Metellum, bello Jugurthino præpositum, ambitiose æmulus elevat. — Consul creatur.	107	647
	Clarus tamen hoc anno Q. Metelli triumphus.		
	(Cæciliæ familiæ laudatur nobilitas.)		
Cap. 12.	Per L. Sullam quæstorem C. Marius Jugurtha potitur, ...	106	648
	Quem, secundi consulatus initio, in triumpho ducit.	104	650
	Tertius consulatus in apparatu belli adversus Cimbros Teutonosque consumptus;	103	651
	Quarto, Teutonorum gentem excidit, ...	102	652
	Quinto, Cimbrorum;	101	653
	Sexto, urbem Servilii Glauciæ Saturninique Apuleii furore laceratam restituit.	100	654
Cap. 13.	Tribunus plebis, M. Livius Drusus suum senatui decus restituere frustra aggreditur.	91	663
Cap. 14.	Civitatem Italiæ dare molitus, percussus interit. Laus ejus.		
Cap. 15.	Tumescit Drusi morte italicum bellum, ...	90	664
	In quo clarissimi Romanorum duces: Cn. Pompeius Magni pater, C. Marius, L. Sulla, Q. Metellus cognomine Pius.		
Cap. 16.	Italicorum qui præcipui duces fuerint. Laus Minatii Magii.		

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
CAP. 16. Post clades multas paulatim restinguitur a Pompeio Sullaque et Mario italicum bellum.		
CAP. 17. Sub ejus belli finem, consulatum ineunt Q. Pompeius et L. Cornelius Sulla	88	666
Sullæ genus et ingenium.		
CAP. 18. Acerrimus Romanorum hostis Mithridates; Rhodiorum fides in Romanos, Mytilenæorum perfidia. — Sullæ consuli Asia provincia obvenit, repugnante Marii invidia.		
Sullæ circa Nolam morantis imperium per P. Sulpitii artificia abrogatur, C. Mario decernendum; simul interfectus Sullæ gener, Q. Pompeii filius.		
CAP. 19. Reducis in urbem Sullæ crudelitas: jugulatus Sulpitius; exsul Marius, mox captus vinctusque; per varios casus fugit cum filio in Africam.		
CAP. 20. Q. Pompeius consul seditione militum interfectus.		
Cinna in consulatu rempublicam miscere tentat. .	87	667
Deinde consulatu abrogato indignans, patriæ bellum infert; Marium cum filio revocat.		
CAP. 21. Diu partibus medius, Cn. Pompeius tandem cum Cinna confligit; nec multo post decedit: tunc Marius et Cinna urbem occupant.		
CAP. 22. Utriusque post reditum crudelitas:		
Victorum jussu interfecti, consules Octavius et Merula, M. Antonius orator, Q. Catulus, Cimbricæ victoriæ Mario quondam particeps;		
Horrenda in victos sævitia.		
CAP. 23. Secundum Cinna, septimum Marius consulatum init.	86	668
Decedit Marius, in cujus locum suffectus Valerius Flaccus.		
Interim in Achaia Sulla dimicat, Athenasque recipit.		
Mox Asiam minorem ingreditur, unde Mithridatem expellit.	85	669
CAP. 24. C. Flavius Fimbria, sub adventum Sullæ in Asiam, manus sibi affert.		
Romæ interim P. Lænæ, tribuni plebis, furores.		
Fractis externis hostibus, domesticos Sulla redux aggreditur.		
Sed jam fuerat in seditione militum interemptus Cinna.	84	670

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 25. Sullæ Italiam trajicientis modestia.	83	671
Scipionem Norbanumque debellat.		
Cap. 26. Consules Carbo III, et C. Marius filius.	82	672
Is apud Sacriportum pulsus, Præneste cum exercitu petit.		
Romæ Domitius Scævola, pontifex maximus, trucidatur: rursus in Sullanos sævitur.		
Nobilissimum Calpurniæ factum.		
Cap. 27. Pontius Telesinus, dux Samnitium, ad summum discrimen Sullam rempublicamque perducit; mors Telesini.		
Interempto demum juvene Mario, Sulla *Felicis* agnomen sumit.		
Cap. 28. Sullæ Romam ingressi proscriptiones.		
Cap. 29. Pompeii, tunc sua fata auspicantis, genus et ingenium.		
Cap. 30. Perpernæ perfidia Sertorius, jussu Pompeii Perperna interfectus.	72	682
Metellus et Pompeius ex Hispanis triumphant . .	71	683
Hic consul tribunitiam potestatem restituit. . . .	70	684
Bellum servile a Spartaco motum.	72	682
A M. Crasso patratum.	71	683
Cap. 31. Pompeio gerendum adversus piratas bellum lege Gabinia committitur.	67	687
Cap. 32. Hanc legem Q. Catulus in concione frustra dissuaserat.		
Lex judiciaria.	70	684
Lex Roscia.	67	687
Exstinctum a Pompeio piratarum genus.		
Cap. 33. L. Luculli res gestæ in Asia.		
Ejusdem cupiditas et magnificentia.		
Reliquiæ belli Mithridatici, lege Manilia, ad Cn. Pompeium deferuntur.	66	688
Pompeii et Luculli diversæ indoles.		
Cap. 34. In potestatem populi rom. redacta a Q. Metello Creta insula.	67	687
Invito Pompeio, triumphant Metellus et Lucullus.	62	692
Catilinæ conjurationem Cicero exstinguit	63	691
Cap. 35. M. Catonis ingenium;		
Ejus constantia in senatu;		
Mors Catilinæ.		
Cap. 36. Natus Divus Augustus.	62	692

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 36. (Excursus de celeberrimis illius ætatis ingeniis.)		
Cap. 37. Cn. Pompeius Mithridati bellum infert; profugum in Armeniam persequitur.		
Tigranis filios et mox ipse ad Pompeii clementiam confugiunt	65	689
Cap. 38. (Excursus de gentibus a populo romano subactis.)		
Siciliam invadit consul Claudius;	264	490
Provinciam facit Marcellos.	212	542
Africam invadit Regulus;	256	498
Provinciam facit P. Scipio Æmilianus.	146	608
Sardinia a T. Manlio provincia facta.	235	519
(Clausos iterum ab illo consule Janos.)		
Hispanias invadunt Cn. et P. Scipiones.	218	536
Macedoniam Paullus, ...	167	587
Mummius Achaiam, ...	146	608
Fulvius Ætoliam subigit.	189	565
Asiam L. Scipio Antiocho eripit, ...	190	564
Quam postea ab Attalis regibus possessam, tributariam facit M. Perperna.	130	624
Devicta Cyprus.	57	697
Subacta a Metello Creta;	67	687
A Cn. Pompeio Syria Pontusque.	52	692
Cap. 39. Intratas a Domitio Fabioque Gallias;	122	632
Cæsar stipendiarias facit.	51	703
Stipendiaria ab eodem facta Numidia;	46	708
Ab Isaurico Cilicia;	78	676
A Vulsone Manlio Gallogræcia.	188	566
Bithynia a Nicomede relicta hereditaria.	74	680
Stipendiaria facta a Divo Augusto Ægyptus. . . .	30	724
Subacti a Tib. Cæsare Illyrii Delmatæque.	10	744
Ab eodem subacti Rheti, Vindelici, Norici, Scordisci.	16	738
Pannonia domita.	12	742
Cappadocia stipendiaria facta.	.	771
Cap. 40. (Revertitur auctor ad ordinem.)		
Pompeius Medos, Albanos, Iberos, Colchos, Heniochos, Achæos victoriis perlustrat: oppressus tandem ab illo Mithridates.	64	690
Redit Pompeius in Italiam.	62	692
Ejus triumphus.	61	693
(Lex T. Ampii et T. Labieni, tribunorum, de corona laurea Pompeio decernenda.)	63	691

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 40. Fortuna Cn. Pompeii nonnullis invidiosa.		
Cap. 41. C. Cæsar consul.	59	695
Genus ejus et ingenium;		
Quomodo mortem, Sulla dictatore, effugerit; . .	82	672
Idem, adolescens in piratarum manus inciderit;	76	678
Cap. 42. Pecunia redemptus, privata classe piratas debellaverit.		
Cap. 43. Absens pontifex iterum creatus, in Italiam revertitur	74	680
Pauca de Cæsaris adolescentia, ædilitate, prætura, quæsturaque.		
Cap. 44. Inita inter Cæsarem, Cn. Pompeium, et M. Crassum societas : lex Cæsaris de agro campano; Bibuli invidia; decretæ Cæsari Galliæ.	59	695
Cap. 45. P. Clodii ingenium.		
Hujus lege Cicero exsilio multatur, ...	58	696
Qui mox patriæ restituitur.	57	697
M. Cato insulam Cyprum sine bello recipit. . . .	58	696
Cap. 46. Cæsaris in Gallia Britanniaque res gestæ.		
Alterum Cn. Pompeius et Crassus ineunt consulatum.	55	699
Prorogatæ Cæsari Galliæ, Crasso decreta Syria.		
Crassi ingenium; clades morsque ejus; servata populo rom. a Cassio Syria.		
Cap. 47. Sequuntur Cæsaris in Gallia res gestæ, præsertim circa Alesiam.		
Ruptum Juliæ morte Cæsarem inter et Pompeium fœdus.	54	700
Tertius consulatus soli Cn. Pompeio delatus. . .	52	702
Milo, ob occisum P. Clodium, damnatus. . . .	50	704
Cap. 48. Belli civilis inter Pompeium et Cæsarem caussæ.		
Curionis, tribuni, rempublicam tunc maxime miscentis, ingenium.		
Cap. 49. Exardescit civile bellum : utra caussa melior?		
Transit Cæsar Rubiconem	49	705
Cap. 50. Romam ingreditur, unde, frustra tentata pace, Hispanias petere statuit; Massiliæ in Cn. Pompeium fides; Cæsaris in Hispanias adventus. . .	49	705
Cap. 51. Cæsar Cn. Pompeii, Dyrrachium tenentis, castris admovet sua.	48	706

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 51. Colloquia cum Lentulo consule per Cornelium Balbum habita.		
Cæsar, accepta demum ad Dyrrachium clade,		
Cap. 52. Thessaliam petit; sequitur Pompeius; Pharsalica acies; victor Cæsar.		
Cap. 53. Profugus Pompeius in Ægyptum, ubi Ptolemæi jussu trucidatur.	48	706
Laus ejus.		
Cap. 54. Perfidiæ pœnam Cæsar exigit: bellum alexandrinum.	47	707
Africum bellum, ducibus Juba, Scipione, Catone conflatum.		
Cap. 55. Sequitur Cæsar fortunam in Africam, ...	46	708
Et mox in Hispaniam:	45	709
Prælium atrocissimum, quo victor Cæsar; interempti Cn. Pompeius Magni filius, Labienus Varusque.		
Cap. 56. Cæsaris in urbem reditus, clementia, quinque triumphi.		
Conjurationis auctoribus Bruto et Cassio, Cæsar interimitur.	44	710
Cap. 57. Diversa ejus mortis indicia et præsagia.		
Cap. 58. Conjuratis, qui in Capitolium perfugerant, consul Antonius dat fidem descendendi.		
Cap. 59. Cæsaris testamento adoptatus Octavius: laus ejus et ingenium: Romam venit.		
Cap. 60. Adit Octavius Cæsaris nomen; Antonii invidia; corruptum ab Antonio J. Cæsaris testamentum.		
Cap. 61. Octaviani industria.		
Circa Mutinam Antonium debellat, ubi quoque interfecti ambo consules.	43	711
Deserit Antonius Italiam.		
Cap. 62. Pompeianis partibus redit animus: decretæ Bruto Cassioque provinciæ et honores: senatui invisus Octavianus.		
Cap. 63. Transgressus Alpes Antonius, et hostis a senatu judicatus, Lepidi, Planci, Asinii Pollionis exercitus recipit:		
Hoc tempore Juventius Laterensis gladio se interfecit.		
Cap. 64. Jugulatus Antonii jussu D. Brutus.		

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 64. Ciceronis, tribunique Canutii in Antonium orationes.		
Lepidus quoque a senatu hostis judicatus.		
Cap. 65. Inita Cæsarem inter Lepidumque et Antonium societas.		
Consulatum init Cæsar.		
Mira Ventidii fortuna.		
Cap. 66. Instaurant triumviri Sullanas proscriptiones:		
Jugulatus Cicero, cujus præcipue cædis atrocitas defletur.		
Cap. 67. Ab Antonio L. Cæsar avunculus, a Lepido Paullus frater, a Planco Plotius frater proscriptus.		
Cap. 68. (Redit auctor ad ea quæ prius omissa erant.)		
Dum pharsalica in acie J. Cæsar dimicaret, M. Cælius, bellici tumultus auctor, circa Thurios oppressus est.	48	706
Par fortuna Milonis.		
Marulli Epidii, Flavique Cæsetii, tribunorum plebis, in J. Cæsarem dictatorem temeritas. . . .	45	709
Cap. 69. In Asia Dolabella, C. Trebonii interfector, a C. Cassio conficitur.	43	711
Brutus in Macedonia suas C. Antonio Vatinioque legiones extorquet.		
Pauca de Vatinio.		
Capta Rhodus a C. Cassio, devicti a Bruto Lycii, intrata ab utroque Macedonia.	42	712
Cap. 70. Apud Philippos concurrunt Cæsar et M. Antonius cum Bruto et Cassio: mors Cassii, ac deinde Bruti.		
Cap. 71. Messala ad Cæsarem confugit: servatus et Corvinus.		
Multos illud bellum præstantes viros abstulit.		
Cap. 72. Bruti Cassiique diversa quæ fuerint ingenia.		
Cn. Domitii fuga et partes.		
Statius Murcus Sex. Pompeium petit, proscriptorum ducem.		
Cap. 73. Sex. Pompeii ingenium: mare, cui præpositus a senatu fuerat, piraticis sceleribus infestat.		
Cap. 74. In Italiam Cæsar transgreditur, quum L. Antonii consulis, tum Fulviæ armis tumultuosam. . . .	41	713
L. Antonius Perusiam se confert.		
Captus a Cæsare dimittitur.	40	714

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 75. Dux alterius in Campania belli, Tib. Claudius Nero cum uxore Livia fugit: Liviæ genus et fortuna.		
Cap. 76. Laudatur singularis C. Velleii, avi, cum Nerone amicitia.		
Fulviam et Plancum Cæsar incolumes dimittit.		
Pollio Asinius, post multa præclare gesta, M. Antonium petit, cui jungit et Cn. Domitium.		
Regressus in Italiam Antonius pacem cum Cæsare circa Brundusium componit.		
Rufi Salvidieni ambitio, scelestaque in Cæsarem consilia.		
Cap. 77. Pax inita cum Pompeio, qua proscriptis reditus salusque datur.	39	715
Statius Murcus a Pompeio in Sicilia interfectus.		
Cap. 78. Octaviam, sororem Cæsaris, M. Antonius uxorem ducit.	40	714
Siciliam Pompeius repetit; transmarinas provincias Antonius, ubi interfecti a Ventidio Labienus et Pacorus.	39	715
Interim Cæsar in Illyrico et Delmatia militat.		
Calvini Domitii militaris severitas.		
Cap. 79. Bellum Cæsar adversus Pompeium suscipit, cujus apparatibus præpositus M. Agrippa.	37	717
Cæsar, qui jam antea Liviam uxorem duxerat, .	38	716
Bellum Pompeio infert.	36	718
Classis ejus circa Veliam tempestate lacerata.		
Circa Tauromenium accepta clades.		
Victus vicissim Pompeius fugit in Asiam,		
Ubi postea jugulatur a Titio, M. Antonii jussu.	35	719
Cap. 80. Acciti a Cæsare ex Africa contra Pompeium, Lepidi superbia et in Cæsarem temeritas.	36	718
Transit ad Cæsarem Lepidi exercitus.		
Cap. 81. Ortam seditionem Cæsar discutit.		
Adjectum Campaniæ coloniæ supplementum.		
Corona classica donatus Agrippa.		
Cæsaris in urbem reducis munificentia.		
Cap. 82. Antonii ad Orientem militia.	36	718
Ejus in Armenia Mediaque clades et pericula.		
Armeniæ regem Artavasden fraude capit.	34	720
Liberum Patrem appellari se jubet.		
Suadente Cleopatra, bellum inferre patriæ statuit.		

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
CAP. 83. Plancus ab Antonio ad Cæsarem transfugit. . . .	32	722
Mox et Titius.		
CAP. 84. Apud Actium dimicatur, diversis viribus. . . .	31	723
CAP. 85. Pugnæ ordo : victa Antonii classis : tradit quoque se Cæsari terrestris Antonii exercitus.		
CAP. 86. Cæsaris post victoriam clementia.		
Asinii Pollionis fides memorabilis.		
CAP. 87. Alexandriam petit Cæsar, ultimamque bellis civilibus manum imponit.	30	724
Mors Antonii, — Cleopatræ.		
(Excursus de Octaviani clementia in hostes qui tamen fere omnes misera nece occubuerunt.)		
CAP. 88. A M. Lepido, triumviri filio, initum interficiendi Cæsaris consilium a Mæcenate (cujus præconium hic attingitur) exstinctum.		
Serviliæ, Lepidi uxoris, fortitudo.		
CAP. 89. Reversus in Italiam, Cæsar publica lætitia excipitur.	29	725
Laus ejus: sepulta quum civilia, tum externa bella: dictatura constanter repulsa.		
CAP. 90. Pacata tandem Delmatia, perdomitæ Alpes, pacatæ Hispaniæ, provinciæ quondam Romanis cladibus infames.		
CAP. 91. Romana signa remissa *Augusto*.	20	734
(Hoc enim jam antea cognomen Cæsar acceperat.)	27	727
L. Murena et Fannius Cæpio, qui consilium occidendi Cæsaris inierant, oppressi.	22	732
Idem molitus Rufus Egnatius, idem patitur. . .	19	735
CAP. 92. Præclara hoc tempore Sentii Saturnini consulis severitas.		
CAP. 93. Mors M. Marcelli.	22	732
Laus ejus.		
Marcelli uxorem Juliam Agrippa duxit.	21	733
CAP. 94. Tib. Claudius Nero (obiter laudatus) ad rempublicam accedit.	22	732
Præclare ab eo in Oriente gesta.	20	734
CAP. 95. Reversum Neronem, ...	19	735
Cum Druso Claudio adversus Rhetos Vindelicosque Cæsar mittit.	15	739
Eorum victoriæ.		
Planci Paullique censura quæ fuerit.	22	732
CAP. 96. Mortuo Agrippa, nupta eodem anno Neroni		

	A. A. C. N.	A. P. U. C.
Julia.	12	742
CAP. 96. Statim bellum pannonicum per Neronem gestum.	12	742
CAP. 97. Accepta sub M. Lollio in Germania clades, in Gallias Augustum vocat.	16	738
Delegatum Druso Claudio germanicum bellum.	13	741
Laus Drusi Claudii.		
Ei mortuo succedit in Germania Tiberius.	9	745
Triumphat.	7	747
CAP. 98. Ortum in Thraecia bellum, a L. Pisone compressum.	12	742
Laus Pisonis.		
CAP. 99. Tiberius, qui bis consul fuerat, ann. DCCXL et DCCXLVII, bis triumphaverat de Pannonia an. DCCXLII, et Germania an. DCCXLVII, tunc tribunitiæ potestatis Augusto consors factus est.	6	748
Urbem relinquit, Rhodumque petit:		
Discessus hic fuit, non exsilium.		
	POST C. N.	
CAP. 100. Rebelles Parthi Germanique.	1	754
Duobus annis præcesserat domestica Cæsaris calamitas, Juliæ licentia et exsilium.		
CAP. 101. In Syriam missus C. Cæsar,	1	754
Et pax ab eo composita.	2	755
CAP. 102. Vulgata M. Lollii perfidia, mors ejus.		
Mors Censorini.		
Caius in Armenia vulneratus, deinceps animo et corpore segnior,		
In Lycia decedit.	4	757
Item Massiliæ L. Cæsar, quum Hispanias peteret.	2	755
CAP. 103. Reversus Rhodo Tiberius Nero,	2	755
Ab Augusto adoptatur.	4	757
CAP. 104. Adoptatus eodem die M. Agrippa Postumus.		
Missus protinus in Germaniam Nero.		
Velleius historicus Tiberio tunc primum adhæsit.		
Vinicii avi res in Germania gestæ.		
CAP. 105. Intrata Germania.		
Pauca de Sentio Saturnino, qui legatus in Germania tunc fuit.		
Romam Tiberius repetit, in Germaniam post hiemem rediturus.		
CAP. 106. Rursus ab eo res præclare gestæ, secundo anno.	5	758

	A. P. C. N.	A. P. U. C.
Cap. 107. Senioris cujusdam germani in fluminis Albis ripa cum Tib. Cæsare congressus.		
Victor Tiberius urbem repetit.		
Cap. 108. Indomita Marcomannorum gens:		
Ducis eorum Maroboduі ingenium.		
Cap. 109. Quibus artibus vel romano imperio timendus evaserit Maroboduus.		
Hunc aggredi parabat Tiberius:	6	759
Cap. 110. At rebelles Pannoniæ Delmatiæque gentes Romæ terrorem injecerunt.		
Cap. 111. Cujus belli dux Tiberius rem strenue gerit. . .	7	760
Cap. 112. Præclare in Illyrico a Messalino gestum.		
Barbarorum partem Cæsar fame premit, altera in A. Cæcinum et Silvanum Plautium incidit, summaque romani militis virtute profligatur.		
Agrippa Postumus ab Augusto abdicatur, mox periturus.		
Cap. 113. Summa Tiberii prudentia in regendo exercitu.		
Partitis hibernis, ipse Sisciam ingreditur. . . .	7	760
Cap. 114. Tiberii humanum ac mite in milites imperium.		
Pannonia victorem agnoscit, pacem impetrat. .	8	761
Hibernis præpositus M. Lepidus.		
Cap. 115. Alteram Cæsar belli delmatici molem suscipit. .	9	762
Lepidi ex hibernis iter ad Tiberium.		
Pacati Perustæ, et Desitiates, Delmatiæ populi.		
Cap. 116. Germanici Cæsaris, Vibii Postumi, Cornelii Cossi, aliorumque navata hoc bello opera.		
Cap. 117. Vix confecto pannonico et delmatico bello supervenit Variana clades	9	762
Vari ingenium quale fuerit.		
Cap. 118. Inconsulta ejus inter feras gentes securitas.		
Arminii insidiæ.		
Cap. 119 Romani exercitus strages; mors Vari; C. Ceionii nequitia; Valæ Numonii fuga: in Vari corpus hostilis immanitas.		
Cap. 120. Missus in Germaniam Cæsar.		
L. Asprenatis Luciique Cæditii virtus; Caldi Cælii mors egregia.		
Cap. 121. Contusis hostibus, et pacata Gallia, Cæsar Romam repetit; triumphumque ex Pannonis Delmatisque agit.	12	765
Cap. 122. Ejus in honoribus accipiendis modestia.		

	A. P. C. N.	A. P. U. C.
CAP. 123. Misso in Germaniam Germanico, qui reliqua belli patraret;	13	766
Tiberio jam in Illyricum profecturo;	14	767
Nolæ interit Augustus.		
CAP. 124. Civitatis consternatio, præsertim Tiberio imperium diu et obnixe recusante.		
Incipit Tiberii principatus.		
CAP. 125. Germanicum illyricumque exercitus rebellantes, Tiberii consilium, Drusi virtus coercet.		
CAP. 126. Fortunatum Tiberii imperium.		
CAP. 127. Cæsaris adjutor Ælius Sejanus.		
Sejani genus et ingenium.		
CAP. 128. (Excursus de viris, minori loco ortis, quos tamen populus romanus ad honores evexit:		
Ne igitur Sejani favor crimini vertatur.)		
CAP. 129. Romam evocatus a Tiberio Rhascupolis. . . .	19	772
Germanicus triumphat.	17	770
Maroboduus regnis suis extractus.	19	772
Debellati Sacrovir Juliusque Florus, in Galliis rebelles.	21	774
Sepultum africum bellum	24	777
CAP. 130. Tiberii munificentia, liberalitas.		
Drusi Libonis scelerata consilia.	16	769
Filios et nepotem parvis intervallis amittit Tiberius:		
Germanicum scilicet, ...	19	772
Drusum ejusque filium.	23	776
Nurus Agrippinæ, nepotisque Neronis flagitiis dolet.	27	780
Matre orbatur.	29	782
CAP. 131. Velleius Cæsari reipublicæque fausta precatus, historiam concludit.		



C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ,

AD M. VINICIUM,

CONSULEM,

LIBER PRIMUS.



CAP. I. **** TEMPESTATE distractus[1] a duce suo Nestore, 1
Metapontum condidit. Teucer[2], non receptus a patre

1. *Tempestate distractus.* Viri docti bene intelligunt Epeum, ex Justino xx, 2: *Metapontini quoque in templo Minervæ ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum Trojanum fabricavit, ostentant.* Quod nescio an Trogus sumpserit ab Aristotele, Mirabilibus Auscultation. pag. 709: Ἐγγὺς Μεταποντίου, Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἶναί φασιν Ἑλληνίας, ἔνθα τὰ τοῦ Ἐπειοῦ λέγουσιν ὄργανα ἀνακεῖσθαι, εἰς τὸν δούριον ἵππον ἐποίησεν, ἐκείνου τὴν ἐπωνυμίαν ἐπιθέντος. Φανταζομένην γὰρ αὐτῷ τὴν Ἀθηνᾶν κατὰ τὸν ὕπνον ἀξιοῦν ἀναθεῖναι τὰ ὄργανα, καὶ διὰ τοῦτο βραδυτέρας τυγχάνοντα τῆς ἀναγωγῆς, εἰλεῖσθαι ἐν τῷ τόπῳ, μὴ δυνάμενον ἐκπλεῦσαι· ὅθεν Ἑλληνίας Ἀθηνᾶς τὸ ἱερὸν προσαγορεύεται· ubi pro Ἑλληνίας bis scribendum est Ἑλλησίας. Ipse enim Aristoteles significat, Minervæ cognomen inditum esse ab εἰλεῖσθαι, *concludi*, *implicari*, cujus vetustior forma est ἴλλεσθαι, unde Ἑλλησία. Hoc Minervæ cognomen unus, quod sciam, conservavit Hesychius: Ἑλλησίη, ἡ Ἀθηνᾶ. *Myndiæ Minervæ* hæc instrumenta dedicata narrat Lycophr. vs. 950, diversos auctores secutus. Ceterum quod Lipsius putat, etiam Metabum, qui ab aliis Metaponti conditor dicitur, intelligi posse, vereor, ut temporum rationi satis conveniat. Metabus enim, quem Sisyphi filium fuisse tradunt Stephan. Byz. v. Μεταπόντιον, et Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 368, vix potuit cum Nestore ad Trojam militare.

2. *Teucer.* Horatius ad Plancum, lib. 1, Od. VI, vs. 21, et sequent.: « Teucer Salamina patremque Quum fugeret, tamen uda Lyæo Tempora

Telamone, ob segnitiam non vindicatæ fratris injuriæ, Cyprum adpulsus, cognominem[1] patriæ suæ Salamina[2] constituit; Pyrrhus, Achillis filius, Epirum occupavit:
2 Phidippus[3] Ephyram in Thesprotia[4]. At rex regum Aga-

populea fertur vinxisse corona, Sic tristes affatus amicos: Quo nos cuuque feret melior fortuna parente, Ibimus, o socii comitesque! Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucro; Certus enim promisit Apollo Ambiguam tellure nova Salamiua futuram. O fortes, pejoraque passi Mecum sæpe viri! nunc vino pellite curas: Cras ingens iterabimus æquor.» Historiam post alios babes apud Virg. Æn. l. I, v. 619, et Just. XLIV, c. 3, a quo et *Jupiter* Salaminius, cui templum posuit Teucer. Tacitus, Annal. III, 62. SCHEGK. Quæ hic facta memorat Velleius conjicit Teucer apud Sophocl. in Ajace, quum Telamonis iram adversus venientem sine fratre, sibi figurat. Inter alia veluti *παράφρασιν* Velleianorum verborum habent illa: Ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακόν; Τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον, Τὸν δειλίᾳ προδόντα καὶ κακανδρίᾳ Σὲ φίλτατ' Αἴας, ἢ δόλοισιν, ὡς τὰ σὰ Κράτη θανόντος, καὶ δόμους νέμοιμι σούς. Τοιαῦτ' ἀνὴρ δύσοργος ἐν γήρᾳ βαρύς. Ἀρεῖ, πρὸς οὐδὲν εἰς ἔριν θυμούμενος. Τέλος δ' ἀπωστὸς γῆς ἀπορριφθήσομαι, etc. Vide de historia amplius, præsertim Servium, ad Virg. Æn. I; Justin. LXIII, 3; Dict. Cretens. lib. VI; interpretes Horatii, ad od. 7, lib. I. BOECLER.

1. *Cognominem*. Editio prima, *cognomine*, quod correxit editor Basileensis.

2. *Salamina*. Apud Græcos Latinosque passim hæc historia. Illud nota non indignum, tempore Isocratis, Teucri genus adhuc fuisse in Cypro regno. In Evagora: Τεῦκρος δὲ, ἐπειδὴ Τροίαν συνεξεῖλεν, ἀφικόμενος εἰς Κύπρον, Σαλαμῖνά τε κατῴκισεν, ὁμώνυμον ποιήσας τῆς πρότερον αὐτῷ πατρίδος οὔσης, καὶ τὸ γένος τὸ νῦν βασιλεῦον κατέλιπε; « Teucer vero, postquam una cum aliis Trojam cepisset, veniens Cyprum, Salamina ibi condidit. cognominem veteri suæ patriæ, et genus, quod nunc ibi regni potitur, reliquit.» LIPSIUS. Vide Meurs. de Cypro, II, 16.

3. *Philippus*. Quidni in textum reciperemus *Phidippum* pro *Philippo?* cui nullum his locum esse, doctis primum animadversum est. BOECLER. *Phidippum* Thessali patrem, et Heraclidem fuisse docet scholiastes Apollon. Rhod. III, 1089, et *Thessalum* Herculis filium Noster mox, cap. III, dicit, ut et Dictys Cret. lib. I, cap. 14, et XI, cap. 5, qui fratrem Phidippi *Antiphum* vocat, an hic sit *Phidippus*, quem inter Helenæ procos recenset Hyginus fab. 81 nescio. Sed verosimila puto. BURMAN. — *Philippus* editio prima. *Phidippus* restituit Aldus nepos ex Homero, Il. B. 678. Sæpe sic erratum esse in hoc nomine, docent Lipsius ad hunc locum et Wesseling. ad Diodorum Siculum, V, p. 373.

4. *Ephyram in Thesprotia*. Differentiæ caussa addit *in Thesprotia*, quum plura hoc nomine loca legantur, de quibus Steph. in Ἐφύρα, quæ et Ἔφυρα. Adde infra I, 2, 3. BOECL.

memnon, tempestate in Cretam insulam rejectus[1], tres ibi urbes statuit, duas a patriæ nomine[2], unam a victoriæ memoria, Mycenas, Tegeam[3], Pergamum; idem mox, scelere patruelis fratris Ægisthi, hereditarium exercentis in eum odium, et facinore uxoris oppressus, occiditur. Regni potitur Ægisthus per annos VII; hunc Orestes, 3
matremque, socia[4] consiliorum omnium sorore Electra, virilis animi femina[5], obtruncat; factum ejus a Diis comprobatum, spatio vitæ et felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis XC[6], regnavit LXX: qui se etiam[7] a Pyr-

1. *Tempestate in Cretam insulam rejectus.* Omnino *dejectus* legendum cum Drakenborchio ad Liv. XXIII, 34. Quod confirmat Zenobius, Proverb. v. 50: Ἀγαμέμνων, ὥς φασὶ, χειμασθεὶς κατηνέχθη εἰς Κρήτην. *Dejici* elegans et legitimum verbum esse de navigantibus, qui ab instituto cursu depelluntur, docent interpretes ad Liv. l. c, et ad XLIV, 19. Tacit. Annal. II, 60: *Qua tempestate Menelaus, Græciam repetens, diversum ad mare terramque Libyam dejectus.* Pro quo idem *detrusus* dicit Hist. II, 8: *Vi tempestatum Cythnum insulam detrusus.* Utroque frequentius est *deferri*, quo, ut meliorum testimonia mittam, in re simillima utitur Servius ad Virgil. Æn. III, 133: *Æneam vero Cretam tempestate delatum, locum Trojæ nomine Pergamum appellavisse.* Sic ille locus legendus, non, ut Jo. Meursius de Creta, cap. 13, p. 51, interpolavit: *locum Trojam nominè, urbem Pergamum appellavisse.*

2. *Duas a patriæ nomine.* Ex editione Juntina operarum socordia excidit *duas*, et error propagatus in editione Aldi nepotis.

3. *Tegeam.* Edit. prima, *Tegæam.* Stephan. Byz. in v. Ἔστι καὶ Τεγέα ἐν Κρήτῃ, ὑπὸ Ταλθυβίου κτισθεῖσα. Hujus urbis mentio, in libris rarissima, sæpe in nummis reperitur. Vide Pellerinum, de Num. Popul. et Urb. t. III, p. 73.

4. *Socia.* Alias, *cum socia.* RHEN. Inanem Rhenani conjecturam recepit Juntina. *Conscia*, ut Lipsius volebat, dedit Vascosanus.

5. *Virilis animi femina.* Sallust. Catil. 25: *Sempronia, quæ multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat.* Vide nostrum Sallustium, pag. 43. Similiter Velleius II, 74: *Uxor Antonii, Fulvia, nihil muliebre, præter corpus, gerens.*

6. *Vixit annis* XC. Veram esse Velleii chronologiam, egregie demonstrat Bachetus ad Ovid. epist. VIII, p. 364, addens, se huic scriptori, ubi partium studium et adulationem procul habeat, tribuere plurimum.

7. *Qui se etiam.* Non male Wopk. Misc. Observ. VIII, p. 21, *quin se etiam.* Sic est, II, 6: *Quin alterum etiam continuavit tribunatum;* II, 18: *Quin etiam Q. Pompeii consulis filium*, etc.

rho, Achillis filio, virtute vindicavit; nam, quod pactæ ejus[1], Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias
4 occupaverat, Delphis eum interfecit. Per hæc tempora Lydus et Tyrrhenus[2] fratres, quum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patria decederet; sors Tyrrhenum contigit[3]: pervectus in Italiam[4], et loco, et incolis, et mari, nobile ac perpetuum a se nomen dedit; post Orestis interitum, filii ejus, Penthilus[5] et Tisamenus, regnavere triennio.

1 II. Tum, fere anno octogesimo post Trojam captam, centesimo et vicesimo, quam Hercules ad Deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi

1. *Paotæ ejus*. Aldus nepos bene corrigit, *pactæ ei*; quod etiam placebat Dukero ad Liv. XLIV, 30. Ceterum in hac historia, a multis tradita, laborat Tzetzes ad Lycophr. 1374: αὐτὸς δὲ μετὰ τῶν ἀδελφῶν ἀνελὼν Νεοπτόλεμον τὸν Ἀχιλλέως, ἔγημεν Ἑρμιόνην, ἐξ ἧς γεννᾷ Τισαμενόν. Scribendum: μετὰ τῶν Δελφῶν. Vide eumdem ad vs. 1232.

2. *Lydus et Tyrrhenus*. Sic omnes fere scriptores, quos Wassius ad Fragm. historic. p. 222, laudat, inde ab Herodoto, I, 94, tradunt. Strabo, in hujus rei narratione, V, p. 335, labem suscepit, quæ magni Casaub. acumen fefellit: Ὁ Ἄτυς... κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τὸν δὲ Τυῤῥηνὸν, τὸν πλείω συνελθὰς λαὸν, ἐξέστειλεν. Repone: τὸν πλείω συστήσας λαὸν, quod Eustathius, qui Strabonem ob oculos habuit, planissime confirmat ad Dionys. Perieg. 347: Καλοῦνται δὲ Τυῤῥηνοὶ, ἀπὸ Τυῤῥηνοῦ Λυδοῦ, υἱοῦ Ἄτυος, ὃ πολὺν λαὸν ὁ πατὴρ συστήσας ἐν καιρῷ λιμοῦ ἐξέστειλεν. — V. Tacit. Ann. IV, 55, t. I, p. 475 nostræ editionis.

3. *Sors Tyrrhenum contigit*. Rarissima loquendi forma. Septimius, *de Bell. Troj.* V, 13: *Alii, ut quemque sors contigerat, prædam, aut ex captivis, quantum pro merito distribuebatur, habuere.*

4. *Pervectus in Italiam*. Hoc quum paulo abruptius dicatur, Muncker. apud Heinsium malit: *Is pervectus*. Certe pronomen *is* facile hauriri potuit a præcedenti syllaba. Sed est simillimus locus, I, 12; *Consul creatus est. Bellum Carthagini intulit*; nisi ibi quoque *est* in *is* mutare velis.

5. *Penthilus*. Editio prima, *Penthelus*. Sæpe *e* et *i* in veteri Codice confunduntur, ut mox *Teminus* pro *Temenus*.

imperii fuere Temenus, Cresphontes, Aristodemus, quorum atavus[1] fuerat. Eodem fere tempore[2] Atheuæ sub regibus esse desierunt : quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus. Quippe, quum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores; deposita veste regia, pastoralem cultum induit[3], immixtusque castris hostium[4], de industria rixam ciens[5], imprudenter interemptus est[6]. Codrum cum morte æterna gloria, Athe- 2
nienses secuta victoria est[7]. Quis eum non miretur[8], qui his artibus[9] mortem quæsierit, quibus ab ignavis vita

1. *Atavus*. *Abavus* legunt Meurs. de Regn. Lacun. cap. 6, et Scaliger, Anim. ad Euseb. p. 58. Recte. Quis enim, iu tam facili lapsu, nou citius librarium errasse, quam scriptorem parum accurate lucutum, credat?

2. *Eodem ferme tempore*. Exemplar vetustum habet : *Eodem fere tempore*. Burer.

3. *Pastoralem cultum induit*. Non eumdem Codro habitum tribuunt veteres scripturea, quos congessit Maursius, de Reg. Atben. iii, 12. *Veste famulari, se in medios immisisse hostes*, scribit Cicero, Tuscul. Disp. i, 48, ubi Burmannum, *veste manipulari* legere tentantem, bene refellit Davisius. Ἐν εὐτελεῖ σκευῇ ὡς ξυλιστὴν, cum aliis scholiastes MS. ad Platonis Sympos. p. 330. Πενιχρᾷ στολῇ ὡς γῆς ἐργάτην, vetus scriptor apud Suid. v : Ἀδελώσας, cujus locum recte ad Codri historiam retulit Jo. Taylor. ad Lyc. c. Leoc. p. 335.

4. *Immixtusque castris hostium*. Tacitus, Hist. ii, 88 : *et effusa plebes totis se castris miscuerat*.

5. *Rixanincies*. Puto legendum, *rixam injiciens*. Rhenan. Ego vero *rixam ciens* legeudum puto, literis vetusti exemplaris propius iuspectis. Sic euim habet *rixam·ncies*, interposito iuter *rixam* et *ncies* puncto divisibili, et transposita *n* litera. Burer. *Rixam injiciens* recepit Junta; idque placet Burm. ad h. l. et Drakenb. ad Liv. iii, 64; *rixam ciens* Basileensis editur, cujus exemplum secuti sumus.

6. *Immixtusque.... interemptus est*. Sic legitur et distinguitur in editione prima. Sed Acidalius, transposita voce *imprudenter*, optime interpungit : *immixtusque castris hostium, de industria rixam ciens, imprudenter interemptus est*. Quod, in tanta evidentia, recipere non dubitavi. Male Vascos. impudenter rix. c.

7. *Athenienses secuta victoria est*. Sallust. Fragment. i, p. 363 nostræ edit. : *ubi malos præmia sequuntur*.

8. *Quis eum non miretur*. Scribendum : *Quis enim eum non miretur*; *enim* facile excidit ob simile *eum*.

9. *His artibus*. Vestis mutatione, ut ii, 41.

quæri solet? Hujus filius Medon primus archon Athenis fuit : ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ : sed ii[1], insequentesque archontes, usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant. Peloponnesii[2], digredientes finibus Atticis, Megaram[3], mediam Corintho Athenisque urbem, condidere. Ea tempestate et Tyria classis, plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino[4], insulam circumfusam[5] Oceano, perexiguo a continenti divisam freto, Gades condidit : ab iisdem post paucos annos in Africa Utica condita est[6]. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, jactatique cum variis casibus, tum sævitia maris, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam[7].

1 III. Tum Græcia maximis concussa est motibus.

1. *Sed ii.* Editio prima, *sed hii.*

2. *Peloponnesii.* Editio prima, *Peloponnesi*, ut I, 9, *Octavi* pro *Octavii*; II, 7, *Opimi* pro *Opimii*, et passim.

3. *Megaram. Megara* melius videtur Heinsio; sed feminina forma est apud idoneos scriptores, quos laudant Duker. ad Liv. XXXI, 22, et Oudendorp. ad Sueton. Tiber. 4.

4. *In extremo nostri urbis termino. In* abjiciendum, ut hæc per appositionem, quam grammatici vocant, accipiantur.

5. *Insulam circumfusam.* Editio prima, *insula circumfusam*, quod correxerunt Junt. et editor Basil.

6. *Utica condita est.* Etsi Velleius, non quidem singulis paginis, ut Voss. ad I, 6, et Burmannus, ad II, III, scribunt; sed tamen frequentius (certe ut nunc est), easdem voces iterat, quam diserti scriptores facere solent, displicet tamen verbum *condere* tam paucis versibus ter repetitum. Malim : *Utica constituta est.* Mela, I, 11 : *constituta urbs miræ magnitudinis Babylon.* Ipse Velleius, I, 4 : *cognominem patriæ suæ Salamina constituit*; I, 1 : *urbesque constituere Ephesum, Miletum*; ibid. *tres ibi urbes statuit.* Æque frequens est *ponere urbem.* Vide interpretes ad Virgil. Æn. II, 295; et ad Ovid. Metam. III, 13.

7. *Sedem cepere circa Lesbum insulam.* Heinsius, ad cap. seq. emendat : *sedem cepere Lesbum insulam, circaque*; cujus rationem probat Cortius, ad Sallust. Catil. 30. Ceterum Lipsius aliud agebat, quum negaret, ullum se auctorem habere de Lesbo ab Orestis liberis occupata. Pindarum, Strabonem, Pausaniam, Athenæum, alios, testes citat Bachetus, non vulgari eruditione de hac colonia disputans, ad Ovid. Ep. VIII, p. 370.

Achæi, ex Laconica pulsi, eas occupavere sedes, quas
nunc obtinent: Pelasgi Athenas commigravere: acerque
belli juvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius,
cum magna civium manu, eam regionem armis occu-
pavit, quæ nunc ab ejus nomine Thessalia appellatur,
ante Myrmidonum vocitata civitas. Quo nomine mirari 2
convenit eos, qui Iliaca componentes tempora[1], de ea
regione, ut Thessalia[2], commemorant: quod quum alii
faciant, tragici frequentissime faciunt; quibus minime
id concedendum est: nihil enim ex persona poetæ, sed
omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt;
quod si quis a Thessalo, Herculis filio, eos appellatos
Thessalos dicet, reddenda erit ei ratio, cur nunquam
ante hunc insequentem Thessalum, ea gens id nominis
usurpaverit. Paulo ante Aletes[3], sextus ab Hercule, 3

1. *Iliaca componentes tempora.* Exquisite pro, res Iliacis temporibus gestas narrantes. Tacit. Annal. I, 1: *temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia*; Hist. II, 101: *Scriptores temporum. Componere* sic etiam est, I, 5: *belli, quod composuit, Troici. Condere* dicunt alii apud Burm. ad Albinovan. ad Liv. 343, qui in transitu sic emendandus: *Femina digna illis, quos aurea prodidit ætas.* Vulgo editur: *quos aurea condidit ætas. Prodere* et *condere* sæpe confusa, ut ap. Ovid. Rem. Am. 465.

2. *Ut Thessalia.* Vid. Scaliger. Anim. ad Euseb. p. 20, et Perizon. Diss. de Dictye Cretæ, parag. 26.

3. *Aletes.* Sic editio prima, quæ grave mendum suscepit in hoc nomine, I, 13, *Corinthum post annos* DCCCCLII, *quam a Belete Hipponis filio erat condita, funditus eruit.* Valck. ad Hesych. t. I, p. 1005, in Velleio male scribi dicit *Heletes.* Sed error est Aldinæ, non editionis primæ. Aletem sextum ab Hercule ponit Velleius, quintum Apollodor. II, 3; Pausan. II, 4, et schol. Pindari Olymp. XIII, 17, quem numerum præferunt Lipsius, ad h. loc. Scaliger, Anim. ad Euseb. p. 58, et Wesseling. ad Diodor. Sic. Fragm. p. 635. De Alete hæc habet Etymol. M. p. 61, 50: Ἀλήτης. ὁ Ἡρακλέους ἀπόγονος, ὁ τῆς Κορίνθου βασιλεύς, υἱὸς δὲ Ἱππότου· ἀφ' οὗ καὶ οἱ Κορίνθιοι Ἀλητίδαι. (Respicit Callimach. Fragm. 103) εἴρηται ὅτι ὁ Ἱππότης διὰ τὸν Κάρνιδος θάνατον, ὑπὸ τῶν Ἡρακλειδῶν ἐκβληθεὶς, καὶ ληστεύων, ἔσχεν αὐτόν: ubi pro ληστεύων scribendum esse ἀλητεύων, clarum est ex Conone, Narr. 26: ὁ δ' Ἱππότης ἀλώμενος τίκτει παῖδα, ἐκ τοῦ πράγματος Ἀλήτην καλέσας. Aletem, postquam regno Corinthi excidisset, reditum tentasse, narrant Zenobius, III, 22; et Hesych. v. Διὸς Κόρινθος,

Hippotis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem[1], in isthmo condidit: neque est, quod miremur ab Homero nominari Corinthum; nam ex persona poetæ et hanc urbem, et quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo post Ilium captum conditæ.

1 IV. Athenienses in Eubœa Chalcida, Eretriam[2] colonis occupavere: Lacedæmonii in Asia Magnesiam[3]. Nec

a quorum narratione in nonnullis discrepat scholiastes Pindari, Nem. VII, 155. Aletem filium et Hippotam patrem temere confundit scholiastes Callimachi, ad Hymnum in Apollinem 71, ubi vide cl. Ernestum. Apud Tzetz. ad Lycophr. 1388, male scribitur Ἱππότας ὁ Ἀλήτης pro Ἱππότα ὁ Ἀλ.

1. *Claustra Peloponnesi continentem.* Interpretes ad h. l. variis modis vexant verbum *continentem*. Davis. ad Cæs. de Bell. Gall. VII, 11, explicat *contingentem*, significatione Latinis inaudita, nec melius Oudendorp. *amplectentem. Claustra Peloponnesi ac continentis*, Burmanno in mentem venit. Sed præferam emendationem viri in his literis excellenter versati P. Fonteinii: *Claustra Peloponnesi a continente;* id est, propugnaculum Peloponnesi adversus Achæos a parte continentis.

2. *Chalcida, Eretriam.* Edit. Basil. inseruit copulam *et*. At sic etiam I, 14: *Ariminum, Beneventum coloni missi;* II, 20: *Mario, Sulpicio;* ibid. *auctoritate gratia*. De copula inter duo substantiva omissa, vide Drak. ad Liv. I, 59.

3. *In Asiam ac Nesiam.* Alias, *Mœsiam*. RHEN. Fœdissimo mendo editio prima, *in Asiam ac Nesiam*, quod editor Basileensis, vix litera mutata, feliciter sic emendavit: *in Asia Magnesiam.* Quatuor Magnesiæ in veterum monumentis reperiuntur, Thessaliæ, Cretæ, duplex Asiæ, ad Sipylum, et ad Mæandrum. Cretensis tam obscura memoria est, ut Jo. Meursii, omnes Cretæ urbes recensentis, notitiam fugerit. Bis ejus meminit Plato, de Legg. VIII, p. 650, F; et IX, p. 654, H, ubi scholiastes MS. Μαγνησία, πόλις ἐν Κρήτῃ, Θεσσαλῶν ἄποικος. Adde Cononem, Narrat. 29, et Apollodorum apud Tzetz. ad Lycophr. 902. Ut Cretensis Magnesia Thessalicæ, sic Magnesia ad Mæandrum Cretensis et Thessalicæ colonia fuit. Vide Strabon. XIII, p. 943, et schol. Apollon. Rhod. I, 584. Verum quum duæ urbes hoc nomine in Asia fuerint, dubitatur, utra in Velleio sit intelligenda? Viri docti jam inde a Scalig. Anim. ad Euseb. p. 59, in diversa abeunt. Nobis omnino Velleius de Magnesia ad Mæandrum accipiendus videtur, quum ob rationes a Burmanno allatas, tum multo magis, quod attendentes in legendo verissimam esse reperimus sententiam Cellarii Geogr. Antiq. t. II, p. 78, omnibus fere locis, ubi Magnesia sine cognomine comme-

multo post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle et Megasthene[1] ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Hujus classis cursum esse directum alii columbæ antecedentis volatu[2] ferunt, alii nocturno æris sono[3], qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum 2

moretur, Magnesiam Mæandri significari. Idque confirmant numi apud Vaillant. Numism. Gr. Popul. et Urb. p. 35, et Pellerinum, in simili opere, t. II, p. 74.

1. *Hippocle et Megasthene*. Sic bene edit. Basil. editio prima, *Megesthene*. Uterque dux eodem nomine commemoratur a Strab. v, p. 372, cujus locum Vossius adscripsit.

2. *Columbæ antecedentis volatu*. Hoc ipsum miraculum celebrat Statius, Silv. III, 5. 78: « Nostra quoque haud propriis tenuis, nec rara colonis Parthenope; cui mite solum trans æquora vectæ Ipse Dionæa monstravit Apollo columba. » Item incertus poeta, Panegyric. in Pison. 79: « Testis Acidalia quæ condidit alite muros, Euboicam referens fecunda Neapolis arcem. » Vide Broukhusium, iisdem locis usum, ad Propert. II, 20, 39, et P. Burmann. Secundum v. c. ad Numism. Sicul. p. 411. Apollo sæpe, animalis specie, se coloniam condentibus ducem præbuit. Lexicon Sangerman. MS. Ἀδιούνιος ταῦρος· ὁ Ἀπόλλων ὑπὸ τῶν Κρητῶν οὕτως λέγεται. Φασὶ γὰρ τὴν πόλιν μετοικίζοντα ταύρῳ πως εἰκασθέντα προηγεῖσθαι. Qua de re copiose Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. 66.

3. *Nocturno æris sono*. Ex. vetus habet: *nocturno aeris sono*; nisi veteres aliter pinxerint diphthongum *æ*, quam hodie pingamus: erat enim e ab *a* spatio divisum. BURER. Idem miraculum oblatum est Tanagræis, novas sedes quærentibus. Etymolog. MS. in Biblioth. Regia: Ἀχαιά, ἡ Δημήτηρ παρὰ Ἀττικοῖς. εἴρηται παρὰ τοῦ ἄχους, τῆς λύπης· οὕτω Δίδυμος· καὶ ὅτι μετὰ κυμβάλων ἠχοῦσα τὴν Κόρην ἐζήτει, ἤ, ὡς Φιλητᾶς, τὰς ἐρίθους ἀχαιὰς ἐκάλουν. ἔνιοι δὲ ἐκτείναντες τὸ α, ἀπὸ τοῦ συμβάντος Γεφυραίοις. καὶ πάλιν· Ἀχαιά, ἡ Δημήτηρ· μέμνηται τοῦ ὀνόματος Ἀριστοφάνης (Acharn. vs. 709) ἀπὸ τοῦ ἄχους τοῦ ἐπὶ τῆς Περσεφόνης· οἱ δὲ φασὶν ἀπὸ ἱστορίας τοιαύτης. Τοῖς Ταναγραίοις μετανασταῖσιν ἐκ Τανάγρας ἡ Δημήτηρ ὄναρ φανεῖσα, ἐκέλευσεν αὐτοὺς ἀκολουθῆσαι τῷ γινομένῳ ἤχῳ, καὶ, οὗπερ ἂν παύσηται, ἐκεῖ πόλιν κτίσαι· καὶ διόδευον ἀκούοντες ψόφον καὶ κυμβάλων καὶ τυμπάνων, καὶ παυσαμένου, περὶ τὴν Ἀττικὴν ἔκτισαν πόλιν, καὶ ἱδρύσαντο ἱερὸν Ἀχαιᾶς Δημήτερος. Quæ vocem πάλιν sequuntur, ad verbum descripta sunt ex Orionis Thebani Etymolog. MS. ex quo etiam editus Etymologus, pag. 180, 34, profecit. Sed Orion fontem, unde hauserit, sic indicat in fine: οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι εἰς Ἀριστοφάνην. Ex quo apparet, illum diversa ab iis, quæ nunc supersunt, scholia in suo Aristophanis codice habuisse. Editus scholiastes, ex eoque Suidas, hæc annotarunt: ἢ ἀπὸ τοῦ ἤχου, ὃν παρεῖχον ἐν τοῖς περὶ τὴν γέφυραν εἰς Ἀθήνας ἀπιοῦσιν· quæ minus feliciter tentavit doctissimus Kusterus. Scribendum: ὃν παρεῖχον τοῖς περὶ τὴν

civium magno post intervallo Neapolim condidit: utrius-
que urbis eximia semper in Romanos fides facit eas no-
bilitate atque amœnitate sua dignissimas[1]; sed aliis dili-
gentior ritus patrii mansit custodia[2]: Cumanos Osca
mutavit vicinia; vires autem veteres earum urbium ho-
3 dieque magnitudo ostentat mœnium. Subsequenti tem-
pore magna vis Græcæ juventutis[3], abundantia virium[4],
sedes quæritans, in Asiam se effudit. Nam et Iones,

Γέφυραν εἰς Ἀθήνας ἀπιοῦσιν. Quorum sensus est: Achæa Ceres dicitur ab æris sono, quem dedit Tanagræis, Athenas migrantibus. Gephyra eadem est, quæ Tanagra: Gephyræi iidem, qui Tanagræi. Vide Herodot. v, 57, 61, ubi Tanagræorum migrationem narrat, et Stephan. Byz. v. Γέφυρα. Ceterum de hoc in Cerealibus strepitu etiam intelligendus Ovid. A. Am. II, 609: « Condita si non sunt Veneris mysteria cistis; Nec cava vesanis ictibus æra sonant.» Hunc enim locum Meursius Eleusin. pag. 80, rectius, si quid judico, ad Cereris sacra refert, quam Heinsius et Burmannus, ad Cybeles.

1. *Nobilitate atque amœnitate sua dignissimas*. Velleius, II, 120: *Vetustate familiæ suæ dignissimus*.

2. *Sed aliis diligentior ritus patrii mansit custodia*. Pro *aliis* repone *illis*, scilicet Neapolitanis, quod ex voce *Neapolim* assumendum, more utriusque linguæ scriptoribus satis usitatu, de quo vide Gronovium ad Liv. VIII, 11; IX, 41; et Davis. ad Cicer. de Fin. v, 6; sic II, 15: *Universa Italia. Quorum ut fortuna atrox*, ubi vide. *Alii* et *illi* centies permutantur, etiam in Velleio, II, 13. Græci mores, instituta, leges, lingua, nondum Velleii ætate Neapoli exoleverant. E multis unum Strabonem, eumdemque Velleii æqualem, laudasse satis sit, v, p. 377: πλεῖστα δ' ἴχνη τῆς Ἑλληνικῆς ἀγωγῆς ἐνταῦθα σώζεται, γυμνάσιά τε καὶ ἐφηβεῖα καὶ φράτρια, ὀνόματα Ἑλληνικὰ καίπερ ὄντων Ῥωμαίων· et VI, p. 389: νυνὶ δὲ πλὴν Τάραντος, καὶ Ῥηγίου, καὶ Νεαπόλεως, ἐκβεβαρβαρῶσθαι συμβέβηκεν ἅπαντα. Reliqui Magnæ Græciæ populi bilingues erant, id est, Osce et Græce loquebantur. Vide Festum v. *Bilingues*, et ibi Jos. Scaligerum. De Siculis, Asconius ad Ciceron. Divinat. 12: *Dicit Cæcilium Græcas literas simul et Latinas in Sicilia didicisse; in ea insula, quæ neutra lingua bene utatur.*

3. *Græciæ juventutis*. Exemplar vetustum habet, *Græcæ*. Burer.

4. *Abundantia virium*. Male Burmannus *virium* mutat in *virorum*. *Vires* intellige juventutis subolem. Seneca, Cons. ad Helv. 6, pag. 177: *Alios nimia superfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires, emisit*. Ammian. Marcell. xv, 9: *Dein sequutis ætatibus oppida aucta virium copia. Vis virium* non magis in Velleio quemquam offendere debet, quam in Plauto, Amphitr. I, I, 79: « cadunt vulneris vi et virium; » aut in Livio, IX, 16: « Seu virium vi, seu exercitatione multa. »

duce Ione profecti[1] Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Ionia; urbesque constituere Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram[2], Clazomenas, Phocæam; multasque in Ægæo atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum,
Tenum, Parum[3], Delum, aliasque ignobiles. Et mox 4
Æolii[4], eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam[5],

1. *Duce Ione profecti.* Duplicem coloniam Ionicam, alteram ab Ione, Xuthi filio, in Peloponnesum, alteram a Neleo, Codri filio, in Asiam deductam, turpiter a Velleio confundi, Lipsius contendit, et de hoc ejus errore pæne triumphat. Qua culpa ut accuratissimum scriptorem liberarent Simsonus, Chron. ad a. 2948, et Burmann. ad h. l. ille legere malebat: *Iones duce non uno profecti Athenis;* hic: *Iones, duce olim Ione profecti Athenas.* Sed non utitur his defensoribus Velleius. Meliores ejus causæ patronus dedit Wesselingius, ad Simson. loc. cit. Euripidem Ione, vs. 74, et Vitruv. IV, 1, qui migrationem Ionum in Asiam, non Neleo, sed Ione duce, factam scribunt. Quibus adde Nicandrum Alexiph. vs. 9: Αὐτὰρ ἐγὼ τόθι παῖδες εὐζήλοιο Κρεούσης Πιστάτων ἱδάσαντο γεωμορίην ἠπείρου, Ἑζόμενος τριπόδεσσι παρὰ Κλαρίοις Ἑκάτοιο. Quem locum melius intellexit scholiastes, quam Græcus Metaphrastes, nuper a Bandinio editus, Eutecnius Sophista. Sensus est: Ego habito in vicinia Apollinis Clarii, Colophone, urbe Ioniæ, in qua Ionia Ion, Xuthi et Creusæ filius, coloniam constituit. Hæc pro Velleio dixisse satis sit. Quum vero plerique scriptores satis constanter, et, si quæras, haud paulo rectius, Neleum posterioris coloniæ Ionicæ caput fuisse tradant, nescio, quare illum Kusterus unius Mileti conditorem putarit, reprehenderitque Suidam, v. Ἰωνία bene scribentem: Ἰωνίας πόλεις ιβʹ. ἃς ἐνῴκιζε Νηλεὺς ὁ Κόδρου. Etymol. M. p. 327, 11; Ἐλεγηΐς, ἡ θυγάτηρ Νηλέως, τοῦ ἡγησαμένου εἰς Καρίαν τῆς Ἰώνων ἀποικίας. Scholiastes Platonis ineditus: ὁ δὲ νεώτερος Κόδρου παῖς Νηλεὺς τῆς δωδεκαπόλεως Ἰωνίας κτίστης ἐγένετο. Quos omnes Hellanicum secutus esse, ex Harpocratione, v. Ἐρυθραῖοι, colligas.

2. *Myuntem, Erythram. Teum* inseri vult Vossius. Recte. Nunquam enim Teus in recensione XII civitatum Ionicarum omittitur.

3. *Pharum.* Sic editio prima, pro quo editor Basileensis dedit *Parum.*

4. *Et mox Æolii.* Vide Scaliger. Animadv. in Euseb. p. 60.

5. *Larissam.* Nescio, quid editor. Basileensem impulerit, ut *Larissam* mutaret in *Antissam.* Vide Herodot.

Myrinam, Mitylenenque[1], et alias urbes, quæ sunt[2] in Lesbo insula.

1 V. Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum[3]: qui magnitudine operis et
2 fulgore carminum solus appellari poeta meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur; neque post illum, qui eum imitari possit, inventus est. Neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Home-
3 rum et Archilochum[4], reperiemus. Hic longius a tem-

1, 149; Holsten. ad Steph. Byz. v. *Λάρισσα.*

1. *Mitylenem. Mitylenen* scripsimus cum Munck. ad Hygin. f. 137, ut paulo ante est *Prienen* et *Cymen.*

2. *Urbes, quæ sunt.* Tolle vocem *urbes*, non voces *quæ sunt*, quas una tolli volebat Gruterus. Vossius ad I, 6, tenet *urbes* ob similem repetitionem vocis *leges* II, 18. Sed ibi repetitio necessaria.

3. *Sine exemplo maximum.* Eleganter pro incomparabile, vel, ut Velleius, I, 9, loquitur: *omnium comparationem vincens.* Lapis apud Grut. p. 352, 1: *Huic primo duumviro bigo posita ob eximias liberalitates, et abundantissimas sine exemplo largitiones.* Similis formula, *supra exemplum.* Lapis apud Donium, class. X, p. 359: *Ossa fortunatæ Floræ, dulcissimæ, castissimæ, supra omnia exempla sanctissimæ.* Alius apud Maffeum, Mus. Veron. p. 287, 2: *Domitiæ Cerælliæ, C. F. patronæ et uxori supra omnia exempla.*

4. *Archilochum.* Non multum dissimile de Archilocho judicium Dionis Chrys. Or. XXXIII, p. 397, A: δύο γὰρ ποιητῶν γεγονότων, ἐξ ἅπαντος τοῦ αἰῶνος, οἷς οὐδένα τῶν ἄλλων ξυμβαλεῖν ἄξιον, Ὁμήρου τε καὶ Ἀρχιλόχου. Adde Valer. Max. VI, 3, 1. Quo magis miror, nondum inventum esse, qui ejus fragmentis undique collectis operam navaret. Quam provinciam qui sibi sumpserit, caveat, ne, quæ sunt aliorum, temere pro Archilochiis arripiat. Nam ejus nomen creberrime permutatur cum nominibus *Dinolochi*, *Aristophanis*, *Antiochi*, *Amphilochi*, et aliorum. Quoties ejus nomen in *Aristarchi* abierit, et contra, in Præfatione ad Hesych. p. VII, demonstravimus. Athenæus III, p. 111, C: Ἀρχίλοχος ἐν Τηλέφῳ.... πᾶνα τὸν ἄρτον καλεῖ. Nec *Telephum* scripsit Archilochus, nec vocem *panis* nosse potuit. Legendum: Δεινόλοχος ἐν Τηλέφῳ. Grammaticus MS. in Biblioth. Sangerm.: Πιττάκιον εἶπε Δεινόλοχος Τηλέφῳ. Dinolocho, Siculo poetæ, perinde atque Epicharmo, licebat Σικελίζειν, id est, vocibus uti sive Siculis, sive Latinis, *panis*, *pittacium*, etc. Eustratius in Aristotel. Nicom. p. 65, B.: Ἀλλὰ καὶ Ἀρχίλοχος, καὶ Κρατῖνος, καὶ Καλλίμαχος ἐν τοῖς Ἐπιγράμμασι μαρτυροῦσιν (Μαργίτην) εἶναι Ὁμήρου τὸ ποίημα·

poribus belli, quod composuit, Troici[1], quam quidam rentur, abfuit. Nam ferme ante annos DCCCCL floruit, intra mille natus est. Quo nomine non est mirandum, quod sæpe illud usurpat: *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*[2]. Hoc enim ut hominum, ita seculorum notatur differentia. Quem si quis cæcum genitum[3] putat, omnibus sensibus orbus est.

VI. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab 1
Assyriis, qui id obtinuerant annis MLXX translatum est
ad Medos, abhinc annos ferme DCCLXX[4]. Quippe Sarda- 2
napalum eorum regem, mollitiis fluentem, et nimium[5]

ubi pro Ἀρχίλοχος repone Ἀριστοφάνης. Locus Aristophanis, quem respicit, est in Avib. 910. Scholiast. Nicandri, ad Theriac. 617: Ἀρχίλοχος τὸν κύτισον φυτὸν φησιν ὠφέλιμον εἶναι τοῖς θρέμμασιν, ὅτι πλῆθος γάλακτος ποιεῖ. Botanici erat, non poetæ, herbarum vires docere. Scribe: Ἀμφίλοχος. Plinius, Hist. Nat. XVIII, 16: *Unum de medica externa et cytiso volumen Amphilochus fecit confusim*. Alio modo peccatur in Polluce, VI, 99: ὀλκαίου δὲ μέμνηται Ἀντίοχος. Nusquam nec a Polluce, nec ab ullo grammaticorum Antiochus, ut idoneus scriptor, laudatur. Scribe, Ἀρχίλοχος; quod ipsum mendum ex Œnomao apud Euseb. P. E. V. 31, sustulit Holsten. ad Steph. Byz. v. Θάσος. Inter poetas, ex quibus Stobæus sententias collegit, a Photio Biblioth. p. 374, recensentur Ἀρχίλοχος et Ἀράλοχος. Archilochum Stobæus sæpe laudat, Aralochum ne semel quidem. Et qui poterat poetam, qui nunquam in rerum natura extiterit, commemorare? Scilicet Photius, quum in suo Stobæi codice, Ἀράλοχος pro Ἀρχίλοχος vitiose scriptum reperisset, protinus inde poetam omnibus inauditum finxit, pro summa negligentia, quam merito in illo castigavit amicus noster, L. C. Valckenarius, Diatrib. in Euripid. cap. 2, p. 17.

1. *Troici*. G. Cuperus, in Sylloge Epistol. Noribergæ edita, III, p. 449, malit *Troii*, ut II, 86, *in campis Philippiis*; quasi Velleius non usus fuisset altera forma, II, 114, *belli Pannonici*. Tutius est, in talibus codices sequi. Vide Bentleium ad Horat. III, Carm. 3, 32.

2. *Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι*. Græca, quamvis absint a prima editione, aliorum editorum exemplo admisi.

3. *Cæcum genitum*. Vide, si tanti est, Davisium ad Ciceronis Tuscul. Disp. V, 39.

4. DCCLXX. Lipsius, addito numero centenario, legit DCCCLXX, quod probat Scaliger, Canon. Isagog. III, p. 520.

5. *Nimium felicem malo suo*. Rhenanus ita interpunxit, ut *malo suo* ad *natum* retulisse videatur, sicut apud Sueton. Neron. 6: *negantis, quidquam ex se et Agrippina, nisi detestabile et malo publico, nasci potuisse*.

felicem malo suo, tertio et tricesimo loco[1] ab Nino et
Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut
semper successor regni paterni foret filius, Arbaces[2]
3 Medus imperio vitaque privavit. Ea ætate clarissimus
Graii nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis
regii, fuit severissimarum justissimarumque legum auctor, et disciplinæ convenientissimæ vir[3]; cujus quam-
4 diu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit. Hoc tractu
temporum ante annos quinque et sexaginta, quam urbs

Sed hic rectius jungitur cum *felicem*. *Felix malo suo* est, cui felicitas sua malo vertit. Sic, II, 48, *C. Curio facundus malo publico*. Sallustius, Catilin. 51, nostræ edit. pag. 87: *et alios, qui malo reipublicæ creverant, jugulari jussit*; ubi vide Cortium. Nazarius, Panegyr. Constantio. 17: *fecunda malis suis natio raptim adolevit* Simile illud Ovidii Amor., III, 8, 46, quod vide in nostra editione, tom. II, p. 196: « Et nimium damnis ingeniosa tuis. » pro quo Trist. II, 342, dicit: « Inque meas pœnas ingeniosus eram. » Male Burmannus hanc elegantiam sumptam credebat ex eodem Ovidio, Metamorph. III, 292: « Læta malo, nimiumque potens, perituraque amantis Obsequio Semele, » ubi *læta malo* non dicitur pro læta in malum suum, sed pro læta ob malum, sensu multum diverso, ut apud Justinum XXVII, 2: *Lætus igitur malis suis, et damnis ditior redditus*.

1. *Tertio et trecentesimo loco*. Exemplar vetustum habet, *tertio et tricensimo loco*. *Tricensimo* pro *tricesimo*, more veterum. Id quod etiam observavit Politianus in hujusmodi antiquis exemplaribus. Burer. Velleius Sardanapalum tertio et trigesimo loco a Nino ponit, uno tantum rege a Ctesia et Diodoro dissidens, nisi error sit, cujusmodi non pauci in illo luculento scriptore leguntur, non illius, sed librariorum vitio. Scaliger, loc. cit.

2. *Arbaces*. Editio prima, *Pharnaces*.

3. *Disciplinæ convenientissimæ vir*. *Convenientissimæ* sic unde positum placet Jac. Gronovio ad Amm. Marcell XXVII, 11, non mihi. *Vir* autem nullo pacto tolerari potest. Heinsius emendat: *disciplinæ convenientissimæ virtuti*; id est, fortitudini: quod commodum sensum habet. Sed quoniam *virtutis* nomen aliquid ambigui relinquit, legere malim: *disciplinæ convenientissimæ viribus*. Quis enim nescit, omnem Lycurgi disciplinam huc comparatam fuisse, ut cives sui viribus, quibus victoria parabatur, superiores essent aliis? Quod ut alios taceam, luculenter explicat Xenophon aureolo libello de Republ. Lacedæm. Sed ut nihil scabri in Velleii oratione relinquatur, totus locus, una voce transposita, sic scribendus: *Ea ætate clarissimus Graii nominis, Lycurgus, vir generis regii, Lacedæmoniis fuit severissimarum justissimarumque legum auctor, et disciplinæ convenientissimæ viribus*.

Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant[1], Carthago conditur. Circa quod tempus 5
Caranus[2], vir generis regii[3], sextus decimus ab Hercule[4], profectus Argis[5], regnum Macedoniæ occupavit : a quo magnus Alexander quum fuerit septimus decimus, jure materni generis Achille auctore[6], paterni Hercule gloriatus est. (*Æmilius Sura*[7] *de annis populi Romani : As-* 6
syrii principes omnium gentium rerum potiti sunt, deinde Medi, postea Persæ, deinde Macedones; exinde duobus regibus, Philippo et Antiocho, qui a Macedonibus oriundi erant, haud multo post Carthaginem subactam, devictis, summa imperii ad populum Romanum pervenit; inter hoc tempus, et initium regis Nini[8] *Assyriorum, qui princeps rerum potitus, intersunt anni* MDCCCCXCV.)

VII. Hujus temporis æqualis Hesiodus fuit, circa 1
cxx annos distinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenii, et mollissima dulcedine carminum memorabilis, otii quietisque cupidissimus[9], ut tempore tanto viro, ita

1. *Autumant.* Id est, dicunt, non, opinantur, ut Bachet. ad Ovidium, epist. VII, p. 152, accepit. Vide Is. Casaubon. ad Appulei. Apol. p. 131.

2. *Caranus.* Editio prima, fœdo errore, *Taronus*, quem editor Basil. correxit.

3. *Vir generis regii.* Hæc e præcedentibus temere hic intrusa esse, primus vidit Lipsius.

4. *Sextus decimus ab Hercule.* De hoc numero disputant Scaliger, Anim. ad Euseb. p. 64; Can. Isag. p. 343; et Wesseling. ad Diod. Sic. Fragm. p. 637.

5. *Profectus Argis.* Livius, XXVII, 30 : *Philippus Argos venit. Ibi curatione Heræorum Nemeorumque suffragiis populi ad eum delata, quia se Macedonum reges ex ea civitate oriundos referunt*, etc. ubi vide Dukerum.

6. *Materni generis Achille auctore.* Nam Alexander per Olympiadem genus ad Neoptolemum referebat; auctor Plutarchus.

7. *Æmilius Sura.* Hæc omnia, quæ aliis literarum formis describenda, uncisque includenda curavimus, ab aliena manu in Velleii contextum venisse, satis constat inter homines eruditos : nisi quod nonnulli ultima verba, *inter hoc tempus et initium*, etc. perperam Velleio tribuunt.

8. *Regis Nisi.* Alias, *Nini.* RHEN. Editor Basileensis, transposita voce, *Nini regis.*

9. *Otii quietisque cupidissimus.* Intelligit Hesiodi vitam pastoriciam, de qua ipse Θεογον. 23. Vide Davis.

operis auctoritate proximus; qui vitavit, ne in id, quod
Homerus, incideret[1]: patriamque et parentes testatus
est[2]; sed patriam, quia multatus ab ea erat, contumelio-
2 sissime. Dum in externis moror, incidi in rem domesti-
cam, maximique erroris[3], et multum discrepantem auc-
torum opinionibus; nam quidam, hujus temporis tractu,
aiunt, a Tuscis Capuam, Nolamque conditam, ante
3 annos fere DCCCXXX[4]: quibus equidem adsenserim; sed
M. Cato quantum differt? qui dicat, Capuam ab eisdem
Tuscis conditam, ac subinde Nolam: stetisse autem Ca-
puam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter CCLX.
4 Quod si ita est, quum sint a Capua capta anni CCXL, ut
condita est, anni sunt fere D. Ego (pace diligentiæ Cato-

ad Maxim. Tyr. Dissertat. XXXVIII, pag. 630.

1. *Incideret*. Sic edit. Basil. dedit; editio prima, *inciderat*.

2. *Patriamque et parentes testatus est*, etc. Patriam Ascram Hesiodus contumeliosissime testatus est, sive, ut Strabo, IX, p. 628, eamdem rem narrans, loquitur, *τὴν πατρίδα κεκωμῴδηκεν*, Ἐργ. vs. 639. At ubi parentes commemoravit? nisi forte Velleius Ἐργ. vs. 299, legerit: *Ἐργάζευ, Πέρση, Δίου γένος*· ubi etsi nunc editur, *δῖον γένος*, Tzetzes tamen interpretando ostendit, se Δίου γένος in aliis libris reperisse. Immo hanc lectionem, ut certam ac veram, sequuntur Suidas, voce Ἡσίοδος, et Proclus, Prolegomenis ineditis in Hesiodum, quæ ex codice regio descripsimus: *Ἡσίοδος σὺν τῷ ἀδελφῷ Πέρσῃ, παῖς ἐγγόνοι Δίου καὶ Πυκιμήδης, Κυμαίων Αἰολέων, πενήτων ἀνθρώπων, οἳ διὰ τὸ ἄπορον καὶ τὰ χρέα τὴν ἑαυτῶν πατρίδα Κύμην ἀφέντες, μετανιστεύουσιν ἐπὶ τὴν Ἄσκρην*, etc. quæ, impudens compilator, Tzetzes Proclo sublegit, et interpolando corrupit. Sit igitur Hesiodus patrem aut parentes testatus; at a patria se multatum ubi tandem dixit? Patrem, non filium, ob cædem patratam Cuma Ascram profugisse, ex ephoro Cumano tradit Proclus ad Hesiod. p. 142. Quid ergo? aut memoria lapsus est Velleius, aut illorum omnium notitiam hausit ex Hesiodi poematis deperditis. Notissimi sunt versus, quibus patriam laceravit Hesiodus: *Νάσσατο δ᾽ ἄγχ᾽ Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ, Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέ ποτ᾽ ἐσθλῇ*. Quos expressit Ovid. IV, ex P. 14, 31: « Esset perpetuo sua quam vitabilis Ascra, Ausa est agricolæ Musa docere senis. At fuerat terra genitus, qui scripsit, in illa. Intumuit vati nec tamen Ascra suo. »

3. *Maximeque erroris*. Alias, *maximique erroris*. RHENAN.

4. DCCCXXX. Videndus Scaliger ad Euseb. num. MDLXXX. BECLERUS.

nis dixerim) vix crediderim, tam mature tantam urbem
crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse[1].

VIII. Clarissimum deinde omnium ludicrum certa- 1
men, et ad excitandam corporis animique virtutem effi-
cacissimum, Olympiorum initium habuit auctorem
Iphitum Elium[2]; is eos ludos mercatumque instituit
ante annos, quam tu, M. Vinici[3], consulatum inires,
DCCCXXIII[4]. Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur 2
abhinc annos ferme MCCL Atreus, quum Pelopi patri[5] fu-
nebres ludos faceret; quo quidem in ludicro, omnisque
generis certaminum[6], Hercules victor exstitit. Tum 3

1. *Urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.* Similis locus, II, 11: *quemadmodum urbium imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.* Sulpicius Severus, II, 15: *Exin, vario rerum statu floruisse, concidisse, atque iterum malis emersisse.*

2. *Initium habuit, auctorem Iphitum Elium.* Placet, quod Aldus nepos de conjectura edidit: *initium habuit, auctore Iphito Elio.*

3. *M. Vinici.* Lipsius, ad Tacitum, Annal. VI, 15, scribit, Velleium huic Vinicio indecore et serviliter blandiri. Nihil falsius: ne vestigium quidem adulationis toto opere apparet.

4. DCCCXXIII. Lips. corrigit DCCCIV, quod inde in omnes edd. receptum.

5. *Patri.* Editio prima, *patris*, quod mutavit editor Basileensis.

6. *Omnisque generis certaminum*, etc. Sic editio prima; at edit. Basil. *que* tacite expunxit: eaque lectio placebat C. A. Fabroto, Ref. Ep. Salmas. de Mutuo, pag. 1248. Possit illud *que* suspicionem movere de voce aliqua ob præcedentis similitudinem extrita. Forte: *Quo quidem in ludicro, luctæ, omnisque generis certaminum, Hercules victor exstitit. Victor certaminum* dicitur, ut *victor belli*, II, 55; quod æque ac *victoria belli*, usitatum est Ciceroni et Livio. Vide Duker. ad Flor. III, 21, p. 623. In quo concedendo ut facilis est Burmannus, ad h. l., disputans etiam de eadem locutione ad Claudian. de Bell. Get. vs. 570, ita dubitat, an *victor certaminis* eleganter dicatur, diversamque credit hujus locutionis rationem; etsi, quale discrimen sit, nec dixit, nec forte dicere potuit. Græci scriptores millies dicunt *νικᾶν ἀγῶνα*. Sed mittamus Græcos. Quid? idoneusne latinitatis auctor est Ennius apud Ciceron. de Senect. 5: « Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit. » Hygin. Fab. 91: *descendit in certamen, et omnia* (certamina) *vicit;* ubi vide Munckerum. Eodem modo dicitur *judicium, sponsionem, caussam vincere.* Qui Græcismus tametsi apud optimos quosque scriptores reperitur, vulgo tamen cum ab aliis, tum ab Oudend. ad Thom.

Athenis perpetui archontes esse desierunt, quum fuisset
ultimus Alcmæon: cœperuntque in denos annos creari;
quæ consuetudo in annos LXX mansit: ac deinde annuis
commissa est magistratibus respublica; ex iis, qui denis
annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus [1]Eryxias;
4 ex annuis, primus Creon. Sexta olympiade, post duo et
viginti annos, quam prima constituta fuerat, Romulus,
Martis filius, ultus injurias avi, Romam urbem Parili-
bus in Palatio condidit; a quo tempore ad vos consules
anni sunt DCCLXXXII[2]: id actum post Trojam captam an-
5 nis CCCCXXXVII. Id gessit Romulus, adjutus legionibus
Latini, avi sui[3]; libenter enim his, qui ita prodiderunt,
accesserim: quum aliter firmare urbem novam, tam
vicinis Veientibus, aliisque Etruscis, ac Sabinis, cum
6 imbelli et pastorali manu vix potuerit. Quamquam, [4]jam
asylo facto inter duos lucos, auxit: hic centum homines
electos appellatosque Patres, instar habuit consilii pu-
blici; hanc originem nomen Patriciorum habet; raptus
virginum Sabinarum[5].

M. p. 628, prope e Latii finibus proscribitur. *Judicium vincere* est apud Ciceron. Verr. I, 53; *sponsionem vincere* bis apud eumdem pro Cæcin. 31 et 32. Quorum locorum scripturam ne quis in corruptelæ suspicionem vocet, sciat, sic in spectatæ fidei libris nuper reperisse Ciceronis sospitatorem, J. A. Ernestum. *Vincere caussam*, dixit Ovid. Epist. XVI, 76; licet Heinsius hunc locum nobis eripere conetur. *Victa est caussa*, Cicer. pro Dejotar. 8; Phil. XI, 13; et Lucan. I, 128. Adde unicum latinitatis magistrum, J. F. Gronovium, ad Gell. V, 10, qui nonnulla ex his exemplis præcepit.

1. *Eryxias*. Editio prima, *Erix*, ex quo Aldus nepos fecit Eryx, quod sequitur Scaliger Can. Isag. p. 339. Verum nomen *Eryxias* ex Eusebii Chron. p. 28, 43, restituerunt Meursius de Archontibus, I, 8, et alii.

2. DCCCCLXXXI. Sic editio prima, mendose, pro quo editor Basileensis DCCCCLXXXV. Vide interpretes.

3. *Legionibus Latini, avi sui*. Verissime Lipsius: *legionibus Latinis avi sui*.

4. *Quamquam jam*. Heinsius bene corrigit: *quamquam eam*. Frequentissime permutantur *jam* et *eam*. Juntina editio: *quamquam in asylo*.

5. *Raptus virginum Sabinarum*. Vossius suspicatur, hæc verba esse

IX. * quam timuerat hostis, expetit[1]; nam biennio adeo varia fortuna cum consulibus conflixerat, ut plerumque superior fuerit[2], magnamque partem Græciæ in 1

argumentum eorum, quæ mox sequebantur, et e margine in textum migrasse. Recte, ut opinor.

* Ingens hæc lacuna etiam hausit fragmentum, quod laudat Priscian. VI, p. 706: *M. Velleius Paterculus primo: Nec minus clarus ea tempestate fuit Miltiadis filius, Cimon.*

1. *Quam timuerat hostis expetit.* Hic Velleio nostro rursum atrox vulnus inflixit injuria temporis, quod neque Æsculapius, neque Chiron, medici illi poetici, quamlibet a veteribus egregie laudati, curare norint; nam bonam operis partem hoc loco deesse nullus dubitavit. Porro omnis medendi spes in integro sita est exemplari: quale repertum jam olim aiunt a Georgio Merula inter eos libros, de quorum ille inventione magnopere gloriatur in epistola quadam, quæ inter Politianicas legitur. Sed isti rumori fidem non habeo. Scilicet tantus vir nugas edidisset, sic enim quasdam veterum grammaticorum quisquilias ab illo publicatas non injuria vocavero, præsertim eum Velleio commissas, et hoc opus suppressisset nobis, unde plus ad illum gloriæ, et ad studiosos commodi rediturum erat, quam ex sexcentis istius generis grammaticorum schedis. Nos hac editione nostra, tametsi mutila, provocabimus Italos, ut nobis, quod nacti sumus in medium conferentibus, ipsi quoque sua candide studiosis impertiant. Sed de hac re plus satis jam locuti sumus. Ceterum ut quasi viam tibi sternamus ad sequentis Velleiani fragmenti intelligentiam, quod in media ferme periodo sublatis anterioribus aliquot ternionibus abruptum est, in hac ultima prioris libri particula Velleius, decursis ante cunctis historiis, jam inde ab Urbe condita, propemodum ad initium tertii belli Punici pervenit, quo Carthago fuit excisa. Ante quod Macedonicum geri cœptum est: in quo P. Licinius Crassus, cui Macedonia decreta erat, contra Perseum regem pugnans, inferior discessit. Perseus vero perpendens inconstantiam fortunæ, tametsi victor, æquam pacis conditionem a Romanis accipere paratus erat. Iniquam Licinius obtulit, ut se, videlicet, suaque senatui populoque Romano dederet, quemadmodum refert Eutropius. Forsitan igitur hic Velleii sensus fuerit: Perseus, Macedonum rex, conditionem pacis, quam timuerat hostis, expetit. Nisi de Gentio Illyriorum rege loquatur, quem Perseus subegit. Ut sit sensus: Gentius iniquam a Perseo conditionem, quam timuerat hostis, expetit. Neuter tamen mihi magnopere arridet: sed fuit hic aliquid dicendum. At ridiculum est, ibi tam anxie diligentem esse, ubi diligentia locum non habet, verum sola divinatio. RHEN. Probabilis, ut in re incerta, Lipsii conjectura est: *gravior quam timuerat, hostis extitit;* hoc sensu: Perses gravior quam populus Romanus timuerat, hostis extitit.

2. *Superior fuerit.* Exemplar vetustum habet: *superior fuit.* BURER. *Fuerit*, quod Rhenanus dedit, Acidalius mutabat in *foret*, Vasconsanus in *fieret;* contra Lipsius *perduceret*

2.

2 societatem suam perduceret. Quin Rhodii quoque[1], fidelissimi antea Romanis[2], tum dubia fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt: et rex Eumenes in eo bello medius fuit animo[3], neque fratris
3 initiis, neque suæ respondit consuetudini. Tum senatus populusque Romanus L. Æmilium Paulum, qui et prætor et consul triumphaverat[4], virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest[5], consulem creavit, filium ejus Pauli, qui ad Cannas, quam tergiversanter perniciosam reipublicæ pugnam inierat, tam
4 fortiter in ea mortem obierat[6]. Is Persam[7] ingenti prælio

in *perduxerit*, ut tempora inter se congruerent. Sed nemo est, qui nesciat, post toties repetitas criticorum admonitiones, diversa tempora millies jungi. Vide quæ annotavimus ad Rutil. Lup. I, p. 45.

1. *Quin Rhodii quoque.* Sic editor Basileensis quem secuti sumus. Editio prima: *quibus Rhodii quoque.* Vide ad I, 1.

2. *Ante Romanis.* Exempl. vetustum habet: *antea Romanis.* Burer.

3. *Medius fuit animo. Fuit*, quod Heinsius tolli jubet, nobis quoque elegantius abesse videtur. Quid? si legamus: *Eumenes in eo bello medius, dubiusque animi;* ut II, 21: *ita se dubium, mediumque partibus præstitit. Dubius* semper cum genitivo struitur. Sallust. Fragment. p. 54: *Dubius consilii.* Vide Drakenborch. ad Liv. XXXIII, 25, et Oudend. ad Hirt. de B. Alex. 56.

4. *Qui et prætor et consul triumphaverat.* Vide Perizon. Animadv. Histor. cap. VI, p. 211.

5. *In tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest.* Eamdem loquendi formam repetit II, 43: *viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest;* II, 114: *quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit.* Jos. Mercerus ad Septim. de B. Tr. II, 32, *in tantum, in quantum*, quod frequentissimum est Velleio pro tantum, quantum, ut minus Latinum, damnat. Argenteæ ætati vindicat Voss. de Vit. Serm. IX, 11; sed melioris ætatis esse, his exemplis planum fiet. Virgil. Æneid. VI, 876: « Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos. » Ovid. Met. XI, 71: « Quippe pedum digitos, in quantum quæque secuta est, Traxit. » Ubi vide Burm. Liv. XXII, 27: « In tantum suam felicitatem virtutemque contuisse. » Seneca pater, Contr. III, p. 121: « Sufficiebat enim illi, in quantum voluerat, explicandi vis. » Vide Gronov. ad Liv. XXXVII, 57.

6. *In ea mortem obierat.* Exemplar vetus habet: *in ea morte obierat.* Ego legendum suspicor: *in eo Marte obierat.* Burer. Inepta conjectura, quam tamen Juntina recepit.

7. *Persam.* Alias, *Perseum.* Rhen.

apud urbem nomine Pydnam in Macedonia, fusum fugatumque castris exuit, deletisque ejus copiis, destitutum omni spe coegit e Macedonia profugere; quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit[1], templique se religioni supplicem credidit; ad eum Cn. Octavius prætor, qui classi præerat, pervenit; et ratione magis, quam vi persuasit, ut se Romanorum fidei committeret.
Ita Paulus maximum nobilissimumque regem in trium- 5
pho duxit; quo anno et Octavii prætoris navalis, et
Anicii, regem Illyriorum Gentium ante currum agen-
tis[2], triumphi fuere celebres. Quam sit assidua eminentis 6
fortunæ comes invidia[3], altissimisque adhæreat, etiam

Id receperunt Junt. et editor Basil. Male. Vide Scaliger. Anim. in Euseb. p. 142, et Heins. ad h. l.

1. *Samothraciam profugit.* Qui credat, Velleium verborum tam inopem fuisse, ut *profugit* tantillo intervallo repeteret? Sed talia necesse est in scriptore, quem unus tantum, isque mutilus et vitiosus codex, conservarit, sæpe reperiri. Qui si cum altero vel paulo integriore exemplari comparari posset, quam diversam habiturus esset faciem! Quod semel omnibus locis, ubi talis verborum jejunitas et inopia reperitur, intelligi velim.

2. *Ante currum agentis.* Edit. prima, *agentium*, quod editor Basileensis bene et historiæ convenienter in *agentis* mutavit.

3. *Fortunæ comes invidia*, etc. Vell. manifesta imitatione expressit Liv. XLV, 35: *Intacta invidia media sunt; ad summa ferme tendit. Nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum est: Paulum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit;* ubi translationem ab igni, sive fulmine ductam esse, ostendit similis locus, VIII, 31: *Etiam invidiam, tamquam ignem, summa petere: in caput consilii, in ducem incurrere.* Livio præivit Lucretius, V, 1130: « Invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant Plerumque, et quæ sunt aliis magis edita cunque. » Ex quo loco etiam Ovidius colorem duxit Rem. Am. 369: « Summa petit livor: perflant altissima venti; Summa petunt dextra fulmina missa Jovis. » Hieronymus, Epitaph. Paulæ, pag. 679: *Semper quidem virtutes sequitur invidia, feriuntque summos fulgura montes;* ex Horat. II Carm. 10, 11, ubi vide Bentleium. Eamdem sententiam sic expressit Euripides Beleroph. in Stobæo Grotii, p. 151: Εἰς τἀπίσημα δ' ὁ φθόνος πηδᾶν φιλεῖ. *Adhæreat* in Velleio intellige, conjuncta sit, comitetur; quo sensu frequens est simplex *hærere*. Martial. V, 61: « Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret Qui, Mariane, tuæ? » Plin. Histor. Natur. X, 22: *Anser comes perpetuo adhæsisse*

hoc colligi[1] potest, quod, quum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere, qui Pauli impedire obniterentur[2]: cujus tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, ut bis millies centies HS.[3] ærario contulerit[4], et omnium ante actorum comparationem amplitudine vicerit[5].

1 X. Per idem tempus, quum Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympieum[6] inchoavit, tum rex Sy-

Lacydi philosopho dicitur. Claudianus, in Rufin. I, 35: « Et luxus, populator opum, quem semper adhærens Infelix humili gressu comitatur egestas. »

1. *Hoc colligi potest.* Elegans usus pronominis, pro *hinc;* ut apud Lucan. IV, 229: « At vobis vilior hoc est, Vestra fides, quod pro caussa pugnabitis æqua. » Quintil. Decl. XIII, 2: « Verum vel hoc fuit gratissima possessio. » BURMAN.

2. *Impedire obniterentur.* Recte, ut opinor, Heinsius legit: *impedire conniterentur.* Gellius, VII, 3: *connixi sunt Rhodienses id bellum inter eos componere. Obniti* et *conniti* sæpe in MSS. commutantur, ut apud Liv. XXXI, 21. *Obniti* est contra niti, reniti: quæ significatio ab hoc loco aliena. Scio quidem, apud Senecam, Ep. 35 et 95, et Ammian. Marcell. XXIV, 2, *obnixe petere* reperiri pro enixe petere. Sed non dubito, quin meliores libri, si minus in Ammiano, at in Seneca, certiore latinitatis auctore, aliquando præbituri sint *enixe petere*, ut rectissime præbuerunt, quos Drakenborchius adhibuit, in Livio IV, 26: *utrimque enixe obeditum dictatori est;* pro vulgata lectione: *utrimque obnixe obeditum dictatori est.* Vident certe, qui nunc in omnibus fere librorum dedicationibus dicunt, *obnixe te rogo*, leve in talibus locis esse præsidium.

3. *Bis millies centies HS.* Vide Gronov. ad Liv. XLV, 39, et ad Plin. Hist. nat. XXXIII, 3.

4. *Contulerit.* Editio prima, *contulerit his.* Editor Basileensis *his* recte delevit, quod temere natum est ex præcedenti *bis.*

5. *Omnium..... vicerit.* Id est, si cum ante actis triumphis comparetur, omnes amplitudine vicerit. Sic II, 9: *ingenia usque in Græcorum ingeniorum comparationem evecta.* Quinctilian. Decl. VIII, 14: *Hoc est quod omnem comparationem feritatis excedit.* Macrob. Saturn. II, 7, p. 346: *Pylades Hylam discipulum usque ad æqualitatis contentionem eruditione provexit.*

6. *Olympicum.* Bene Fr. Sylburgius scribit *Olympieum;* male P. Faber Semest. III, 3, p. 58, Græca forma *Olympieium.* Græci duplici forma dicunt Ὀλυμπιεῖον et Ὀλύμπιον, unde Latini *Olympieum* et *Olympium*, non *Olympicum*, ut habet editio prima. Vide Wesseling. ad Diod. Sic. XIII, p. 546. Et sic aliorum etiam templorum nomina ab utrisque efferi, vi exemplorum os-

riæ[1], Ptolemæum puerum Alexandriæ obsideret, missus est ad eum legatus M. Popilius Lænas[2], qui juberet incepto desistere: mandataque exposuit; et regem deliberatu- 2
rum se dicentem circumscripsit virgula, jussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finito harenæ circulo[3]; sic cogitationem regiam Romana disjecit constantia[4]; obeditumque imperio. Lucio autem Paulo, magnæ 3
victoriæ compoti[5], quatuor filii fuere; ex iis duos, natu majores, unum P. Scipioni, P. Africani filio, nihil ex paterna majestate[6], præter speciem nominis, vigoremque

tendunt Fabric. ad Dion. Cass. L, p. 606. et Duker. ad Liv. XXXVIII, 5.

1. *Tum rex Syriæ*. Sic legendum e certa Aldi nepotis correctione. Editio prima, *tum regem Syriæ*.

2. *M. Popilius Lænas*. Antiquissimos hujus historiæ auctor est Polybius, Exc. Legat. n. 92, quem cum aliis eamdem rem narrantibus laudat Drakenb. ad Liv. XLV, 12.

3. *Finito.... circulo*. Eleganter pro *definito*; ita sæpe Livius, de quo vide Gronovium ad lib. XXXV, 7. Ovidius, II, Fast. v. 222: « Riparum clausas margine finit aquas. » Adde Heinsium ad VIII Metam. 695 et Nucem, 145. BURMANN.

4. *Cogitationem regiam Romana disjecit constantia*. Speciosa conjectura Acidal. et aliorum: *contationem regiam*, quæ Boxhornio confirmari videbatur ex Justino, eamdem rem narrante, XXXIV, 3: *prolatoque Senatus decreto et tradito, quum cunctari eum videret, consultationemque ad amicos referre*. Valer. Maxim. III, 2, 17: *Eaque voce contatione bonorum civium discussa*. Appulei. Met. VI, p. 395: « Quæ res nunc vel maxime sustulit Psyches omnem contationem. » Nec tamen spreverim vulgatam, quam etiam Heinsius ad h. l. et Cortius, ad Cic. ad Div. III, 2, defendunt: nam *cogitatio* est deliberatio, consultatio. Terent. Andr. I, 2, 11: « Ut ne esset spatium cogitandi ad disturbandas nuptias. » Liv. XL, 5: « Itaque expertem eum pater omnium de rebus Romanis consiliorum habebat. Totus in Perses versus, cum eo cogitationes ejus rei dies ac noctes agitabat. » Sueton. Ner. 47: « Sic cogitatione in posterum diem dilata. » Quibus exemplis facile defenditur Seneca pater, Suasor. VII, p. 44: « Ciceroni, quum cogitasset, utrumne Brutum, an Cassium, an Sextum Pompeium peteret, omnia illi displicuisse, præter mortem; » ubi miror, Latinæ proprietatis intelligentissimum Gronovium maluisse *dubitasset*.

5. *Magnæ victoriæ compoti*. Friget meo sensu epitheton *magnæ*, non item, quod repono: *Macedonicæ victoriæ compoti*. Editio prima, *compote* pro *compoti*.

6. *Nihil ex paterna majestate*. Mitior de eo Ciceronis judicium est Brut. 19: « Filius quidem Scipionis, is, qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptavit, si corpore valuis-

eloquentiæ retinenti, in adoptionem dederat, alterum Fabio Maximo: duos minores natu, prætextatos, quo
4 tempore victoriam adeptus est, habuit[1]. Is quum in concione extra urbem, more majorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum[2] commemoraret, Deos immortales precatus est, ut, si quis eorum invideret[3] operibus ac fortunæ suæ, in ipsum potius sævirent, quam in
5 rempublicam: quæ vox, veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliavit sanguinis sui; nam alterum ex [4]suis, quos in familia retinuerat, liberis, ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa hæc tempora censura Fulvii Flacci et Postumii Albini fuit; quippe Fulvii censoris frater, et quidem [5]consors, Cn. Fulvius[6], senatu motus est ab iis censoribus.

set, in primis habitus esset disertus Indicant eum oratiunculæ, tum historia quædam Græca, scripta dulcissime;» de Senect. 11: «Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit? quam tenui, aut nulla potius valetudine? Quod ni ita fuisset, alterum ille exstitisset lumen civitatis. Ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat.» Vide Sigonium ad Liv. xl, 42.

1. *Duos minores natu, prætextatus, quo tempore victoriam adeptus est, habuit.* Ante *habuit* excidisse videtur vox *domi*, necessaria ad sensum perficiendum. Liv. xlv, 40: «Duobus e filiis, quos, duobus datis in adoptionem, solos nominis, sacrorum, familiæque heredes retinuerat domi.» Plutarchus, Paulo, p. 274, A: οὓς ἐπὶ τῆς οἰκίας εἶχεν τῆς ἑαυτοῦ. Mox Velleius: «quos in familia retinuerat.»

2. *Suorum actorum.* In vetusto exemplari *actorum* præcedit *suorum.* Burer. Pro *actorum* Vascosanus edidit *factorum.*

3. *Ut, si quis eorum invideret*, etc. Hoc ita expressit Livius, xlv, 41: «Mihi ipsi nimia jam fortuna mea videri, eoque suspecta esse... illud optavi, ut, quum ex summo retro volvi fortuna consuesset, mutationem ejus domus mea potius, quam respublica, sentiret.» Simile votum Camilli apud Liv. v, 21, ubi Velleio usus est Gronovius.

4. *Alterum ex suis.* Editor Basileensis scripsit, *alterum ex his*, quod verum videtur.

5. *Et quidem consors.* Liv. xli, 27: «Insignis nota fuit Cn. Fulvii, qui frater germanus, et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat;» ubi de significatione vocis *consors*, post Burmann. ad h. l. agit Drak. Sed omnia de hoc vocabulo ante utrumque exquisita cum eruditione dixerat Jac. Cujac. Obs. v, 10.

6. *Cn. Fulvius.* Vide Sigon. et Doker. ad Liv. xl, 41.

XI. Post victum captumque Persen[1], qui [2]quadriennio 1
post in libera custodia Albæ decessit, Pseudophilippus,
a mendacio simulatæ originis appellatus, qui se Philip-
pum, regiæque stirpis ferebat[3], quum esset ultimæ,
armis occupata Macedonia, adsumptis regni[4] insignibus, 2
brevi temeritatis pœnas dedit. Quippe Q. Metellus præ-
tor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum[5] erat,
præclara victoria ipsum gentemque superavit, et immani
etiam Achæos rebellare incipientes fudit acie. Hic est 3
Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere[6] circum-
datæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc
Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat: quique hanc

1. *Persen.* Alias, *Perseum.* RHEN.

2. *Quadriennium.* Exemplar vetustum habet: *quadriennio.* BURER.

3. *Qui se Philippum, regiæque stirpis ferebat.* Iisdem prope verbis Liviana Epit. 49: « Andriscus quidam, ultimæ sortis homo, Persei regis se filium ferens, etc. »

4. *Adsumpti regni insignibus.* Mihi videtur, *adsumptis regni insignibus*, legendum esse. BURER.

5. *Cui ex virtute Macedonici nomen inditum erat.* Verbum *erat* sine ulla caussa delevit editor Basileensis.

6. *Qui porticus, quæ fuere*, etc. Ingratam esse pronominis *quæ* repetitionem, recte quidem sensit Heinsius, sed locum minus bene refinxit. Posterius *quæ* si sustuleris, suam orationi concinnitatem reddes: « qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis (nunc Octaviæ porticibus ambiuntur), fecerat. » Duas illas ædes, duplici porticu Metelli et Octaviæ inclusas, Jovi et Junoni dedicatas fuisse, intelligimus ex Vitruvio III, 1, et Plinio, Hist. Nat. XXXVI, 5. Non inscripsit Metellus his templis nomen suum, ut talium monumentorum conditores facere solebant. Cujus modestiam imitatus Augustus in Monim. Ancyr. p. 174, quod hic laudavit Boxhornius, sic ait: « Capitolium et Pompeium theatrum, utrumque opus impensa grandi refeci, sine ulla inscriptione nominis mei. » De Septimio Severo idem narrat Spartianus in ejus Vita, 23, quamvis Dione Cass. LXXVI, p. 1284: dissentiente: « Magnum vero illud in civilitate ejus, quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, instauravit, nusquam prope suo nomine adscripto, servatis tamen ubique titulis conditorum. » De his inscriptionibus disputarunt Jac. Gothofredus ad L. 31, Cod. Theodos. de Operib. publ. t. V, p. 343, et Phil. a Turre in Monum. vet. Antii, p. 117, quorum hic *subscribendi licentiam* reprehensam dicit ab Horatio III Carm. 24, 28, quo nihil dicere poterat ab Horatii mente alienius. Octavias porticus, quæ hic commemorantur, cave, confundas cum illis, de quibus Velleius, II, 1.

turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium
spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci,
4 ex Macedonia detulit. Cujus turmæ hanc caussam refe-
runt, magnum Alexandrum imperasse Lysippo, sin-
gulari talium auctori operum[1], ut eorum equitum, qui
ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant,
expressa similitudine figurarum, faceret statuas, et ipsius
5 quoque iis interponeret. Hic idem, primus omnium,
Romæ ædem ex marmore in iis ipsis monumentis[2] mo-
6 litus, vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit[3]. Vix

1. *Imperasse Lysippo, singulari talium auctori operum.* Editio prima, *impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum.* Sed recepimus certissimam emendationem Freinshemii ad Curt. III, 11, 27. Sic apud Velleium, II, 107, permutantur *impetrato* et *imperato.*

2. *In iis ipsis monumentis.* Hoc est, intra eas ipsas porticus, de quibus ante, ut bene cepit unus Gruterus. *Monumenta* dicuntur ædificia publica, quæ magni copiosique viri in sui memoriam exstruxerunt. Sic *monumenta Mariana*, apud Valer. Max. II, 5, 6; *monumenta Pollionis Asinii*, apud Plin. Hist. Nat. XXXVI, 5. Velleiano loco similis est Asconii ad Cic. in Pison. 19: « Marcellus quum statuas sibi, ac patri, itemque avo poneret in monumentis avi sui ad Honoris et Virtutis ædem. » Vide int. ad Tacit. Ann. IV, 7; Davis. ad Cic. de Divin. I, 28; et cl. Ernestum, Clav. Cic. v. *Monumentum.* At quid est, quare Velleius, qui ante duas ædes commemoravit, hic singulari *ædem* utatur? Nempe ambigui vitandi caussa *ædem* scripsit, ut de templis, non de privatis ædibus, intelligeretur. Utrumque autem templum marmoreum fuisse, Plinius, l. c. auctor est, Saurum et Batrachum, architectos, inter eos, qui marmorea struxerunt, recensens. Quæ quum minus attenderet Burmannus, invita latinitate, *ædem* cepit de domo Metelli privata; quem, miror, hunc non traxisse Plinium, l. c.: « Pasiteles Jovem fecit eboreum in Metelli æde, qua Campus petitur; » quamvis adjecta verba, *qua Campus petitur*, satis ostendant, alterum ex duobus templis significari. Sed vir doctus in illo loco explicando mentem alibi habuit, laudans Bentleium ad Horat. II Ep. 2, 92, qui alia omnia docet, pro opinione sua.

3. *Vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit.* An *hujus* excidit? *hujus vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit.* Sic II, 33: « Lucullus profusæ hujus in ædificiis convictibusque et apparatibus luxuriæ primus auctor fuit. » *Hujus magnificentiæ* eleganter pro, magnificentiæ, quæ nunc est. Liv. VI, 4: « Opus vel in hac magnificentia Urbis conspiciendum. » Vide Gronov. ad Liv. XXV, 40. Sed forte melius est nihil mutare ob similem locum, II, 1:

ullius gentis, ætatis, ordinis hominem inveneris, cujus felicitatem fortunæ Metelli[1] compares; nam præter excellentes triumphos[2], honoresque amplissimos, et principale in republica fastigium, extentumque vitæ [3]spatium, et acres [4]innocentesque pro republica cum inimicis

« Pnblicam magnificentiam secnta privata luxnria est. » De re ipsa Velleio convenit cum Plinio, Hist. Nat. xxxvi, 2 : « Qna magis via irrepunt vitia, quam publica? Enimvero non alio modo in privatos nsus illa venere, ebora, aurum, gemmæ. »

1. *Fortunæ Metelli.* Vide Davis. ad Cic. Tusc. Disp. 1, 35.

2. *Excellentes triumphos.* Sigon. in Fastis ad a. 611, scribit : « Velleins tamen excellentes hujus triumphos quum dicit, eum sæpins triumphasse significat. » Non necesse est sic verba urgere, nedum corrigere, *excellentem triumphum*, ut Lipsins et alii fecerunt. Vide Gruter. ad h. l.

3. *Extentumque vitæ spatium.* Sic optime editor Basil. Mendose editio prima, *extenuatumque vitæ spatium.* Laudavit Burm. notum illud Horatii : « Vivet extento Proculeius ævo. » Plura Oudendorp. ad Appnlei. Metam. v, p. 360.

4. *Acres innocentesque pro republica cum inimicis contentiones.* Velleius videri possit respexisse ad contentiones cnm Scipione Æmiliano, popnlarem rationem amplexo, agitatas, quas etiam Cicero, de Off. 1, 25, et de Amicit. 21, *sine acerbitate* fuisse prædicat. *Graves testatasque* eorum *inimicitias* facit Valerius Maximus iv, 1, 12. Sed credimus potius Ciceroni, quocnm consentit Horat. ii Serm. 1, 65 : « Num Lælius, et qui Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen, Ingenio offensi, aut læso doluere Metello, a Ubi non spernendum scholinm est interpretis antiqni, Acronis : « Metellus temporibus Scipionis Africani potens fuit; et qnum in concione quædam adversus se decreta clamaret, Scipio ait : Hi sunt, qnos Hannibali eripui. Patere ergo, inqnit, hos liberos esse. Ob quæ et alia Lncilius eum in gratiam Scipionis carpsit, quamvis amicum ipsius. » Sic illud scholinm scribendum : error antem, quo Scipio Africanus major cnm minore confunditnr, auctori sno relinquendus. Qnum igitnr contentiones inter Metellum et Scipionem minus acres fuisse constet, credam potius, Velleium in animo babuisse atrocissimas Metelli cum C. Atinio Labeone, tribnno plebis, contentiones, de quibus vide Cicer. pro Dom. 47; Liv. Epit. 59, et Plin. Hist. Nat. vii, 44. Ad easdem pertinet Senecæ patris locus fœdissime depravatus, Controv. v, 30, p. 359 : « M. Cicero qua violentia in absentiam Metelli strepit? » Vidit Nic. Faber, eruditus sane homo, Cioeronis nomen alienum esse : ulceris sanandi rationem non vidit. Repone : « Macerio qua violentia in absentiam Metelli strepit? » Quam emendationem liquido confirmat Plinius l. c. : « Metellns in ipso flore dignationis suæ ab C. Atinio Labeone, cui cognomen fuit Macerioni, tribuno plebis, quem e senatu censor ejecerat, revertens e Campo, meridiano tempore, vacuo Foro et Capitolio, ad Tarpeinm raptus est, ut præcipitaretur. » Sed

contentiones, quatuor filios sustulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos.
7 Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor [1]filii; unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus; quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare, quam mori[2].

1 XII. Universa deinde, ut prædiximus, instincta in bellum Achaia, cujus pars magna ejusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat[3], maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam in Romanos contumeliis, instigantibus, destinatus ei bello gerendo consul
2 Mummius. Et sub idem tempus, magis, quia volebant Romani[4], quidquid de Carthaginiensibus [5]diceretur, credere, quam quia credenda adferebantur, statuit se-
3 natus Carthaginem excidere. Ita eodem tempore P. Scipio Æmilianus, vir avitis P. Africani, paternisque[6] L. Pauli

Plinius et ipse in hac narratione graviter laborat : « Alieno beneficio postea vixit, bonis inde etiam consecratis a damnato suo, tamquam parum esset, faucium certe intortarum, expressique per aures sanguinis pœnam exactam esse ; » ubi verba *a damnato suo* aliis vel refingenda, vel explicanda commendamus. Reliquorum non dubia correctio hæc est : « Tamquam parum esset, faucium reste intortarum, expressique per aures et nares sanguinis pœnam exactam esse. »

1. *Quatuor filii.* G. Cuperus Syllog. Epistol. Norimb. p. 450, tolli vult has voces : quas nemo, semel monitus, facile requirat.

2. *Magis .... mori.* Eadem figura Hieron. Epit. Nepot. p. 272 : « Intelligere illum non emori, sed emigrare. » Vide Gatak. de Stylo N. T. cap. VII, p. 49.

3. *Quum pars magna... tracta erat.* Sic editio prima ; sed Aldus nepos bene correxit : *Cujus pars magna... fracta erat ;* quod omnes deinde receperunt.

4. *Quia volebant Romani*, etc. Contra Livius, VI, 21 : « Ita placide a senatu responsum est, ut minus credi de criminibus, quia nollent ea vera esse, appareret. »

5. *Quidquid de Carthaginiensibus dicebatur.* Exemplar vetustum habet : *Quicquid de Carthaginensibus diceretur. Ea* ab alio quopiam additum videtur ; nam non est chirographum scribæ veter. exempl. BURER.

6. *Paternis virtutibus simillimus.* Rarior loquendi forma, sed Velleio non semel usurpata, II, 6 : « Tam

virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ [1]dotibus
ingeniique ac studiorum eminentissimus seculi sui, qui
nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, ac sen-
sit[2]; quem, Paulo genitum, adoptatum a Scipione Afri-
cani filio diximus, ædilitatem petens, consul creatus
est. Bellum Carthagini[3], jam ante biennium a prioribus 4
consulibus illatum, majore vi intulit; quum ante in His-
pania murali corona, in Africa obsidionali donatus es-
set; in Hispania vero etiam ex provocatione[4], ipse modi-
cus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset:
eamque urbem, magis invidia imperii, quam ullius 5
ejus temporis noxiæ[5] invisam Romano nomini, funditus
sustulit, fecitque suæ virtutis monimentum[6], quod fue-
rat avi ejus clementiæ[7]; Carthago diruta est, quum ste-
tisset annis DCLXVII, abhinc annos CLXXVII[8], Cn. Cornelio
Lentulo, L. Mummio consulibus. Hunc finem habuit 6
Romani imperii Carthago æmula, cum qua bellare ma-
jores nostri cœpere, Claudio et Fulvio consulibus, ante

virtutibus ejus omnibus, quam huic errori, similem. » Item, II, 35, de conjectura nostra : « homo virtuti avitæ simillimus. » Mon. Pis. p. 190, ed. Chish. : « Justissimum ac simillimum parentis sui virtutibus principem. » Sulp. Sev. I, 22 : « Illum sibi Moyses successorem constituerat, virum virtutibus suis simillimum. » Vide Miscell. Observ. VIII, I, p. 25.

1. *Omnibus belli ac togæ dotibus ingeniique*, etc. Hujus loci structura, minime Velleiana, semper offendor. Ab auctoris manu sic profectum videtur : « Omnibus belli ac togæ artibus, ingeniique ac studiorum dotibus eminentissimus seculi sui.

2. *Ac sensit.* Aldus nepos legit : *aut sensit.* Recte.

3. *Consul creatus est. Bellum Carthagini.* Vide quæ annotavimus ad I, I, parag. 4.

4. *Ex provocatione.* Vide Liv. epit. XLVIII, et ibi Drak. — Ex hic eamdem vim habere quam *post* censet Dav. ad J. Cæs. Bell. Civ. I, 5.

5. *Ullius ejus temporis noxiæ.* Veram esse arbitror Gruteri conjecturam, Burmanno etiam probatam: *ulla ejus temporis noxa.* De discrimine, si quod est, inter *noxia* et *noxa*, vide Duker. ad Liv. XLI, 23.

6. *Monumentum.* Exemplar vetustum habet, *monimentum.* BURER.

7. *Avi ejus clementiæ.* Multo elegantius, quod Heinsius reponi jubet: *avitæ clementiæ.* Juntina pronomen *ejus* ejecit.

8. CCLXXVII. Exemplar vetustum habet, CLXXVII. BURER.

annos CCXCVI, quam tu, M. Vinici, consulatum inires; ita per annos CXV aut bellum inter eos populos, aut belli
7 præparatio, aut infida pax fuit: neque se Roma, jam terrarum orbe superato, securam speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis: adeo odium, certaminibus ortum[1], ultra metum durat, et ne in victis quidem deponitur; neque ante invisum esse [2]desinit, quam esse desiit!

1 XIII. Ante triennium, quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ ejus auctor, L. Censorino, M. Manlio[3] consulibus, mortem obiit: eodem anno, quo Carthago concidit, L. Mummius[4] Corinthum, post annos DCCCCLII, quam ab Alete, Hippotis filio[5], erat
2 condita, funditus eruit. Uterque imperator, devictæ a se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus est Achaicus: nec quisquam ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit.
3 Diversi imperatoribus mores, diversa fuere studia: quippe

1. *Adeo odium, certaminibus ortum*, etc. Contraria sententia Cicero dicit in Pison. 32: « Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, etiamsi ferro inter se comminus decertarint, tamen illud contentionis odium simul cum ipsa pugna, armisque ponant; » quod suum fecit Claudian. de IV Cons. Honor. 115: « Odiis idem, qui terminus armis. » Mox *in victis* pro *in victos*, præter Burman. ad h. l. vindicat Passerat. ad Prop. III, 19, 28.

2. *Neque ante invisum esse desinit.* Burmannus *invisum* refert ad *nomen Carthaginis*, idque capit pro ipsa Carthagine. Quam interpretationem refellunt verba *usquam maneret*, quæ de nomine, sive fama per orbem terrarum vulgata, bene dicuntur, de urbe certo loco sita nullo modo. Ex quibus perspicuum est, necessariam esse Lipsii emendationem: « Neque ante invisa esse desiit; » ut *invisa* ad *Carthaginis* referatur. Nihil dicam de ambiguitate, in quam Vell. incidisset, si *invisum*, tam vicina voce *odium*, scripsisset.

3. *M. Manlio.* M. Manilio ex fastis Capitolinis, et universa historia. MANUTIUS; ita et Sigonius.

4. *A. Mummius.* Alias, L. RHEN. Exemplar vetus habet *a* parvum. Inde legendum conjicio: *At Mummius.* BURER.

5. *A Belete Hipponis filio.* Sic editio prima; at editor Basileensis, et H. Junius Animadv. VI, 25, veram lectionem restituerunt: *ab Alete, Hippotis filio.* Vide quæ annotavimus ad I, 3.

Scipio tam elegans liberalium studiorum, omnisque doc-
trinæ et auctor et admirator fuit[1], ut Polybium, Panæ-
tiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque
secum habuerit; neque enim quisquam hoc Scipione
elegantius intervalla negotiorum otio dispunxit[2], sem-
perque aut belli aut pacis[3] serviit artibus: semper inter
arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut ani-
mum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit[4], ut, 4
capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas
manibus tabulas ac statuas, in Italiam portandas loca-
ret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent,

1. *Omnisque doctrinæ et auctor et admirator fuit.* Lipsius pro *auctor* legebat *fautor*; quod bene refellunt Scioppius, de Stylo Histor. p. 176, et Heins. ad h. l. Multo deterius est, quod Davis. ad Cic. Acad. II, 2, reponi volebat, *auditor.* Sed ipse repudiavit ad Cic. de Fin. IV, 16, prolato Ciceronis loco Acad. IV, 2, ubi *auctor philosophiæ* dicitur, qui philosophiæ auctoritatem dat, qui exemplum philosophiæ colendæ præbet. Sic II, 26: «Scævolam, pontificem maximum, et divini humanique juris auctorem celeberrimum.»

2. *Intervalla negotiorum otio dispunxit.* Claud. Puteanus, ad Pacat. Paneg. 10, legendum censet *distinxit*, ut hunc locum etiam laudat Sigonius, Vita Scipion. Æmilian. p. 1102. Sed verbum *dispungere* exquisitius est altero, nec minus accommodatum sententiæ. Cicero, de Orat. II, 80: «Narratio distincta personis, et interpuncta sermonibus.» Orat. 16: «Distincta alios et interpuncta intervalla, moræ, respirationesque delectant.»

3. *Semperque aut belli aut pacis*, etc. Sigonius, Vita Scipion. Æmil. p. 1102, hunc locum suum faciens, verba, «semperque aut belli aut pacis serviit artibus,» omisit, credo, offensus ταυτολογίᾳ, quæ mihi quoque in scriptore brevitatis perstudioso ita displicet, ut hæc verba, quamvis bene Latina, de margine in textum irrepsisse credam. Iis, quæ sequuntur, «aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit,» simillima sunt hæc Nicolai Damasc. Exc. Peiresc. p. 475, de Augusto: ἤσκει γὰρ καὶ τὴν ψυχὴν τοῖς καλλίστοις ἐπιτηδεύμασι, καὶ τὸ σῶμα ταῖς γενναίαις καὶ πολεμικαῖς μελέταις.

4. *Mummius tam rudis fuit.* Hoc aliorum quoque scriptorum testimoniis confirmatur. Strabo, VIII, p. 584: Μεγαλόφρων γὰρ ὢν μᾶλλον ἢ φιλότεχνος ὁ Μόμμιος. Plin. Hist. Nat. XXXV, 4: «Quum in præda vendenda rex Attalus VI sestertium emisset Aristidis tabulam, Liberum patrem, pretium miratus, suspicatusque aliquid in ea virtutis, quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, et in Cereris delubro posuit».

5 novas esse reddituros[1]. Non tamen, puto, dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, et quin hac prudentia illa imprudentia[2] decori publico fuerit convenientior.

1 XIV. Quum facilius cujusque rei[3] in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæreat[4], statui priorem hujus voluminis, posterioremque partem, non inutili rerum notitia in artum contracta, distinguere, atque huic loco inserere, quæ quoque tempore, post Romam a Gallis captam, deducta sit colonia jussu senatus : nam militarium et caussæ[5], et auctores, et ipsarum præfulgent nomina[6]; huic rei per idem tempus civitates propagatas[7], auctumque Romanum nomen

1. *Novas eos reddituros.* Sic editio prima; sed de Heinsii conjectura restitui : *novas esse reddituros.* Et sic locum laudavit Freinshem. Supplem. Liv. 52, p. 1028.

2. *Et quin hac prudentia.* Tametsi sic habeat vetustum exemplar, tamen videtur legendum : *et quia hac prudentia.* Burer.

3. *Quum facilius cujusque rei*, etc. Hunc locum Is. Casaub. comparavit cum simili Suet. Aug. 9: « Proposita vitæ ejus velut summa, partes singulatim, neque per tempora, sed per species, exsequar; quo distinctius demonstrari cognoscique possint. »

4. *Oculis animisque inhæreat.* Ovidius, ep. II, 91 : « Illa meis species oculis abeuntis inhæret. »

5. *Nam militarium et caussa.* Exemplar vetus sic habuisse videtur : *Nam militarium et caussæ;* apiculo illo quo fit diphthongus, abraso Burer.

6. *Et ipsarum præfulgent nomina.* Vix mihi temperavi, quin certissimam Heinsii emendationem reciperem : *ex ipsarum præfulgent nomine.* Ceterum in hac Velleii de coloniis digressione nonnulla reprehendit W. Goesius, Antiqu. Agr. cap. III, quæ excutiat, qui volet. Ridicule is quidem ex corruptis Velleii verbis colligit, coloniarum nomina, columnis incisa, in publico fuisse proposita : nec reliqua his sunt meliora.

7. *Civitates propagatas.* Immo *civitatem propagatam*, scilicet Romanam, ut verissime legit Lipsius. Mox pro *communione* malim *communicatione.* Apposite Cicero, pro Balb. 13 : « Illud maxime nostrum fundavit imperium, et populi Romani nomen auxit, quod Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate et exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio et communicatio civitatis. » Nec tamen negem, *communione* ferri posse. Rutil.

communione juris, haud intempestive subtexturi vide-
mur. Post septem annos, quam Galli urbem ceperunt, 2
Sutrium[1] deducta colonia est, et post annum Setina[2], no-
vemque interjectis annis Nepe; deinde, interpositis duo-
bus et triginta, Aricini in civitatem recepti. Abhinc an- 3
nos autem CCCL, Sp. Posthumio, Veturio Calvino consu-
libus, Campanis[3] data est civitas, partique Samnitium,
sine suffragio: et eodem anno Cales deducta colonia.
Interjecto deinde triennio, Fundani et Formiani in ci-
vitatem recepti, eo ipso anno, quo Alexandria condita
est[4]; insequentibusque consulibus, a Sp. Posthumio, 4
Philone Publilio, censoribus[5], Acerranis data civitas: et
post triennium Tarracinam[6] deducta colonia: interposi-
toque quadriennio, Luceria: ac deinde, interjecto trien-
nio, Suessa Aurunca; et Saticula, Interamnaque post

Itin. I, distich. 65, de hac ipsa re: « Dumque offers victis proprii consortia juris, Urbem fecisti, quod prius orbis erat. »

1. *Sutrium*. Sigon. ad Liv. VI, 16, et Ursin. ad h. loc. *Sutrium* mutant in *Satricum*; quod secutus videtur Wesseling. ad Diod. Sic. XV, p. 22. Sed idem Sigon. de Ant. Jur. Ital. II, 5, p. 407, tenet vulgatam lectionem *Sutrium*. Vide Drakenb. ad Liv. VI, 3; IX, 32.

2. *Setina*. *Setia* legit Aldus nepos. Recte; nam *Setina* adjectiva forma est. De hac colonia vide Duker. ad Liv. XXVI, 8. Ejus mentio in lapide apud Murator. p. 1117, 5.

3. *Campanis*. De dissensu in tempore, qui est inter Livium et Velleium, vide Duker. ad Liv. VIII, 14.

4. *Quo Alexandria condita est*. Vide Scaligeri Animadversiones in Euseb. p. 126.

5. *A Sp. Posthumio, Philone Publilio, censoribus*. Satis constat, non censores, sed populum civitatem dedisse. Atqui his ipsis Acerranis, Liv. VIII, 17, diserte scribit, civitatem sine suffragio datam esse, lege ab L. Papirio prætore lata. Quomodo igitur Velleius a censoribus concessam dicere potuit? Mihi nihil certius videtur, quam quod Dukerus ad Liv. l. c. suspicatur, præpositionem a mala manu venisse. Editio prima, *Philone Publio*.

6. *Tarracinam*. Lipsius scribebat *Tarracina*, ut cum sequentibus conveniret. Contra Dacerius, ad Fest. v. *Saticula*, tenens *Tarracinam*, sequentes nominativos in accusativos mutabat, *Luceriam*, *Suessam Auruncam*, *Saticulam*, *Interamnam*. Lenissima, fateor, Lipsii medicina; sed vulgata defendi potest ex iis, quæ Gronov. ad Liv. IX, 28, et Drakenborchius, ad XXXIX, 44, annotarunt.

5 biennium. Decem deinde hoc munere anni vacaverunt; tunc Sora atque Alba[1] deductæ coloniæ, et Carseoli
6 post biennium. At quintum Fabio, Deciq Mure quartum consulibus[2], quo anno Pyrrhus regnare cœpit, Sinuessam, Minturnasque missi coloni; post quadriennium Venusiam; interjectoque biennio, M. Curio et Rufino Cornelio consulibus, Sabinis sine suffragio data
7 civitas; id actum ante annos ferme cccxx[3]. At Cosam[4] et Pæstum abhinc annos ferme trecentos, Fabio Dorsone et Claudio Canina coss.; interjecto quinquennio, Sempronio Sopho et Appio Cæci filio coss., Ariminum, Beneventum[5] coloni missi; et suffragii ferendi jus Sabinis

1. *Sora atque Alba.* Vide Duker. ad Liv. epit. x, et ad xxvi, 8.

2. *Ad quintum Fubioque Decio Mure quarto Coss.* Alias, *at Q. Fabio quintum.* Rhenan. Exemplar vetus sic habet : *ad qntum Fubioque Decio Mure Cons.* Locum hunc veræ ac genuinæ lectioni suæ sic restituendum puto. Qui aliquando veterum èxemplaria evolverunt, sæpicule immo ferme semper et ubique *t* pro *d*, et rursum *d* pro *t* positum legerunt; ut *haut* pro *haud*, *aput* pro *apud*, et *at* pro *ad*, multaque hujusmodi. Noverunt item, pleraque veterum exemplaria sine majusculis literis, sine punctis, demum etiam sine omni sententiarum discrimine scripta. Nunc quum præsentem Velleii locum sic scriptum repererim (*ad quintum Fabioque Decio Mure quarto Coss.*) literis singulis ordine diligenter excussis atque perpensis, sic legendum hunc locum exhibeo : *Ad quintum Fabio Q.* (fuit autem Q. Fabius, teste Livio, quinquies consul : ideirco *quintum* pro quinto adverbialiter hic positum opinor), *Decio Mure quarto Cons. Ad* hic, ut dixi, pro *at* positum est, nisi si cui videatur ad *Sinuessam* referri debere, quod tamen non est simile vero. *Fabioque* pro *Fabio Q.* positum videtur, non pro *Fabio* et *que* conjunctione. Burer. Recepimus correctionem Rhenani.

3. cccxxx. Exemplar vetustum habet cccxx. Burer.

4. *At Cossa.* Exemplar vetustum habet : *At Cosa.* Burer. *Cosa* per unum *s* rectius scribitur, ut apud Liv. epit. xiv : *Coloniæ deductæ sunt Posidonia et Cosa.* Adjuncta Posidonia vel Pæstum ostendit, Cosam Lucaniæ, non Cosam Etruriæ, intelligendam esse. Quæ urbes sæpe confunduntur, ut hic a Vossio, et ipso Cellario, Geogr. Antiq. t. 1, p. 576. Eadem urbs *Compsa* dicitur xi, 68; recte vero *Cosam* legit editor Basileensis. Qui accusativus pendet a verbis sequentibus, *coloni missi.*

5. *Ariminum, Beneventum* Vide Scaligeri Animadversiones in Eusebium, p. 132.

datum. At initio primi belli Punici Firmum et Castrum 8
colonis occupata : et post annum Æsernia, postque
xxii annos Æsulum et Alsium; Fregellæque[1] anno post
biennium; proximoque anno, Torquato Semproniοque
coss., Brundisium[2]; et post triennium Spoletium: quo
anno Floralium ludorum factum est initium; postque
biennium deducta Valentia[3], et sub adventum in Italiam
Hannibalis, Cremona atque Placentia.

XV. Deinde, neque dum Hannibal in Italia mora- 1
tur, neque proximis post excessum ejus annis, vacavit
Romanis colonias condere, quum esset in bello conqui-
rendus potius miles, quam dimittendus; et post bellum
vires refovendæ magis, quam spargendæ. Cn. autem 2
Manlio Volsone et Fulvio Nobiliore[4] coss., Bononia de-
ducta colonia, abhinc annos ferme ccxvii, et, post qua-
driennium, Pisaurum ac Potentia[5]; interjectoque trien-
nio, Aquileia[6] et Gravisca, et post quadriennium [7]Luca.
Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam 3
ambigitur, Puteolos[8], Salernumque[9] et Buxentum missi
coloni; auximum autem in Picenum, abhinc annos
ferme clxxxvii ante triennium, quam Cassius censor,
a Lupercali in Palatium[10] versus, theatrum facere insti-

1. *Fregellæque*. Sigonius, ad Liv. epit. xix, bene corrigit, *Fregenæque*. Vide eumdem de Antiq. Jur. Ital. ii, 5, p. 410. Mox *anno* recte expunxit editor Basileensis, quamvis Heinsio placuisse videatur.

2. *Brundisium*. Vide Drakenb. ad Liv. epit. xix.

3. *Deducta Valentia*. Editio prima *ducta*, quod editor Basileensis bene mutavit in *deducta*, frustra defendente Heinsio.

4. *Et Fulv. Nobiliore*. Sic ed. prim. pro quo edit. Basil. *M. Fulv. Nobil.*

5. *Potentia*. Vide interpretes ad Liv. xxxix, 44.

6. *Aquilia*. Exemplar vetus habet, *Aquileia*. Burm.

7. *Luca*. Vide Drakenborch. ad Livium, xli, 13.

8. *Puteolos*. Vide Dukerum, ad Livium, xxxiv, 45.

9. *Salernum*. Editio prima, *Falernum*, quod editor Basileensis emendavit ex Livio xxxiv, 45.

10. *A Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit*. Nonnihil dubito, an legendum sit : « Lu-

tuit; cui in demoliendo[1] eximia civitatis severitas, et cons. Scipio[2] restitere; quod ego inter clarissima publicæ
4 voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui Sallues[3] apud Aquas, quæ ab eo Sextiæ appellantur, devicit, coss., Fabrateria deducta est, abhinc annos ferme CLVII, et, post annum, Scylacium[4], Minervium, Tarentum, Neptunia[5], Carthagoque in Africa prima, ut prædiximus[6], extra Italiam
5 colonia condita est. De Dertona ambigitur; Narbo autem Martius[7] in Gallia, Porcio, Marcioque[8] coss., abhinc annos circiter CLIII, deducta colonia est; post tres et viginti annos in Bagiennis[9] Eporedia[10], Mario sexies,

percalia in palatium versus theatrum facere instituit. BURER.

1. *Cui in demoliendo.* Diximus ad Rutil. Lup. I, p. 4, nobis legendum videri, *cui id emolienti*, vel potius *molienti*. Scriptores eamdem rem narrantes indicant Sigon. in Fast. p. 341, et Freinshemius, Supplem. Liv. XLVIII, p. 946.

2. *Scipio.* Editio prima, *Cepio.* Verum nomen revocarunt Aldus nepos, et Lips. ad h. l. et ad Tacit. Annal. XIV, 20. *Scipio* et *Cæpio* quoties a librariis confusa sint, ostendit etiam M. Solanus, ad Plutarch. Lucull. p. 176.

3. *Sallyes.* Exemplar vetus habet, *Sallues.* BURER.

4. *Scolatium.* Sic editio prima, *Scylacium* dedit edit. Basil. Recte.

5. *Neptunia.* Mazochius, qui interdum supra compilatorem sapere audet, Collectan. de Pæsto, p. 501, 599, *Neptuniam* eamdem facit Pæsto, sive Posidoniæ. Cui conjecturæ quum repugnet, quod capite præced. legitur: « At Cosam et Pæstum abhinc annos ferme CCC, Fabio Dorsone et Claudio Canina coss. », temere fingit duplicem coloniam diversis temporibus Pæstum deductam. *Neptunium* est in lapide apud Reines. Inscript. Cl. VIII, n. 44, p. 527; sed diversum videtur a *Neptunia.*

6. *Ut prædiximus.* Assentior Vossio, hæc verba ejicienti. De Carthagine colonia Velleius bis dixit, hoc loco, et II, 15. Quod quum plus satis sit, quis eum in parte operis deperdita tertio dixisse credat?

7. *Narbo Martius.* Vide Scaligeri Animadversiones in Euseb. p. 148.

8. *Porcio Marcioque.* Editio prima, *Portio Marcoque.* Editor Basileensis scripsit: *M. Porcio*, *Qu. Marcio.*

9. *In Baciennis.* Exemplar vetus habet: *in Bagiennis.* BURER. *Baciennis* habet editio prima. *Vagiennis* edidit Aldus nepos; sed *Bagiennis* quoque est in lapidibus et libris antiquis. Vide Gruter. Inscription. p. 528, 4, et interpretes ad Sil. Ital. VIII, 607.

10. *Eporedia sexies, Mario sexies Valerioque Flacco coss.* Exemplar vetus habet: *Eporedi, Mario sexiens Valerioque Flacco coss.* BURER.

Valerioque Flacco coss.; neque facile memoriæ mandaverim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

XVI. Quum hæc particula operis velut formam propo- 1
siti excesserit, quamquam intelligo, mihi in hac tam præ-
cipiti festinatione, quæ me, rotæ, pronive gurgitis ac
verticis[1] modo[2] nusquam patitur consistere, pæne ma-
gis necessaria prætereunda, quam supervacua amplec-
tenda : nequeo tamen temperare mihi, quin rem sæpe
agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione per-
ductam, signem stilo. Quis enim abunde mirari potest, 2
quod eminentissima cujusque professionis ingenia[3], in

1. *Ac verticis.* Mirum, ni hæc verba e glossa fluxerint.

2. *Quæ me, rotæ... modo.* Seneca, Hippol. 1236 : « Hæc incitatis membra turbinibus ferat Nusquam resistens orbe revoluto rota »

3. *Quod eminentissima cujusque professionis ingenia*, etc. Hunc locum, pæoe pro conclamato habitum, cum aliorum, tum nostris conjecturis ita restituimus : « quod eminentissima cujusque professionis ingeoia, io eamdem formam, et in idem artati temporis congruere spatium; et, quemadmodum clausa capso, aliove septo, diversi generis animalia, nihilo mious, separata alienis, in unum quæque corpus congregantur, ita cujnsque clari operis capacia ingenia, in similitudine et temporum et profectuum, semetipsa ab aliis separaverunt. » Nunc singularum mutationum rationem reddamus. Pro *eam formam* Rhenanus bene scripsit *eamdem formam.* Nec minus bene Heinsius *congruere* pro *congruens*, quod tempus postulat verbum *separaverunt.* Tum certum est *aliove* pro *alioque*, et *quæque* pro *quoque*, ex Lipsii correctione. Nos denique pro *in similitudinem*, scripsimus *in similitudine*, id est : quum iogenia æqualia fuerint et temporibns, et profectibus, quum et eodem tempore floruerint, et æqne excelluerint. Qna loquendi forma oihil frequentius apud Ciceronem, ad Div. 1, 2 : « in taota hominum perfidia; » pro, quum homines tam perfidi sint. Liv. XXIII, 9: « Torpescentne dextræ in amentia illa? » ubi vide Duker. Vellei. II, 118: « Germani in summa feritate versutissimi. » Sensus totius loci hic est : Summi quique in qualibet arte viri una eademque, tametsi paucorum annorum spatio divisa, ætate vixerunt, et doctrinæ studia ad eumdem modum coluerunt, Sophocles, Aristophanes, Plato, Isocrates, etc. Verum ut, si diversi generis animalia, pavooes, anseres, gallinas, eodem septo claudas, pavones se jungant pavonibus, separeot se ab anseribus; ita iidem viri excellentes, quamquam eadem ætate vixerunt, et pari studio bonas artes illustraruot, tamen se in diversa corpora separarunt, ut alii essent tragici, alii comici, alii philosophi, alii ora-

eamdem formam[1], et in idem artati temporis congruens
spatium; et, quemadmodum clausa capso[2], alioque septo
diversi generis animalia, nihilo minus separata [3]alienis,
in unum quoque corpus congregantur, ita cujusque clari
operis capacia ingenia in similitudinem et temporum et
3 profectuum semetipsa ab aliis separaverunt? Una, ne-
que multorum annorum spatio divisa, ætas, per divini
spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, il-
lustravit tragœdias: una priscam illam et veterem[4] sub
Cratino, Aristophane et Eupolide comœdiam; at novam
(comicam)[5] Menandrus[6], æqualesque ejus ætatis magis
quam operis, Philemon ac Diphilus, et invenere intra
4 paucissimos annos, neque imitanda reliquere[7]. Philoso-
phorum quoque ingenia, Socratico ore defluentia[8], om-

tores. Hæc Velleii sententia Burmannum fefellit. Quo minus mirandum est, hanc comparationem ab eo parum ingeniosam vocari.

1. *In eam formam.* Alias, *in eamdem formam.* Rhenan.

2. *Capsa.* Exemplar vetus habet, *capso.* Burer.

3. *Separata alienis.* Vascos. *separata ab alienis.*

4. *Priscam illam et veterem.* Sic II, 89, et 125, jongit *priscus* et *antiquus*; ubi vide Burm. Cicero, de Orat. III, 38: « Inusitata sunt, prisca fere ac vetusta; » pro Dom. 47: « veteribus et priscis institutis; » ubi Grævius favere videtur deteriori lectioni: « veteribus et publicis institutis. » At Cicero utrumque conjunxit exemplo oratorum Atticorum, ut Lysiæ c. Andocid. p. 129: κατὰ τὸ νόμιμον τὸ παλαιὸν καὶ ἀρχαῖον· ubi Jo. Taylorus παλαιὸν in πάτριον motaos, immemor erat Demosthenis sui c. Androt. p. 216: Ἀλλ' ἐκεῖνα μὲν ἀρχαῖα καὶ παλαιά. Nec G. Arnaldus. Var. Conj. II, 14, ab isto errore sibi cavit. Plin. III Ep. 6: « æs ipsum vetus et antiquum; » Arnob. II, p. 87: « priscorum veterrimorumque mortalium. »

5. *Ac.... comicam.* Pro *ac* recepimos *at* ex correctione Aldi nepotis, et vocem *comicam*, quam Acidalius merito ejecit, uncis inclusimus.

6. *Menandrus.* De hac forma vide Heins. ad Virgil. Æn. VIII, 100, et quos laudat Fabric. Biblioth. Lat. io t. II, p. 25.

7. *Neque imitanda reliquere.* Sic editio prima. Acidalius *imitandam* legit, constructionis potius, quam sententiæ rationem habens; nam si Menander novam comœdiam ingenio suo perfecit, sane omnibus imitandam reliquit. Nobis in mentem venit, quod et Warburtono, Bibl. Brit. t. VII, p. 264, legendum esse: « Neque emendandam reliquere. »

8. *Ingenia, Socratico ore defluen-*

nium, quos paulo ante enumeravimus[1], quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem, quid post ejus auditores eorumque discipulos clarum in oratoribus fuit? adeo quidem artatum[2] angustiis temporum, ut nemo memoria dignus, alter ab altero, videri nequiverint[3]; neque hoc in Græcis, quam in Romanis, evenit magis.

XVII. Nam, nisi aspera ac rudia repetas, et inventi 1
laudanda nomine[4], in Accio circaque eum[5] Romana tra-
gœdia est; dulcesque Latini leporis facetiæ[6] per Cæci-
lium, Terentiumque et Afranium suppari ætate[7] nitue-
runt. Historicos, ut et Livium[8] quoque priorum ætati 2

tia. Expressit ex Cicerone, de Orat. I, 10: « Philosophorum greges, ab illo fonte et capite, Socrate; » quem etiam imitatur incertus Panegyr. Constantin. 1: « Si quid forte commode dicimus, ex illo fonte et capite facundiæ imitatio nostra derivat. »

1. *Omnium, quos paulo ante enumeravimus.* Leve in hoc loco mendum est, sed tamen ejusmodi, ut viris doctis tenebras offuderit. Scribendum: *Omniumque, quos paulo ante enumeravimus.* Intelligit tragicos et comicos, paulo ante commemoratos. *Que* quam facile haustum sit a sequenti *quos*, monere nihil attinet. Nec compositio *que, quos* asperior videri debet, quam in Nepote, Epam. 8: « Omniaque, quæ collegæ dixerant. » Plura ejusdem generis collegit J. M. Heusingerus, ad Nepot. Lysandr. 1.

2. *Adeo quidem artatum.* Scribendum: *Id adeo quidem artatum. Id* excidit vicinitate similium syllabarum.

3. *Nemo.... nequiverint.* Exempla, quibus *nemo* cum numero plurali struitur, collegit Oudendorp. ad Appulei. Met. IV, p. 302. Vascos. *videri quiverit.*

4. *Inventi laudanda nomine.* II, 9: « Novitate inventi a se operis commendabilem. »

5. *Circaque eorum.* Alias, *circa quorum.* RHENAN. Ego legendum puto: *Circaque eum.* BURER. Editor Basileensis *eorum* delevit. Recte Burer. Seneca pater præf. Contr. 1, p. 65: « Quicquid Romana facundia habet, quod insolenti Græciæ, aut opponat, aut præferat, circa Cicer. effloruit; » ubi vide Jo. Schulting.

6. *Dulcesque Latini leporis facetiæ.* Manil. IV, 528: « Nec triste ingenium, sed dulci tincta lepore Corda creat. »

7. *Suppari ætate.* Sic correxerunt Acidalius et Lipsius. Editio prima, *sub pari ætate*, quod natum ex scriptura *subpari* pro *suppari.* Vide cl. P. Burmann. Secundum ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 535.

8. *Et, ut Livium.* Alias, *ut et.* BURER. Editor Basil. *et* expunxit. Legendum cum Burerio, *ut et.* Nec insolens est, *et quoque* jungi. Liv. ep. LXXXII: « et castris quoque ex-

adstruas, præter Catonem et quosdam veteres et obs-
curos, minus LXXX annis circumdatum ævum tulit: ut
nec poetarum in antiquius citeriusve[1] processit ubertas.
3 At oratio, ac vis forensis, perfectumque prosæ eloquen-
tiæ decus, ut idem separetur Cato (pace P. Crassi, Sci-
pionisque, et Lælii, et Gracchorum, et Fannii[2], et Ser.
Galbæ[3] dixerim), ita universa sub principe operis sui
erupit Tullio, ut delectari ante eum paucissimis, mirari
vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui
4 illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis[4], plastis,
pictoribus, scalptoribus, quisquis temporum instituerit
notis[5], reperiet, et eminentia[6] cujusque operis artissimis

pugnatis, » ubi vide Drakenb. Sic *et etiam*. Sueton. Aug. 19: « Tumultus post hæc, et etiam rerum novarum initia. » Tres copulæ cumulantur in lapide apud Gruter p. 173, 2: « Macellum vetustate collapsum pecunia restituerunt, etiamque et mensas lapideas posuerunt. »

1. *Citerius*. Eleganter pro propius, recentius. Cicero, de Legib. III, 2: « Ut ad hæc citeriora veniam et notiora nobis. » De hac notione, non omisso Velleii loco, pulchre et copiose Gronov. Obs. IV, 11, p. 167.

2. *Fauni*. Exemplar vetus habet, *Fannii*. BURER.

3. *Ser. Galbæ*. Ita correxit editor Basileensis vitium editionis primæ, *Servi Galbæ*.

4. *Grammaticis*. Hanc scripturam frustra sollicitant viri eruditi. Galenus, Protrept. ad Artes, p. 1: τούτων δ' ἐφεξῆς ὁ δεύτερος χορὸς, ζωγράφοι, πλάσται, γραμματισταί, τέκτονές τε καὶ ἀρχιτέκτονες, καὶ λιθογλύφοι. Verissimam esse Velleii rationem, historia docet; nam qui artis grammaticæ principes numerantur, Aristophanes, Aristarchus, Crates Mallotes, Apollodorus, etc. eadem fere ætate floruerunt. Quod si Velleius Latinos potius, quam Græcos, grammaticos spectavit, non minus vera reperitur ejus ratio. Nam Varro, Nigidius, et alii clari inter Latinos grammatici, quos Suetonius recenset, eodem fere tempore vixerunt.

5. *Scalptoribus, quisquis temporum institerit notis*. Exemplar vetus sic scriptum habet: *Scaltoribusq. uisquisq. temporum institerit notis*. Ego literarum positione ducor, ut sic legendum existimem: *Scalptoribusque, ut quisque temporum institerit notis*; aut sic: *Scalptoribusque et quisquis temporum institerit notis*. BURER. Nulla caussa est, quare a Rhenani lectione recedamus.

6. *Reperiet, et eminentiam.... circumdatam*. Exemplar vetus sic habet: *Reperiet eminentia.... circumdatam*. BURER. Restituimus *Reperiet, et eminentia.... circumdata*. Bene Rhenanus addidit *et*, quod ultima syllaba verbi *reperiet* absorpserat.

temporum claustris circumdata. Hujus ergo, præcedentisque seculi[1] ingeniorum similitudinis, congregationisque et in studium par, et in emolumentum[2], caussas quum semper requiro, nunquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse veri similes : inter quas 5
has maxime[3]. Alit æmulatio ingenia : et nunc invidia, 6
nunc admiratio imitationem accendit[4]: matureque[5], quod summo studio petitum est, ascendit in summum, difficilisque in perfecto mora est[6]; naturaliterque, quod pro-

1. *Hujus ergo præcedentisque seculi*, etc. Exemplar vetus sic habet: « Hujus ergo recedentis mq. seculum ingeniorum similitudines congregantesq. se et in studium par et memolumentum. » Hic ideo vetusti codicis formam lectori proposuimus, ut videat, quibus laboribus Velleius a mendis, quibus scatebat, innumeris, fuerit repurgandus. Burer. Rhenanus sic edidit : « Hujus ergo præcedentisque seculi ingeniorum similitudines congregantis et in studium par et in emolumentum. » Scribendum : « Hujus ergo, præcedentisque seculi ingeniorum similitudinis, congregationisque et in studium par, et in emolumentum, etc. » Quod sine dubitatione in textum admisi. Librarium in fraudem induxit trium genitivorum cum uno nomine *caussa* conjunctio. Livius, præf. : « Me ipsum consuluisse memoriæ rerum gestarum principis terrarum populi. » Plin. Hist. Nat. II, 8 : « Trium maximarum rerum naturæ partium magnitudinem detegit. » Plura Drakenborch. ad Liv. XXV, 15. Ut hic *recedentis* vitiose pro *præcedentis*, sic II, 118, contrario errore *præcepit* pro *recepit*. De voce *emolumentum*, ad II, 78, dicemus.

2. *Et in emolumentum.* Vocem, quæ excidit, sic restitue : *Et in idem emolumentum.*

3. *Inter quas has maxime.* Acidalius tentabat : « Interque eas has maxime. » Nihil mutandum. Livius, ep. 88 : « Italiam cædibus implevit, inter quas omnes Prænestinos, etc. » Sueton. Cæs. 52 : « Dilexit et reginas, inter quas Eunoen; » etsi ibi quoque cl. Ernestus malit, *interque eas.*

4. *Imitationem accendit.* Sic verissime Acidalius; quod in textum recepi. Editio prima, *incitationem accendit.*

5. *Matureque.* Idem Acidalius pari felicitate ex *naturaque*, quod est in edit. prima, fecit *matureque;* quod et ipsum restitui. Quis *natura* ferat in tanta vicinitate vocis *naturaliter?* Et constat, hæc verba perpetuo confundi.

6. *Difficilisque in perfecto mora est.* G. Vossius præclare vidit, Velleium ad literarum studia traduxisse, quod Hippocrates, Aphor. sect. I, 3, de athletarum valetudine dixerat : Αἱ ἐπὶ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραὶ, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν, οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐκ ἔτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται

7 cedere non potest, recedit. Et, ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur, ita, ubi aut præteriri, aut æquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, et, quod adsequi non potest, sequi desinit, et, velut occupatam relinquens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid[1], in quo nitamur, conquirimus: sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum[2] sit.

οὖν ἐπὶ τὸ χεῖρον, quod elegantissime expressit Celsus, de Medic. II, 2: « Si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet. Quæ quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, fere retro, quasi ruina quadam, revolvuntur. » Ab Hippocrate hanc etiam sententiam sumpsit Eustath. ad Od. Λ, p. 439, de Oto et Ephialte: Εἰ ταχὺ ἀνθήσαντες ταχὺ ἀπεῤῥύησαν, καινὸν οὐδὲν, οὕτω γὰρ αἱ εἰς ἄκρον εὐεξίαι σφάλλονται. Cujus loci indicium debeo Valckenario meo; sed nescio, an Velleius simul respexerit Cic. Tusc. Disp. II, 2: « Oratorum laus ducta ab humili venit ad summum, ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat, brevique tempore ad nihilum ventura videatur. » Seneca pater, præf. Contr. I, p. 66: « Fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem quam adscenderant, relabantur; » ubi ob oculos habuit illa Laberiana, apud Macr. Saturn. II, 7: « Summum ad gradum quum claritatis veneris, consistes ægre, et citius quam adscendas, decides. » Senecam imitando expressit Lucanus, I, 70: « Invida fatorum series, summisque negatum Stare diu; » et v. 81: « In se magna ruunt: lætis hunc numina rebus Crescendi posuere modum. » Seneca, Cons. ad Helv. 23: « Ubi incremento locus non est, vicinus occasus est. Indicium imminentis exitii maturitas, et appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt. » Calpurn. Flacc. Decl. VIII: *Nesciunt stare successus, et quoties prodire felicitas non potest, redit*, vel potius *recedit*; ut Gronovius ex Velleio nostro scribebat.

1. *Aliquid*. Pro aliud quid, ut sæpe apud optimos quosque; ne eum Perizonio *aliud* legas. Vide quos laudat cl. Ernestus, ad Tacit. Ann. I, 4, t. I, p. 16 nostræ Editionis.

2. *Impedimentum*. Lipsius *indicamentum* volebat, eo quod perfecti jam patratique operis nullum possit esse impedimentum; sed omnino non est tentanda hæc lectio, qua Velleius nihil aliud quam id exprimere studuit: « Dum homines, desperantes æmulationem perfecti jam ab alio operis, alias sibi vias subinde quærunt, fieri ut perfectioris operis gloria hoc pacto relicta diuturna non sit; » quum alias, si præclara ingenia « perseverarent in eo eniti, in quo jam alios vident excelluisse, directa hæc ad perfectionem operis vel con-

XVIII. Transit admiratio ad conditionem temporum, et ad urbium[1]; una urbs Attica pluribus annis eloquentiæ[2], quam universa Græcia, operibusque floruit; adeo ut corpora gentis illius separata sint[3] in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris[4] clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam neminem Argivum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem, aut dum vixit auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum[5]. Quæ urbes (et in Italia), 3

servandam, vel ornandam via foret.» Est ergo *impedimentum* quo perfectio alicujus rei debilitatur, quo ἀκμὴ ad παρακμὴν inclinatur; adeoque fastigium et præcellentia illa, quominus æqualiter se et constanter habeat, impeditur. BÆCLER.

1. *Transit admiratio ad conditionem temporum, et ad urbium.* Schegkius, cujus ingenio Velleius parum aut nihil debet, hic bene emendat: « Transit admiratio ab conditione temporum et ad urbium; » scil. conditionem. Forte etiam *transeat* pro *transit* scribendum, ut Heinsius suspicatur.

2. *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiæ*, etc. Hujus loci emendatio quum male cessisset Velleii interpretibus, Gronovius, Obs. II, 23, non mutanda verba, sed hoc modo explicanda esse censuit: « Eloquentiam quasi hominem considerat, ejusque et annos et opera laudat. *Anni eloquentiæ* dicuntur, quia non annos modo, sed secula aliquot continuarunt Athenæ ingeniis et gignendis et nutriendis. *Opera eloquentiæ*, scripta edita, per innumeras illas species, quibus illa se induit. » Quæ ratio quam dura sit, vel me tacente, intelligitur. Nos in Hist. crit. Orat. Gr. p. 37, feliciter emendavimus: « Una urbs Attica pluribus sanæ eloquentiæ, quam universa Græcia, operibus effloruit. » Inde, quæ sunt huic correctioni firmandæ, petantur. Vascos. *operibus floruit.*

3. *Separata sint.* Sublato *sint*, concinnior est oratio, quod recte vidit Gruterus. Vix dubitem, quin a Velleii manu sit: « Ut corpora gentis illius sparsa sint in alias civitates. »

4. *Ingenia vero solis Atheniensium muris*, etc. Hic locus expressus est e Ciceronis Bruto, 13: « Hoc autem studium non erat commune Græciæ, sed proprium Athenarum. Quis enim aut Argivum oratorem, aut Corinthium, aut Thebanum scit fuisse temporibus illis? nisi quid de Epaminonda, docto homine, suspicari libet. Lacedæmonium vero usque ad hoc tempus, audivi, fuisse neminem. » Ex quibus locis inter se comparatis, quid nativa Ciceronis simplicitas ab argutiis Velleii differat, cognoscere licet. Vide Histor. crit. Orat. Gr. l. c.

5. *Existimatum. Quæ urbes talium studiorum.* Exemplar vetus habet: *Existimatumque urbes et initalia talium studiorum.* Conjicio legendum: *Quæ urbes, et multæ aliæ*, sive, *item aliæ, talium studiorum.* Mihi

talium studiorum fuere steriles, nisi Thebas[1] unum os Pindari[2] illuminaret[3]; nam Alcmana Lacones[4] falso sibi vindicant.

tamen prior lectio melius placet. BURER. Rhenanus verba, *et in Italia*, quæ glossam sapiunt, recto judicio omisisse videtur : nos certe uncis sepsimus.

1. *Ni Thebas*. Exemplar vetus habet : *Nisi Thebas*. BURER.

2. *Os Pindari*. Plinius, Hist. Nat. II, 12 : « Quo in meto fuisse Stesichori et Pindari vatum sublimia ora palam est. » Cæterum Thebas quoque illustravit Pindari æmula, Corinna. Themistius, Or. XXVII, p. 234 : ὅν τινα Βοιωτίαν ἐκάλουν.... ἀλλ' ὅμως Πίνδαρος καὶ Κόριννα, καὶ Ἡσίοδος, οὐκ ἐμολύνθησαν τῆς ὑός.

3. *Illuminaret*. Poeta vetus de Vettio Agorio prætextato, Anthol. Lat. t. II, p. 149 : « Agori superbo qui creatos germine, Patriam, Senatum, conjugemque illuminas. »

4. *Alcmana Lacones*. Alii *Lydum* fecere : quam litem dirimit cl. Salmasius, Exerc. Plin. p. 579, principio partis, ex veteri epigrammate quod apud Plutarchum περὶ φυγῆς exstat, unde patet *Lydium* origine, parentes Sardibus oriundos habuisse, Spartæ edocatum, eoque nomine civem Spartæ habitum fuisse. BECLER.

C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ,

AD M. VINICIUM,

CONSULEM,

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. POTENTIÆ Romanorum prior Scipio viam 1
aperuerat, luxuriæ posterior aperuit : quippe remoto Carthaginis metu[1], sublataque imperii æmula[2], non gradu, sed præcipiti cursu, a virtute descitum[3], ad vitia

1. *Remoto Carthaginis metu*. Huc, ni fallor, pertinet illud Varronis, de Vita Pop. Rom. lib. II, apud Non. Marcell. p. 481 : « Propter res secundas, sublato metu, non in commune spectant, sed suum quisque diversi commodum aucupantur. » Quam ipsam rem ita expressit Sallustius, Jug. 41, nostræ Editionis, p. 214 : « Sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt : respublica, quæ media fuerat, dilacerata. » Idem, Hist. I, apud August. de C. D. II, 18 : « Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit, plurimæ turbæ, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt. » Vide nostram Edit. pag. 347. Ex quibus Sallustii verbis colorem duxit auctor epigrammatis de Asdrubale, Anthol. Lat. t. I, p. 200 : « Tu quoque, Roma, doles; nam, dum cadit æmula virtus, In te converti, quæ geris, arma vides. » Flor. II, 15, 5 : « Carthaginem servandam, ne, metu ablato æmulæ urbis, luxuriari felicitas inciperet. » Adde eumd. III, 12, 2, et ibi interpretes.

2. *Imperii æmula*. Ex Sallustio, Catil. 10 : « Ubi Carthago, æmula imperii Romani, ab stirpe interiit. »

3. *Non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum*. Imitatur Sallustium, Hist. I, apud Augustin. l. c. : « Ex quo tempore majorum mores

transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in
2 otium conversa civitas. Tum Scipio Nasica in Capitolio porticus; tum quas prædiximus, Metellus; tum in Circo Cn. Octavius multo amœnissimam, moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est.
3 Triste deinde, et contumeliosum bellum in Hispania, duce latronum Viriatho, secutum est: quod ita varia fortuna gestum est, ut sæpius Romanorum gereretur adversa; sed interempto Viriatho, fraude magis quam virtute
4 Servilii Cæpionis, Numantinum gravius exarsit. Hæc urbs nunquam x plura quam propriæ juventutis[1] armavit: sed, vel ferocia ingenii, vel inscitia[2] nostrorum ducum, vel fortunæ indulgentia, cum alios duces, tum Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera (hic primus e Pompeiis consul fuit[3]), nec

non paulatim, ut antea, sed torrentis modo præcipitati.»

1. *Nunquam x plura quam propriæ juventutis.* Hæc est scriptura editionis primæ, quam editor Basileensis ita tentavit: *Nunquam decem millibus plura, quam propriæ juventutis.* Equidem sequar Aldi nepotis transpositionem: *Nunquam plura, quam x millia propriæ juventutis.* Sic Velleius, II, 24: *Haud plura quam* XXX *armatorum millia.* Nota numeri millenarii, M, in veteri codice et hic et aliis locis ob caussam, quam Gronovius, ad Liv. XXXIV, 10, tradit, omissa est. Heinsius particulam *quam* inducendam putabat, nescio quomodo sibi persuadens, veteres semper ante numeralia *quam* omisisse; eique temere assensus est Burmannus. Enimvero etsi hæc ellipsis frequentissima est, præsertim apud vetustiores scriptores, non tamen perpetua existimari debet; ut vel ex Velleiano loco, quem paulo ante adscripsimus, apparet. Nepos, Trasyb. 8: «Non plus habuit secum, quam triginta de suis.» Idem, Eum. 12: «Non amplius, quam triduum, fame fatigatus.» Plin. Hist. Nat. XXV, 17: «Si plura quam quatuor bibantur.» Gell. XVI, 10: «Neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant.» Bina Ciceron. exempla laudavit Jer. Marklandus, docte explicateque de hac forma disputans, Animadv. in Ciceronem anglice scriptis, p. 114.

2. *Inscitia.* Exemplar vetus habet, *inscia.* BURER.

3. *Hic primus e Pompeiis consul fuit.* Hæc verba, alieno loco posita, Acidalius revocat post vocem *Pompeium.* Optime; sed vereor, ne plura in hoc loco turbata vitiataque sint. Quis enim Q. Pompeium, cujus no-

minus turpia ac detestabilia Mancinum Hostilium consulem. Sed Pompeium gratia impunitum habuit, Mancinum verecundia; quippe non recusando [1] perduxit huc, ut per Feciales nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus; quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam Caudini fecerunt[2], dicentes, publicam violationem fidei[3] non debere unius lui sanguine. 5

II. Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem: quippe Tib. Gracchus, Tib. Gracchi, clarissimi atque eminentissimi viri, filius, P. Africani ex filia nepos, quo quæstore et auctore id fœdus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid a se factum infirmari, nunc similis vel judicii, vel pœnæ metuens discrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus[4], tantis de- 1 2

men ob natalium sordes, mores his initiis dignos, et res infeliciter gestas, apud omnes infame et detestabile fuit, a Velleio *magni nominis virum* appellatum credat? Velleius, nisi vehementer fallor, hoc modo scripserat: « Tum Pompeium (hic primus e Pompeiis, magni nominis viris, consul fuit) ad turpissima deduxit fœdera. »

1. *Quippe non recusando perduxit huc.* Ego nihil hic intelligo: forte quædam ad sententiam perficiendam necessaria, librarii culpa, exciderunt. Vide Cicer. de Offic. III, 30, quem interpretes laudant, et Liv. ep. LVI. — Mihi videtur sic explicari posse; Romani *non recusaverunt* ob *verecundiam fœdus* exsequi, quamvis *detestabile*; et ex illo fœdere Mancinus *per feciales deditus fuit hostibus*. EDITOR.

2. *Caudini fecerunt.* Melius *fecerant*, ut Heinsius scribit.

3. *Publicam violationem fidei.* H. Grotius, de J. B. et P. II, 15, 16, legit: *Publicæ violationem fidei.* Sed sic perit vis et venustas oppositi, quod est in *publicam* et *unius*. Seneca pater Suas. VII, p. 53: « Pro uno homine jactura publica pacisceris. » Contr. V, p. 389: « Nunquam unius facto publica fama corrumpitur. » Satius igitur est, vulgatam lectionem sequi, præsertim quum eam imitatione sua confirmet Sulpicius Sever. I, 29: « Ita paucorum scelus publico exitio punitum. »

4. *Proposito sanctissimus.* Grævius, ad Cic. pro Dom. 8, *propositum* h. l. accipit pro ratione vitæ. At sic *proposito sanctissimus* nihil differt a *vita innocentissimus*. Teneamus igitur tritam et vulgarem verbi significationem. An legendum: *Proposito constantissimus?* ut II, 60: *Asinius Pollio, firmus proposito, et Julianis partibus fidus.* Sed

nique adornatus virtutibus, quantas[1] perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit, P. Mucio Scævola, L. Calpurnio coss., abhinc annos CLXII, descivit a bonis;
3 pollicitusque toti Italiæ civitatem, simul etiam promulgatis agrariis legibus, omnium statum [2]concutientibus, summa imis miscuit, et in præruptum atque anceps periculum[3] adduxit rempublicam; Octavioque collegæ, pro bono publico stanti, imperium[4] abrogavit[5]; triumviros agris dividendis, coloniisque[6] deducendis, creavit se, socerumque suum consularem Appium, et Gracchum fratrem, admodum juvenem.

1 III. Tum P. Scipio Nasica, ejus, qui optimus vir a senatu judicatus erat, nepos, ejus, qui censor porticus

sanctum Gracchi propositum fuisse, docet Sallust. Jug. 42, nost. Edit. pag. 216: « Nam postquam Tiberius et C. Gracchus vindicare plebem in libertatem, et paucorum scelera patefacere cœpere. »

1. *Quantis*, etc. Edit. Basileensis ablativos *natura*, *industria*, inscienter pro nominativis capiens, hæc ita corrupit: « Quantas perfecta et natura et industria mortalis conditionis recipit. » Velleius ob oculos habuit Ciceron. de Orat. I, 9: « At vero Gracchi filii diserti, et omnibus vel naturæ, vel doctrinæ præsidiis ad dicendum parati, eloquentia rempublicam dissipaverunt. » Hanc ipsam loquendi formulam, paulum variatam, Velleius repetit, II, 97: « Adolescenti tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit. » Adde II, 104: « Neque illi spectaculo simile conditio mortalis recipere videtur. »

2. *Omnium statum concutientibus.* Scriptura editionis primæ hæc est: *Omnibus statim concupiscentibus.* Sed felix et palmaria Lipsii emendatio, quam in textum recipere non dubitavi. Formam loquendi illustrant Heins. ad h. l. et Duker. ad Flor. III, 23, 3.

3. *Præruptum atque anceps periculum. Præruptum* pro præceps, periculi plenum. Seneca pater, præf. Controv. V, p. 355: « Virium fiducia aliis metuenda et prærupta audere. » Pseudo-Hegesippus, cui vox hoc sensu familiaris est, I, 24: « Ut prærupto sese periculo daret. » Vide Wass. ad Sallust. Catil. 35. *Abruptum discrimen* dixit Ammian. Marc. XVI, 2; et sic *abruptus* sæpe apud alios, ut Liv. XXI, 44, et Quintil. Decl. XVIII, 11.

4. *Imperium. Imperium* de tribuno pl. dicit, non *potestatem*, ut alii fere semper dicunt. Qua de re vide Duker. ad Flor. III, 14, 6.

5. *Abrogavit.* Vetus exemplar *adrogavit*. BURER.

6. *Coloniisque.* Lipsius scribit, *colonisque*, quem recte sequitur Freins. Supp. Liv. LVIII, 26, p. 1095,

in Capitolio fecerat, filius, pronepos autem Cn. Scipio-
nis, celeberrimi viri, P. Africani [1]patrui, privatusque et
togatus, quum esset consobrinus Tib. Gracchi, patriam
cognationi præferens, et quidquid publice salutare non
esset, privatim alienum existimans (ob eas virtutes[2] pri-
mus omnium absens pontifex maximus factus est[3]) cir-
cumdata[4] lævo brachio togæ lacinia, ex superiore[5] parte
Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, qui
salvam vellent rempublicam, se sequerentur. Tum opti- 2
mates, senatus, atque equestris ordinis pars melior et
major, et intacta perniciosis consiliis plebs, irruere in
Gracchum, stantem in area cum catervis suis, et con-
cientem pæne totius Italiæ [6]frequentiam. Is fugiens, de-
currensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus,
vitam, quam gloriosissime degere potuerat, immatura
morte finivit. Hoc initium in urbe Roma civilis sangui- 3
nis, gladiorumque impunitatis fuit: inde jus vi [7]obru-
tum, potentiorque habitus prior; discordiæque civium,

1. *Patruus*. Sic editio prima. *Patrui* correxit editor Basileensis

2. *Ob eas virtutes*. Malim cum Aldo nepote: *Ob quas virtutes*.

3. *Factus est*. Tolle verbum substantivum cum C. Puteano. Heins.

4. *Circumdata*. Est e correctione Aldi nepotis. Edit. pr. *cum data*.

5. *Ex superiori*. Exemplar vetus habet: *Ex superiore*. Burer.

6. *Concientem pæne totius Italiæ frequentiam*. II, 20: « Quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat. »

7. *Jus vi obrutum*. Etsi non temere muto hanc lectionem, pronior tamen sim in hanc partem, ut Velleium scripsisse putem: *Jus vi obtritum*. Liv. III, 56: « Implorare præsidium populi, qui omnia jura populi obtrisset; » ubi MSS. quidam apud Drakenb. pari errore, *obruisset*. Contrario modo bis peccatum est in Nazarii Panegyr. Constantin. 3: « Cujus (oratoris) copia tam larga, tam felix, quæ, quum virtutes attrectaverit, non aut circumventa numero, desperato exitu, stupeat, aut obterat magnitudinem? » ubi e vestigiis Cod. Putean. *obteratur magnitudine*, scribendum: *Obruatur magnitudine*. Alter locus est cap. 31: « Et mira cum voluptate, conceptus e vita terror, insultatione interitus obterebatur. » Repone: *Obruebatur*. Quintil. Decl. VI, 16: « Tot voluptates obruere possunt unum dolorem. »

antea conditionibus[1] sanari solitæ, ferro dijudicatæ; bellaque non caussis inita, sed prout eorum merces fuit.
4 Quod haud mirum est; non enim ibi consistunt [2]exempla, unde cœperunt; sed quamlibet, in tenuem [3]recepta tramitem, latissime evagandi sibi viam faciunt: et, ubi semel recto deerratum [4]est, in præceps [5]pervenitur: nec quisquam sibi putat [6]turpe, quod alii fuit fructuosum.

1 IV. Interim dum hæc in Italia geruntur, Aristonicus, qui[7], mortuo rege Attalo, a quo Asia populo Romano hereditate[8] relicta erat, sicut relicta postea est a Nicomede Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam [9]occupaverat. Is victus a [10]M. Perperna, ductusque in triumpho, sed [11]M'. Aquilio, capite pœnas dedit; quum initio belli Crassum Mucianum, virum juris

1. *Antea conditionibus*. Sic editor Basileensis scripsit. Editio prima: *Ante a conditionibus.*

2. *Non enim ibi consistunt exempla.* Imitatur, ut solet, Sallustium, Catil. 51: « Omnia mala exempla ex bonis orta sunt; sed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit, novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. » Vascosan. *ibi insistunt exempla.*

3. *In tenuem recepta tramitem*, etc. Eadem translatione Quintilian. v, 14, p. 261: « Feratur eloquentia non semitis, sed campis, ac sibi viam, si quando non accepit, faciat. » Plura interpretes ad illud Phædri III, prolog. 38: « Ego porro illius semitam feci viam. »

4. *Recto deerratum est.* Vascosan. sine caussa: *a recto deerratum est.*

5. *In præceps pervenitur.* II, 10: *A pravis in præcipitia pervenitur.*

6. *Nec quisquam putat turpe.* Exemplar vetus habet: *Nec quisquam sibi putat turpe;* BURER. II, 22: *Nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstuosum.*

7. *Aristonicus, qui.* Editor Basileensis *qui* delevit, quum potius *is* ante *victus* tollere debuisset, ut Heinsius fecit.

8. *Hereditate.* Sic Aldus nepos edidit. Editio prima, *hereditati.*

9. *Occupaverat.* Editor Basileens. *occupat.*

10. *M. Perperna.* Editio prima, *M. Perpenna.* Vide Dukerum ad Florum II, 20, 6.

11. *Ductusque in triumpho, sed M'. Aquilio.* Aldus nepos et Sigon., Fast. ad a. 624, rectissime legunt: « Ductusque in triumpho, sed a M'. Aquilio. » Particula *sed* exceptionem quamdam et correctionem significat. II, 8: « Filiorum, sed alterius in adoptionem dati; » II, 41: « Cæsar magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus; » II, 88: « Equestri, sed splendido genere natus. » Cicer. in Pison. 11:

scientissimum, decedentem ex Asia proconsulem[1] inter-
emisset. Et P. Scipio[2] Africanus Æmilianus, qui Car- 2
thaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam
clades, creatus iterum consul, missusque in Hispaniam,
fortunæ virtutique expertæ in Africa, respondit (in
Hispania[3]), et intra annum ac tres menses, quam eo ve-
nerat, circumdatam operibus Numantiam, excisamque
æquavit solo. Nec quisquam ullius gentis hominum ante 3
eum clariori[4] urbium excidio nomen suum perpetuæ
commendavit memoriæ; quippe, excisa Carthagine ac
Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicavit con-
tumeliis. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, quid 4
de Tib. Gracchi cæde sentiret, respondit; si is occu-
pandæ reipublicæ animum habuisset, jure cæsum: et
quum omnis concio adclamasset, « Hostium, inquit, ar-
matorum totiens clamore[5] non territus, qui possum vestro
moveri, quorum noverca est Italia? » Reversus in urbem, 5

« Buccæ, dignæ Capua, sed illa vetere. » Vide Burm. ad Petron. 128.

1. *Proconsulem.* Vide Dukerum, ad Flor. II, 20, 5.

2. *Et P. Scipio.* Vossius malit: *At P. Scipio.* Sed *et* sæpe translationi inservit, ut cap. seq.: *Et ante eum*; II, 33: *Et Lucullus*; ubi Acidalius etiam *at* præferebat.

3. *In Hispania.* Hæc verba, Heinsio obsecutus, uncis circumscripsi.

4. *Clariori.* Lege *clariore.* Burm.

5. *Hostium armatorum totiens clamore*, etc. Scipionis dictum hoc modo refert Valerius Max. VI, 2, 3: « Taceant, quibus Italia noverca est. Non efficietis, ut solutos verear, quos alligatos adduxi. » Paulo aliter Aurel. Victor, de Vir. illust. 58: « Taceant, quibus Italia noverca, non mater est: quos ego sub corona vendidi. » Sed cum Velleio prorsus convenit Plutarch. Apophthegm. p. 201, E: Ἐμὲ οὐδέποτε στρατοπέδων ἀλαλαγμὸς ἐθορύβησεν, οὔτι γε συγκλύδων ἀνθρώπων, ὧν οὐ μητέρα τὴν Ἰταλίαν, ἀλλὰ μητρυιὰν οὖσαν ἐπίσταμαι. Prius amaram habet servitutis exprobrationem; sed posterius magis consentaneum celso et magnifico Scipionis animo. *Italiam novercam* præclare illustrat Gronov. Observ. III, 11, p. 533; sed fontem, unde Scipionis dictum fluxerit, primus monstravit P. Wesselingius, Observ. I, 1. qui est Plato, Menex. p. 404, B: Ἀλλ' αὐτόχθονας, καὶ τῷ ὄντι ἐν πατρίδι οἰκοῦντας καὶ ζῶντας, καὶ τρεφομένους οὐχ ὑπὸ μητρυιᾶς, ὡς ἄλλοι, ἀλλ' ὑπὸ μητρὸς, τῆς χώρας ἐν ᾗ ᾤκουν.

intra breve tempus, M'. Aquilio, C. Sempronio conss. ; abhinc annos [1]CL, post duos consulatus, duosque triumphos, et bis excisos terrores [2]reipublicæ, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quædam elisarum faucium
6 in cervice reperirentur notæ. De tanti viri morte nulla habita est quæstio; ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem [3]Roma extulerat caput: seu fatalem, ut [4]plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidere memoriæ, mortem obiit, vitam certe dignissimam egit, quæ nullius ad id tempo-
7 ris præterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno ferme LVI: de quo si quis [5]ambiget, recurrat[6] ad priorem consulatum ejus, in quem creatus est anno XXXVI, ita dubitare desinet.

1 V. Ante tempus excisæ Numantiæ, præclara in Hispania militia D. Bruti[7] fuit: qui, penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, urbiumque potitus [8]numero, aditis quæ vix audita[9] erant,

1. CL. Aldus nepos legit CLVIII.

2. *Et bis excisos terrores reipublicæ*. Utitur verbis Ciceronis pro Muren. 28 : « Bis consul fuerat P. Africanus, et duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque, deleverat. » Ex quo hic etiam legere malim : « Et binos excisos terrores. »

3. *Cujus opera super totum terrarum orbem*, etc. Hic unus locus est, quod sciam, ubi Velleius nimio captandorum acuminum amore in frigus putidum et puerile inciderit. Reliquis locis hoc studium tanta prudentia rexit, ut, etiamsi crebritatem argutiarum reprehendas, tamen elegantiam et concinnitatem laudes.

4. *Seu fatalem ut plures*. Scribendum: *Sed seu fatalem, ut plures*. *Seu* similitudine sua necessariam particulam *sed* extrusit.

5. *De quo si quis ambiget*. Hunc locum imitatur Sulpic. Sever. Dial. III, 5 : « Ad quas, si quis fuerit incredulus, quis adhuc in corpore sunt, recurrat. »

6. *Recurrat*. Editor Basileensis, *recurret*. Male.

7. *A. Bruti*. Sic editio prima; sed *D. Bruti* scripsimus cum Aldo nepote. Vide Freinshemium ad Florum II, 17, 12.

8. *Numero*. Ex glossa irrepsisse, bene vidit Lipsius.

9. *Aditis quæ vix audita erant*. Sigon. Fast. ad a. 617, hunc locum ita laudat : *Aditis quæ vix adita erant*. Sed vulgata præferenda. Brutus Oblivionis flumen transiit, et

Gallæci[1] cognomen meruit. Et ante eum paucis annis 2
tam severum illius Q. Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, quum urbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias, eodem protinus subire jnberet; 3
facientibusque omnibus in procinctu [2]testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito (perseverantia ducis[3]) quem moriturum miserat, militem victorem recepit; tantum effecit mixtus timori pudor[4], spesque desperatione [5]quæsita. Hic virtute ac severitate facti, at Fabius Æmilianus, Pauli exemplo, disciplinæ[6] in Hispania fuit clarissimus.

usque ad extremom Oceanum penetravit. Quæ loca vix audita eraut Romæ illis temporibus, ut miraculi simile haberetur, Brutum ea cum exercitu adiisse. Vide Florum, l. II, cap. 17. parag. 12.

1. *Gallæci*. Editio prima, *Galleci*. — De Gallæcis vide Straboo. l. III.

2. *In procinctu testamenta*. Locus nobilis, et ab omnibos certatim adhibitus ad illustraodam parag 1, Iost. *de Testam ordin.*

3. *Perseverantia ducis*. Manifestom glossema, ot beoe jndicat Davis. ad Cic. Tosc. Disp. III, 1: quare uncis inclusimus.

4. *Tantum effecit mixtus timori pudor*. Forte ex Virgil. Æo. x, 398: « Mixtus dolor et pudor armat in hostea. »

5. *Spesque desperatione quæsita*. In hac sententia variis modis exprimenda veteres semper lodont cum acumioe quodam. Cicero ad Div. v, 13: « Te spes aliqua consulator; oos erigmus desperatiooe fortes. » Virgil. Æneid. II, 354: « Uoa salns victis, nullam sperare salutem; » obi plora La Cerda. Ovid. Trist. I, 4, 4: « Audaces cogimur esse metu. » Seneca N. Q. II, 59: *Aninus ex ipsa desperatione sumatur*. Ad Velleiom proxime accedunt Curt. v, 4: *Sæpe desperatio spei caussa est*; et Orosins v, 15: « Tandem Marius consul forti desperatiooe spei viam fecit. » Vide Freinshem. ad Curt. l. c. et ad Flor. II, 18, 13.

6. *At Fabius Æmilianus, Pauli exemplo, disciplinæ, etc.* Distingue cum Lipsio: « At Fabius Æmilianus, Pauli, exemplo disciplinæ in Hispania fuit clarissimus. » In *Pauli* Lipsius subintelligit *filius*. Verum quum Latioi hanc Græcorum rationem noo tam in suis, quam in peregrinis nominibus sequaotor, ot *Asdrubal Gisgonis*, *Seleucus Antiochi*, de quibns vide interpretes ad Liv. XXVIII, 12, et Duker. ad Flor. II, 6, 19, malim vocem *filius* addere, quæ per unam literam *F.* ootata facile excidere potuit. Exemplum disciplinæ Q. Fabii Max. narraot Valer. Max. II, 7, 11, et Frootin. IV, 1, 42; obi viri docti male Servilianum intelligunt, quum ex Velleio Æmilianus sit intelligendus.

1 VI. Decem deinde interpositis annis, qui Tib. Grac-
chum, idem Caium, fratrem ejus, occupavit furor, tam
virtutibus ejus omnibus, quam huic errori similem,
2 ingenio etiam, eloquentiaque longe præstantiorem. Qui
quum summa quiete animi, civitatis princeps esse pos-
set, vel vindicandæ fraternæ mortis gratia, vel præmu-
niendæ regalis potentiæ, ejusdem exempli tribunatum
ingressus, longe majora et acriora [1]repetens, dabat civi-
3 tatem omnibus Italicis. Extendebat eam pæne usque
Alpes; dividebat agros; vetabat quemquam civem plus
quingentis jugeribus [2]habere: quod aliquando lege Lici-
nia cautum erat: nova constituebat portoria; novis co-
loniis replebat provincias; judicia a senatu transferebat
ad [3]equites; frumentum plebi dare [4]instituerat; nihil im-
motum, nihil tranquillum, nihil quietum denique[5] in

1. *Longe majora et acriora repetens.* Forte legendom: « Longe majora et altiora petens. » Liv. IV, 13: « Ipse ad altiora et oon concessa tendere; » Soet. Cæs. 26: « Altiora jam meditans. » De his ipsis Gracchis Lucan. VI, 795: « Legibus immodices, ausosque iogentia Graechos. » *Altior* et *aerior* sæpe permutari, ostendit Heins. ad Ovid. Remed. Am. 651. *Petere* idem est, quod *appetere* apud Nepot. Pausan. 2: *Cœpit majores appetere res. Re* io *repetens* natnm est ex ultima syllaba vocis præcedeotis.

2. *Plus quingentis jugeribus habere.* De hac lege Gracchi vide Vossium ad h. l. et Dukerum ad Livii Epitom. LVIII.

3. *Judicia a senatu transferebat ad equites.* De hac lege est locus elegans, sed mutilus, Varroois de Vita Pop. Rom. lib. IV, apud Non. Marcell. p. 454: « In spem adducebat, non plus solotnros qoam vellent. Iniquus equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem. » Legendum: « In spem plebem adducebat, oon plus soluturos quam velleot. Ioiquus senatui, equestri ordini judicis tradidit, etc. » Vocem *plebem* similitudo præcedentis *spem* absorpsit. *Senatui* excidisse, vidit etiam Sigoo. de Ant. Jur. Civ. Rom. II, 18. Ut Varro hoc loco *civitatem bicipitem*, sic alibi poteotiæ societatem, quam Pompeius, Cæsar, et Crassus inieraot, *tricipitem* appellavit, teste Appiano de Bell. Civ. II, pag. 716.

4. *Dare instituerat.* Editio prima, *dari instituerat*, quod correxit Aldus nepos.

5. *Nihil quietum denique in eodem statu relinquebat.* P. Manotios, hooc locum laudans, de Legib. cap. 15, vocem *quietum* omisit. Nec me, fa-

eodem statu relinquebat : quin alterum etiam continua-
vit tribunatum. Hunc L. Opimius consul, qui prætor 4
Fregellas exciderat, persecutus armis, unaque Fulvium
Flaccum, consularem ac triumphalem virum, æque
prava cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberii
fratris triumvirum nominaverat, eum socium regalis ad-
sumpserat[1] potentiæ, morte afficit. Id unum nefarie ab 5
Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi,
sed civis Romani pretium se daturum, idque auro re-
pensurum proposuit. Flaccus in Aventino armatos[2] ad 6
pugnam ciens, cum filio majore jugulatus est; Grac-
chus profugiens, quum jam comprehenderetur ab iis,
quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo præbuit,
qui non segnius se ipse interemit, quam domino suc-
currerat. Quo die singularis Pomponii equitis Romani
in Gracchum fides fuit; qui more Coclitis, sustentatis
in ponte hostibus ejus, gladio se [3]transfixit. Ut Tiberii 7
Gracchi[4] antea corpus, ita Caii, mira crudelitate victo-
rum, in Tiberim dejectum est.

VII. Hunc Tib. Gracchi liberi . P. Scipionis Africani 1
nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, viri

teor, tot similium cumulatione delectari; sed malim *tranquillum*, quam *quietum*, de glossa suspectum habere, ob imitationem Sallustii Jugurt. 66 : « Prorsus nihil intactum, neque quietum pati; cuncta agitare; » Catil. 21 : « Tametsi illis quieta movere. magna merces videbatur. » Vide Wassium ad eumdem Jug. 93. Legendum igitur : « Nihil immotum, nihil quietum, nihil denique in eodem statu relinquebat. »

1. *Triumvirum nominaverat, eum socium regalis adsumpserat, etc.* Hæc est editionis primæ scriptura, quam satis vitiosam pejus corrupit editor Basileensis, pro *eum* scribens *eumque*. Repone : « Quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris triumvirum nominatum, socium regalis adsumpserat potentiæ. »

2. *Armatos*. Est ex correctione editoris Basileensis. Editio prima, *armatus*.

3. *In ponte hostibus ejus, gladio se transfixit*. Sic distinximus cum Puteano. Editio prima interpungit post *hostibus*.

4. *Tib. Gracchi*. Editio prima, *C. Gracchi*, quod correxit Aldus nepos.

optimis ingeniis male usi, vitæ mortisque habuere [1]exitum; qui si civilem dignitatis concupissent [2]modum, quidquid tumultuando adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica. Huic atrocitati adjectum scelus [3]unicum:
2 quippe juvenis, specie excellens, necdum duodevicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum de conditionibus miserat, ab Opimio [4]interemptus est: quem quum haruspex Tuscus, amicus, flentem in vincula duci vidisset: « quin tu hoc potius, inquit, facis? » protinusque illiso capite in postem lapideum[5] januæ carceris, effusoque cerebro, expiravit: crudelesque mox
3 quæstiones in amicos clientesque Gracchorum habitæ sunt; sed Opimium, virum alioqui sanctum et [6]gravem,

1. *Vitæ mortisque habuere exitum.* Argutum, sed rarum loquendi genus. *Hunc vitæ exitum habuit*, sic vitam finivit; at *hunc mortis exitum habuit*, hoc violento mortis genere periit. Quod perpetuum in his formulis discrimen est. Quintilianus, Decl. XVII, 3: « Non habet alium, quam mortis exitum filios, qui nec reconciliari potest, nec abdicari. » Septimius, de B. Troj. IV, 24: « Percontatus exitum paternæ mortis; » Macrob. Saturn. I, 11, p. 237: « Vide in hac fortuna etiam magnanimitatem exitum mortis ludibrio præferentem. » Vide Gronov. Obs. in Script. eccl. cap. X, p. 106.

2. *Si civilem dignitatis concupissent modum*, etc. Hoc ita expressit cap. præced.: « Qui quum summa quiete animi, civitatis princeps esse posset. »

3. *Unicum.* Id est, summum, singulare, ut recte Acidal. Notandum est, hic in deteriorem partem dici, ut apud Lucan. III, 652: « Tunc unica diri Conspecta est leti facies »

4. *Interemptus est.* Pro, interimi jussus est, ut bene cepit Jo. Schult. ad Senec. Cont. I, p. 96. Quæ loquendi forma nunc vel tironibus nota est, post toties repetitas doctorum hominum admonitiones.

5 *In postem lapideum.* Editio prima, *in pontem lapideum.* Sed recepimus emendationem Aldi nepotis, quam planissime confirmat Val. Maximus, eamdem rem narrans, IX, 12, 6, ubi interpretes nimia socordia hunc Velleii locum prætermiserunt.

6. *Virum alioqui sanctum et gravem.* Sic Velleius sæpe laudat innocentiam vitæ, moresque incorruptos; II, 46: *vir cetera sanctissimus*; II, 59: *C. Octavius, gravis, sanctus, innocens*; II, 29: *sanctitate præcipuus.* Vide Duker. ad Flor. II, 6, 40. Pro eo dixit II, 2: *Vir alioqui vita innocentissimus*; et II, 49: *Vir antiquus et gravis.*

damnatum postea judicio publico, memoria ipsius sævitiæ, nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem 4
Rupilium[1] Popiliumque, qui conss. asperrime in Tiberii Gracchi amicos sævierant, postea judiciorum publicorum merito oppressit invidia. Rei tantæ parum ad notitiam pertinens interponetur: hic est Opimius, a quo 5
cons. celeberrimum Opimiani vini[2] nomen: quod jam nullum esse, spatio annorum colligi potest; quum ab eo sint ad [3]te, M. Vinici, consulem, anni CLI. Factum 6
Opimii, quod inimicitiarum quæsita erat [4]ultio, minor secuta auctoritas: et visa ultio privato odio magis, quam publicæ vindictæ data.[5]

VIII. Subinde Porcio Marcioque[6] conss. deducta colo- 1
nia, Narbo Martius. Mandetur deinde memoriæ seve-

1. *Rupilium*. Editio prima, *Rutilium*. Correxit Aldus nepos, sive Puteanus.

2. *Vini*. Editio prima, *vici*, quod emendavit editor Basileensis.

3. *Quum ab eo ad te*. Exemp. vetus habet: *Quum ab eo sint ad te*. BUR.

4. *Inimicitiarum quæsita erat ultio*. Merito Lipsium offendit ingrata vocis *ultio* repetitio; sed ejus medicina modum excedit. Forte legendum: « Quod inimicitiarum quæsita erat relatio; » Cicero, pro Scaur. pag. 617: « Eas sibi inimicitias non susceptas, sed relatas. » Sæpe sic veteres de vindicta loquuntur. Seneca, de Ira, II, 32: « Dulce est, dolorem reddere; » ibidem: « Qui dolorem regerit, tantum excusatius peccat; » Lactant. VI, 18: « Non minus enim mali est, referre injuriam, quam inferre; » et mox: « Iis, qui sibi nocent, vicem retribuere conantur. »

5. *Ultio privato odio magis, quam publicæ vindictæ data*. Sensus hic est: Ultus est C. Gracchum, ejusque socios, magis ut privato odio satisfaceret, quam ut reipublicæ majestatem vindicaret. Valer. Maxim. V, 8, 1: « Exuit patrem, ut consuleum ageret; orbusque vivere, quam publicæ vindictæ deesse maluit. » Verbi *dare* elegantiam illustrarunt Gronov. Observ. II, 15, et Duker. ad Flor. IV. 2, 57. Similis locus Liv. XXIV, 45: « Ut iræ magis, quam avaritiæ, datum crederent homines. » Seneca pater Contr. IV, pag. 298: « Dedisti istud jactationi tuæ; » Lucan. IV, 688: « Privatæ sed bella dabat Juba concitus iræ; » quod, monente T. Hemsterhusio in Adversariis MSS. minus recte intellexit Oudendorpius. Quintilianus, X, 1, p. 508: » Plus stomacho, quam consilio dedit. »

6. *Porcio Marcioque*. Edit. prim. *Portio Martioque*. Burmann. totam hanc de colonia, Narbone Martio, periodum huc translatam putat ex I, 15, non improbanda conjectura.

ritas judiciorum: quippe [1]C. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum ex Macedonia damnatus est, quum lis ejus IIII [2]æstimaretur; adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quam modum, factaque ad consilium [3]dirigebant, et quid, non
2 in [4]quantum, admissum foret, æstimabant. Circa eadem tempora M. Metelli fratres[5] uno die triumphaverunt. Non minus clarum exemplum, et adhuc unicum, Fulvii Flacci, ejus qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in collegio cons. [6]fuit; adoptivus in Acidini Manlii[7] familiam datus; nam census[8] Metellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit: quod
3 solis contigerat Scipionibus. Tum Cimbri et Teutoni

1. *C. Cato, consularis*. Sic Aldus nepos correxit. Editio prima, *Cos. Cato, consularis*; pro quo editor Basileensis male: *M. Cato, consularis*.

2. *Lis ejus* IIII *æstimaretur*. Pro *ejus* Scaliger, de Re Numar. p. 79, et Sigon. de Judic. I, 27, scribunt *ei*; sed utroque modo dici, *litem alicui*, et *litem alicujus æstimare*, exemplis ostendit Drakenborchius ad Liv. XLV, 24.

3. *Factaque ad consilium dirigebant*. Id est, de factis ex consilio facientis judicabant; II, 30: « Invidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatem, personasque dirigere. » Pro *dirigere* Cicero dicit *referre*, *revocare*. Vide Jo. Schulting. ad Senec. Contr. I, p. 89. Sententia ipsa convenit legibus Romanis, quæ, ut Cicero, pro Milone, 7, ait, tam hominum consilia, quam exitus rerum vindicabant. Vide P. Pithœum ad Coll. Legg. Mos. et Rom. I, 7, qui hoc Velleii loco usus est, et H. Grotium Flor. Spars. ad Jus Justin. p. 247, 379.

4. *In quantum*. J. Cujacius Paratitl. D. de Leg. Jul. Repetund. p. 88, hunc locum laudans, præpositionem *in* omittit; sed hanc loquendi formam satis vindicavimus ad I, 9.

5. *M. Metelli fratres*. Sic est in editione prima; sed Sigonius, Fast. ad a. 651, ex eoque, ut videtur, Aldus nepos bene legunt: II, sive *duo Metelli fratres*, ut illud *M.* quod editur Basileensis expunxit, natum sit ex nota numerali II. Quam correctionem sequitur Simsonus Chron. ad a. 3892.

6. *Dati, in collegio Cos. fuit. Adoptivus*. Sic distinxit editor Basileensis. Prava interpunctione edit. prima *dati. In collegio Cos. fuit adoptivus*.

7. *Acidini Manlii*. Sic emendarunt Aldus nepos, et Sigonius ad Livium, XL, 43. Editio prima, *Acidiani Manli*.

8. *Census*. *Censura* reposuit editor Basileensis. Recte: neque enim credo, veteres *census* et *censura* promiscue dixisse, ut Heinsio placet.

transcendere Rhenum, multis mox nostris, suisque cladibus nobiles. Per eadem tempora clarus ejus [1]Minucii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis[2] triumphus fuit.

IX. Eodem tractu[3] temporum nituerunt oratores, Sci- 1
pio Æmilianus, Læliusque, Ser. Galba, duo Gracchi,
C. Fannius, Carbo Papirius; nec prætereundus[4] Metel-
lus Numidicus, et Scaurus, et ante omnes [5]L. Crassus,
et M. Antonius. Quorum ætati ingeniisque successere 2
C. Cæsar Strabo, P. Sulpicius; nam Q. Mucius[6] juris
scientia, quam proprie eloquentiæ [7]nomine, celebrior
fuit. Clara etiam per idem ævi spatium fuere ingenia, 3
in togatis Afranii, in tragœdiis Pacuvii, atque Accii,
usque in Græcorum ingeniorum comparationem[8] evecta,

1. *Minucii*. Sic editor Basileensis scripsit. Editio prima, *Minici*, ut sæpe *Minicia porticus*, pro *Minucia*, in antiquis lapidibus apud Gruter. p. 54, 6; Fabrett. p. 700, et Murat. p. 357, 3. De duplice *Minucia*, quarum altera *vetus*, altera *frumentaria* dicebatur, post Nardinum Roman. Antiq. VI, 10, egit Mazochius, ad Tabul. Heracleens. p. 319.

2. *E Scordiscis*. Est ab ingenio editoris Basileensis. Editio prima mendose: *ex Cordiscis*.

3. *Eodem temporum tractu*. Exemplar vetus habet: *Eodem tractu temporum*. Burer.

4. *Carbo Papirius. Nec prætereundus*. Hæc, ut constructio constet, ita transpone: « Carbo Papirius, et ante omnes L. Crassus, et M. Antonius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, et Scaurus. »

5. *Crassus*. Exempl. vetus habet: *E. Crassus*. Burer.

6. *Nam Q. Mucius*. Sic bene correxit Aldus nepos. Editio prima: *Namque Mucius*; ut cap. 11, eodem errore, *perque Metellum*, pro, *per Q. Metellum*.

7. *Quam proprie eloquentiæ nomine*. Secuti sumus certissimam Lipsii emendationem. Edit. prim. *quam propriæ eloquentiæ nomine*. *Proprie* est præcipue, in primis. Liv. XLIV, 22: « A prudentibus et proprie rei militaris peritis monendi imperatores; » Valer. Maxim. VIII, 9, 3: « Vim facundiæ proprie expressit; » ubi vide Perizonium. Quintilian. X, 1, p. 508: « Mira sermonis, cujus proprie studiosus fuit, elegantia. » Adde interpretes ad h. l.

8. *In Græcorum ingeniorum comparationem ejus ætatis*. Exemplar vetus habet: « In Græcorum ingeniorum comparationem evectis. » Burer. Mirum est, Rhenanum pro *evectis* in veteri codice legisse *ejus ætatis*; sed credimus Burerio, antiquæ fidei homini, *evectis* esse in

magnumque inter hos ipsos facientis operi suo [1]locum (Ennii); adeo quidem, ut in illis limæ, in hoc pæne plus
4 videatur fuisse sanguinis. Celebre et Lucilii nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello eques militaverat; quo quidem tempore juvenis[2] adhuc Jugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem cas-
5 tris didicere, quæ postea in contrariis facerent. Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis; sed opus belli civilis, Sullanique[3] post aliquot annos ab eo seniore
6 editum est. Vetustior Sisenna fuit Cœlius; æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, et Valerius Antias. Sane non ignoremus, eadem ætate fuisse Pomponium, sensibus celebrem, verbis rudem, et novitate inventi a se operis commendabilem.

X. Prosequamur notam severitatem [4]censorum, Cas-

MS. Ex eo Basileensis editor fecit *evecti*, ut ad unum Accium referatur; rectius Heinsius, *evecta*, ut ad *ingenia*.

1. *Facientis operi suo locum*. Heinsius præclare vidit, *Ennii* nomen post *locum* excidisse. Quo invento quum nihil verius sit, nomen poetæ, uncis inclusum, in pristinam sedem revocavi.

2. *Juvenis*. Potius *juvenes*, ut Burmanno placet.

3. *Opus belli civilis, Sullanique*. Hæc est scriptura editionis primæ, ex qua editor Basileensis conjunctionem *que* sustulit, ut *bellum civile Sullanum* eo modo dicatur, quo apud Sueton. Cæs. 56: « Bellum civile Pompeianum. » Cui temere obtemperarunt reliqui editores, uno Raphelengio excepto, qui tamen *bellum Sullanum* male explicat, quod Sulla cum Mithridate gessit: id enim non *Sullanum*, sed *Mithridaticum*, perpetua veterum scriptorum consuetudine. dicendum fuisset. Neque Sisenna res, quas Sulla adversus Mithridatem gessit, singulari opere persecutus est, sed attigit libro VI Historiæ, sicut ipse testatur apud Gellium XII, 15. Sisennam *res Romanas* scripsisse, dicit Ascon. ad Cicer. Orat. Cornelian. p. 431. Verum, ut ex fragmentis intelligitur, ceteris rebus Romanis breviter percursis, bellum Sociale, et Sullanum, non duplici, sed uno eodemque opere, copiosissime enarravit. Vide Seb. Corradum ad Cicer. Brut. p. 344, et Vossium, de Hist. Latin. I, 10. Ex quibus perspicuum est, Velleium scripsisse: *Opus belli socialis, Sullanique*.

4. *Notam severitatem censorum*. Friget meo sensu adjectivum *notam*. Malim: *notam severam censorum*. *Notam* de animadversione censoria proprie dici, nemo nescit. Conjectu-

sii Longini, Cæpionisque, qui abhinc annos CLVII, Le-
pidum [1]Æmilium, augurem, quod sex millibus ædes
conduxisset, adesse [2]jusserunt: at nunc, si quis tanti
habitet, vix ut senator [3]agnoscitur; adeo mature a rectis
in vitia, a vitiis in [4]prava, a pravis in præcipitia perve-
nitur! Eodem tractu temporum et Domitii ex Arvernis, 2
et Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis; Fabio,
Pauli nepoti, ex victoria cognomen Allobrogico indi-
tum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, et 3
ut clarissima, ita artata numero [5]felicitas: uti ante [6]hunc

ram nostram confirmat Valer. Max. VIII, 1, 7, eamdem fere rem narrans: « Admodum severæ notæ et illud populi judicium, quum M. Æmilium Porcinam a L. Cassio accusatum crimine nimis sublime exstructæ villæ in Alsiensi agro, gravi multa affecit; » ubi *L. Cassius* est Cassius Longinus, censor; at *Æmilium*, quem Velleius *Lepidum*, Valerius *Porcinam* vocat.

1. *Lepidum Æmilium.* Sic Aldus nepos emendavit errorem edit. prim. *Lepidum Ælium.*

2. *Adesse jusserunt.* Cicero, pro Dom. 21: « Quum eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse jussisti; » quem locum male accepit Tennul. ad Frontin. I, 12, 12. Ascon. in Cicer. pro Scauro, p. 617: « Ut Q. Varius tribunus plebis belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet. » Sed satis exemplorum habet Brissonius, de Formul. V, p. 445.

3. *Vix ut senator agnoscitur.* Id est, vix pro senatore habetur. Liv. VI, 7: « An me, quod non dictator vobis, sed tribunus signum dedi, non agnoscitis ducem? » Plin. Paneg. 21: « Reversus imperator, qui privatus exieras, agnosceris; » ubi vide Swarzium. *Ut* ex vicino *vix* natum videri possit. Certe ab aliis scriptoribus in hac forma omittitur; sed vide Acidalium, ad II, 33.

4. *A rectis in vitia, a vitiis in prava.* Quasi discrimen esset inter *vitia* et *prava*, quæ nihil differunt. Cicer. Parad. III, 1: « Pravitates animi recte vitia dicuntur; » sed locus turpi glossemate liberandus, et in posterum sic legendus est: « Adeo mature a rectis in prava, a pravis in præcipitia pervenitur. »

5. *Artata numero felicitas.* Pacat. Paneg. 32: « Quam numero artarat annonam, comparcendo laxabat. » *Artare* familiare Velleio verbum esse, Heinsius ad h. l. ostendit.

6. *Uti ante hunc.* Id *uti*, numerale nomen esse debet, meo judicio: nam hoc exposcit sensus. RUHNKEN. Aldus nepos ad h. l. et Sigon. ad Liv. XXXI, 18, pro *uti* legunt VII, ex Sueton. Ner. 1, ubi vide interpretes; at Lipsius IV, ut Velleius significet, quatuor Domitios, parentibus suis unicos, ad consulatum pervenisse. Lipsianam rationem non spreverim; at ubi quatuor triumphi? Eos ut Lipsius inveniat, huc trahit Domitii

nobilissimæ simplicitatis [1]juvenem, Cn. Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum, sacerdotiaque, ad triumphi autem pæne omnes pervenerunt insignia.

1 XI. Bellum deinde Jugurthinum gestum est per Q. Metellum[2], nulli secundum seculi sui. Hujus legatus fuit C. Marius, quem prædiximus, natus equestri [3]loco, hirtus atque [4]horridus, vitaque sanctus, quantum bello

Calvini triumphum de Hispanis; quum tamen probabile sit, Velleium non felicitatem Domitiorum ex familia Calvinorum, sed tantum Ænobarborom, quorum posteri tum gratiosi erant apud Tiberium, prædicare voluisse. Videant acutiores.

1. *Nobilissimæ simplicitatis juvenem.* Frequens et proprius Velleio laudandi modus, II, 72: *Eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis viri;* 125: *Vir simplicitatis generosissimæ. Simplicitas* est candor et veritas: nisi bonitatem interpretari malis ex simili loco, II, 43: *Viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest.* Lapis apud Gruter. p. 1145, c. 2: « Sentiæ Bittaliæ, bonæ memoriæ conjugi, sincerissimæ fidei et simplicitatis. »

2. *Per Q. Metellum.* Sic editor Basil. Edit prim. *Perque Metellum.*

3. *Natus equestri loco.* Atqui II, 128, Marium *ignotæ originis* fuisse scribit. Quæ inter se pugnantia Jac. Perizonius ad Ælian. V. H. XII, 6; infeliciter in concordiam redigere tentavit. Clamat tota antiquitas, Marium sordidissima contemptissimaque stirpe natum esse: Sallust. Jug. 73; Valer. Max. VI, 9. 14; Seneca pater Contr. I, p. 122; Flor. III, I, 13; Plutarch. in Mario, p. 407, A; Dio Cass. Fragm. p. 40, ut alios mittam; eumdem *aratorem* dicunt Plinius Hist. Nat. XXXIII, 11, et Juvenal. Sat. VIII, 246; *ferri artificem* Aurel. Victor de Cæs. c. 33, §. 11. Jure igitur viri docti gravissimum mendum hic sibi visi sunt deprehendisse; sed, quid Velleius scripserit, nemo unus divinare potuit; lege: *natus extremo loco.* Quod confirmatur ab ipso Velleio, I, 11: *Regiæ stirpis se ferebat, quum esset ultimæ.* Liv. I, 47: « Maledicta ab stirpe ultima orsus. » Justin. XXV, 1: « Balam quemdam sortis extremæ juvenem. » Suet. Calig. 35: « Nullus tam abjectæ conditionis, tamque extremæ sortis fuit. » Vide Duker. ad Flor. II, 3. Sic Petron. c. 126: « Extrema plebs; » Appulei. Met. IV, p. 85: « Hominis extremi tamque infimi. » Ulpian. L, 15, §. 44. D. de Injur. *servus notæ extremæ.* Hæc conjectura quin paulo audacior dicatur, nihil impedio; modo felix audacia fuerit in Velleii manu assequenda.

4. *Hirtus atque horridus.* Refer cum Ruperto ad ingenium et mores, ut Horat. I, Ep. III, 22: « Non tibi parvum Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum. » Idque convenit verbis Marii apud Sallust. Jug. 85, nostræ Ed. p. 285: « Sordidum me et incultis moribus dicunt. »

optimus, tantum pace [1]pessimus, immodicus [2]gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus. Hic per 2
publicanos, aliosque in Africa negotiantes, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis jam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis [3]superbiam, morandique[4] in imperiis cupiditatem, effecit, ut, quum, commeatu petito, Romam venisset, consul crearetur, bellique pæne patrati a Metello, qui bis Jugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. Metelli tamen et triumphus fuit clarissimus, et meritum: virtutique cognomen Numidici [5]inditum. Ut paulo ante Domitiæ fa- 3
miliæ, ita Cæciliæ notanda claritudo[6] est: quippe intra XII ferme annos hujus temporis consules fuere [7]Metelli,

1. *Quantum bello optimus, tantum pace pessimus.* Imitatur Liv. Ep. LXXX, qui de hoc ipso Mario dicit: « Vir, cujus si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit. » Livium aut Velleium potius expressit Tacit. Hist. II, 86: « Primus Antonius pace pessimus; bello non spernendus. »

2. *Immodicus gloriæ.* Sall. Fragm. p. 84: « Immodicus animi; » pro quo, p. 60: « Nimius animi; » Hegesipp. V, 19: « Sed immodicus animus, ac victoriæ avidus, in hostem prosilivit; » ubi scribendum: « immodicus animi, » ut est apud eumdem, I, 15. Pro *immodicus gloriæ* Seneca pater Contr. I, p. 140, dixit, *insatiabilis gloriæ*, quod ipsum ad alterum explicandum in Velleii margine scripsit grammaticus, unde, ut fieri solet, in textum venit. Quod pulchre animadvertit vir doctus, G. Cortius, ut opinor, in Act. Erud. a. 1721, p. 117.

3. *Naturalem nobilitatis superbiam.* Ob oculos habuit Sallust. Jug. 64: « Superbia, commune nobilitatis malum, » item quæ sequuntur: « Ab imperatore bellum consulto trahi, quod homo inanis et regiæ superbiæ imperio nimis gauderet.

4. *Morandique.* Alias, *immorandique.* RHENAN.

5. *Et meritum: virtutique cognomen Numidici inditum.* Sic legitur, et interpungitur in editione prima; sed sequenda conjectura Gruteri et Ortvini: « Et meritum virtute ei cognomen Numidici inditum, » ut II, 15: « Qui meritum cognomen Pii consecutus erat. » Idem tamen Gruterus frustra tolli vult *inditum*. I, 11: « Cui ex virtute Macedonici nomen inditum erat; » II, 91: « Quod cognomen illi consensus universi senatus populique Rom. indidit. »

6. *Claritudo.* Hanc vocem habet a Sallust. Jug. 2, ubi vide Cortium.

7. *Metelli.* De Metellis agit Burmannus ad h. l. qui sequi non debebat vulgarem errorem, quo L. Metellus Diadematus, et L. Metellus

aut censores, aut triumpharunt amplius xii, ut appa-
reat, quemadmodum urbium, imperiorumque, ita gen-
tium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc in-
terire.

1 XII. At C. Marius L. Sullam, jam tunc, ut præca-
ventibus fatis, copulatum sibi quæstorem habuit, et
per eum missum ad regem Bocchum, Jugurtha rege,
abhinc annos ferme cxxxviii potitus est; designatusque
iterum consul in urbem reversus, secundi consulatus ini-
2 tio calendis Januariis eum in triumpho duxit. Effusa, ut
præduximus, immanis vis Germanarum gentium, qui-
bus nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Cæpionem,
Manliumque [1]conss., et ante Carbonem Silanumque[2] fu-
dissent fugassentque in Galliis, et exuissent exercitu,
Scaurumque Aurelium [3]consulem, et alios celeberrimi
nominis viros[4] trucidassent, populus Romanus non alium
repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem,
3 quam Marium, est ratus. Tum multiplicati consulatus
ejus; tertius in apparatu belli consumptus: quo anno
Cn. Domitius tribunus plebis legem [5]tulit, ut sacerdotes,

Dalmaticus pro uno eodemque habentur, præsertim quum Grævius, post Pighium et Norisium, veriora docuisset ad Cicer. p. Red. ad Quir. 3; adde Cl. Ernest. Clav. Cic. v. *L. Metellus Diadematus*.

1. *Cæpionem, Manliumque Conss.* Vide Liv. ep. lxvii; Flor. iii, 3, et utroque loco interpretes.

2. *Silanumque.* Ita recte Aldus nepos; edit. pr. *Syllanumque.* Idem in hoc nomine error relictus est in Quintiliano, Decl. iii, 13.

3. *Scaurumque Aurelium Cons.* Aldus nepos sive Puteanus malit, *consularem*, ut alii scriptores dicunt.

4. *Celeberrimi nominis viros.* Liv. iv, 54: « Quum tres celeberrimi nominis haberet duces; » xxvii, 40: « Duo celeberrimi nominis duces circumstare urbem Romanam; » Gell. xiii, 24: « Homo in studiis doctrinæ multi atque celebrati nominis. » Ciceronis consuetudo vocem *celeber* rebus, non personis, tribuit. *Celebritas* tamen dicitur pro hominis fama apud eumdem de Offic. ii, 13.

5. *Cn. Domitius trib. pl. legem tulit.* De hac lege est locus Ciceronis ad Brut. ep. v: « Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi; nam etiam factum est antea. C. enim Marius, quum in Cappadocia esset, lege Domitia

quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. Quarto 4
trans Alpes circa Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, amplius CL hostium, priore ac postero die ab eo
trucidatis[1]; gensque excisa Teutonum. Quinto, citra 5
Alpes in campis, quibus nomen erat [2]Raudiis, ipse cons. et procons. Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavere prælio : cæsa aut capta amplius C hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius, ne ejus
nati rempublicam [3]pœniteret, ac bona malis repensasse. 6
Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus: non tamen hujus consulatus fraudetur gloria, quo Servilii Glauciæ, Saturniuique Apuleii furorem, continuatis honoribus rempublicam lacerantium, et gladiis quoque et cæde comitia discutientium, consul armis compescuit; hominesque exitiabiles in Hostilia curia morte multavit.

factus est augur. » Atqui, si hæc vera sunt, lex non secundo Marii consulatu, sed ante illum lata est, quoniam Marius, ut ex inscriptione apud Gruter. p. 436, 3, apparet, jam ante secundum consulatum augur fuit. Hæc aliaque plura disputat Jer. Markland. V. C. Animadvers. Anglice scriptis in Ciceronis ad Brutum ep. p. 170; ego vero tametsi eidem Marklando, et Jacobo Tunstallo, viro doctissimo, facile assentior, Ciceronis ad Brutum, et Bruti ad Ciceronem epistolas a falsario esse confictas, tamen non video, quomodo, quod Marklandus dicit, ex illa inscriptione colligi possit. Immo Scipionis Maffei. Crit. Lapid. III, 3, p. 226, judicium de talibus epigrammatis historicis secutus, totam inscriptionem commenticiam judico. De Lege Domitia multi egerunt, sed omnium accuratissime Duker. ad Liv. XXXIX, 45, et epit. LXVII, et Ernest. Indic. Legum, v. *Domitia*.

1. *Trucidatis*. Scribendum, *trucidata*, ut mox : « cæsa aut capta amplius C hominum. »

2. *Raudiis*. Edit. pr. *Raudis*, de more, quo centies in veteri codice simplex *i* pro duplice ponitur, ut statim *Servili* pro *Servilii*. De varietate in hujus campi nomine, vide interpretes ad Flor. III, 3, 14.

3. *Ne ejus nati rempublicam pœniteret*. Nescio, an colorem duxerit e Livio apud Senec. Nat. Qu. V, 18: « Quod de Cæsare olim majore vulgo dictitatum est, et a Tito Livio positum, in incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicæ profuerit, an non nasci. » Cicero Phil. I, 14 : « Ita guberna rempublicam, ut natum esse te cives tui gaudeant. »

1 XIII. Deinde interjectis paucis annis, tribunatum
iniit M. Livius [1]Drusus, vir nobilissimus, eloquentissi-
mus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio animo-
2 que, quam fortuna usus. Qui quum senatui priscum
restituere cuperet decus, et judicia ab equitibus ad eum
transferre ordinem (quippe eam potestatem nacti equi-
tes Gracchanis legibus, quum in multos clarissimos
atque innocentissimos viros sævissent, tum P. Ruti-
lium, virum non seculi sui, sed omnis ævi optimum,
interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu
civitatis, damnaverant), in iis ipsis, quæ pro senatu
moliebatur, senatum habuit adversarium, non intelli-
gentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur,
veluti inescandæ, illiciendæque multitudinis caussa
fieri, ut minoribus [2]perceptis, majora permitteret. De-
3 nique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum,
quam ejus[3] optime ab ipso cogitata, senatus probaret
magis; et honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret,
injurias, quæ ab aliis[4] intendebantur, æquo animo reci-
peret; et hujus summæ gloriæ invideret, illorum modi-
cam ferret.

1 XIV. Tum conversus Drusi animus, quando [5]bene

1. *M. Livius Drusus.* Velleiom, turpi erga Tiberium, qui ad Drusum genus maternum referebat, adulatione, modum in Druso laudando excedere, bene judicant Puteanus ad h. l., Manut. ad Cic. pro Rabir. Post. 7, et Freinshem. Supplem. Liv. LXXI, 25. Præter Velleium, Drusus laodatorem invenit pseudo-Sallustium de Rep. ord. ep. II, 6, qui ejus acta, nobilitatis odio, simili modo defendit.

2. *Perceptis.* Hæc vetos lectio, noo *præceptis*, ut volunt. Voss.

3. *Malefacta collegarum, quam ejus*, etc. Transpone: « Malefacta collegarum ejus, quam optime ab ipso cogitata: » sic voces *ab ipso* oon reduodant, ut Lipsius putabat.

4. *Ab aliis.* Scribendum: *ab illis*; ot mox, *illorum modicam ferret.* Planum est, ad *collegarum* referri. Vide quæ de horum verborum permutatione annotavimus ad I, 4, p. 10.

5. *Quando bene cœpta male cedebant.* II, 18: « Quasi bene coosulta ei male cederent; » vide Bentleium ad Horat. II Serm. I, 31.

cœpta male cedebant, ad dandam civitatem Italiæ. Quod quum moliens revertisset e foro, immensa illa et incondita, quæ eum semper comitabatur, cinctus [1]multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui adfixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Sed 2
quum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium mœrentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiæ suæ: « [2]Ecquandone, inquit, propinqui amicique, similem mei civem habebit respublica? » Hunc finem clarissimus juvenis vitæ habuit. Cujus morum minime omittatur argumentum : quum 3
ædificaret domum in Palatio[3] in eo loco, ubi est, quæ [4]quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est; promitteretque ei architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera a conspectu, immunisque ab omnibus[5] arbitris esset, neque quisquam in eam [6]despi-

1. *Incognita.... multitudinc.* Sic edit. prima; sed in textum admisimus certissimam Acidalii conjecturam : « Incondita.... multitudine; » vide Heinsium ad h. l.

2. *Ecquandonc.* Editor Bas. non capiens hanc elegantiam, abjecto *ne*, *ecquando* scripsit, traxitque reliquos editores. Cicero de Fin. v, 22: « Quoties hoc agitur, ecquandone, nisi admirationibus maximis? » ubi vide Davisium Propert. II, 7, 39: « Ecquandone tibi liber sum visus? » Cæterum Alexander moriens similiter quærit apud Curt. x, 5: « Inveni etis, quum excessero, dignum talibus viris regem? » ubi Velleium comparavit Freinshem.

3. *Templum in Palatio.* Exempl. vetus habet : *Domum in Palatio.* Burer.

4. *Ubi est, quæ quondam Ciceronis.* Locus a mala manu interpolatus. Scribe : « Ubi quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est. » Liv. IV, 59: « Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt. »

5. *Immunisque ab omnibus hominibus esset.* Tu lege : « Immunisque ab omnibus arbitris esset; » sic enim vetus habet exemplar. Burer. Edit. Bas. sic dedit : « Immunis ab omnibus esset; » quasi *hominibus*, quod Rhenanus edidit, natum esset ex varia lectione vocis *omnibus*.

6. *Neque quisquam in eam despicere possit.* Manifestum glossema, quod non fefellit Boxhornium. Juvat comparare Plutarchum, Reipublicæ ger. præc. p. 800, E, quem Puteanus laudavit : Εἰκότως οὖν Λίβιος Δροῦσος ὁ δημαγωγὸς εὐδοκίμησεν, ὅτι τῆς οἰκίας αὐτοῦ πολλὰ μέρη κάτοπτα τοῖς

5.

cere possit : « Tu vero, inquit, si quid in te [1]artis est, ita compone domum meam, ut, quicquid agam, ab omnibus perspici possit. »

1 XV. In legibus Gracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. Id majores, quum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Phocæa, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium [2]Mileto, genitali solo, diligenter vitaverant, ut cives Romanos ad censendum[3] ex provinciis in Italiam revocaverint; prima autem extra Italiam colonia Car-
2 thago condita est. Mors Drusi jam pridem tumescens bellum[4] excitavit Italicum; quippe L. Cæsare et P. Rutilio[5] coss. abhinc annos cxx, universa Italia, quum [6]id

γειτνιῶσιν ἐχούσης, καὶ τῶν τεχνιτῶν τινος ὑπισχνουμένου ταῦτα ἀποστρέψειν καὶ μεταθήσειν ἀπὸ πέντε μόνων ταλάντων, Δίκα, ἔφη, λαβὼν, ὅλην μου ποίησον τὴν οἰκίαν καταφανῆ, ἵνα πάντες ὁρῶσιν οἱ πολῖται, πῶς διαιτῶμαι.

1. *Si quid in te artis est.* Elegans formula. Curt. III, 5 : « Si quid artis in medicis est. »

2. *Cyzicum ac Byzantium Mileto.* Puteanus, neminem, ait, præter Velleium, tradere, Byzantium Milesiorum esse coloniam; at Velleii sententiam non obscure confirmat Strabo, XIV, p. 941 : Μέγιστον δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἀποικιῶν· ὅ, τε γὰρ Εὔξεινος πόντος ὑπὸ τούτων συνῴκισται πᾶς, καὶ ἡ Προποντίς, ubi etiam Cyzicum inter Milesiorum colonias recenset.

3. *Ut cives Romanos ad censendum.... revocaverint.* Hæc Acidalius ita refinxit : « Et cives Romanos ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverant; » quod verissimum judicamus, *ut* pro *et* in veteri codice est, II, 25 et 125, contra *et* pro *ut*, II, 29 et 32. Pro *cives Romanos* edit. prima *C. R.* Denique *ad censendum* Velleius passiva significatione dixit pro, ut censerentur, exemplo Ciceronis, act. I in Verr., 18 : « Quæ frequentia convenit uno tempore undique, comitiorum, judiciorum, censendique caussa. » Vide Sanctium Minerv. III, 8, p. 454, et ibi Perizon. et quos laudat Oudendorp. ad Sueton. Galb. 8.

4. *Tumescens bellum.* Intellige, quod in eo est, ut erumpat. Virgil. Georgic. I, 465 : « Fraudemque et operta tumescere bella. » Ovidius, epist. VII, 121 : *Bella tument;* ubi Burmannus metaphoram, quæ ducta est ab arborum et plantarum gemmis, dum frondes et flores parturiunt, tumentibus, minus bene repetit a mari concitato.

5. *P. Rutilio.* Edit. pr. fœdo errore *Pompeio Rutilio;* quem edit. Basil. correxit.

6. *Quum id malum in universa Italia*, etc. Locum turbatum com-

malum ab Asculanis ortum esset, quippe Servium [1]prætorem, Fonteiumque[2] legatum occiderant, ac deinde a Marsis exceptum, in omnes penetrasset regiones, arma adversus Romanos cepit. Quorum[3] ut fortuna atrox, ita 3
caussa fuit [4]justissima : petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis [5]tuebantur ; per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se militum equitumque [6]fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quæ per

moda transpositione sic restituit Puteanus : « Universa Italia, quum id malum ab Asculanis, etc. » Quam, quum res ipsa postulet, recipere non dubitavi. Edit pr. sic habet : « Quum id malum in universa Italia ab Asculanis ortum esset. » *Ia* natum est ex ultima litera vocis *malum* : quo vitii genere nihil frequentius est in veteri Velleii codice, ut aliis locis videbimus. *Ortum* operarum negligentia ex edit. Juntina excidit, unde error in alias editiones venit.

1. *Quippe Servium prætorem.* Ita editio prima ; sed pro certa habeo correctionem Heinsianam : « Qui Q. Servilium ; » nec quisquam, qui Dukerum ad Flor. III, 18, 9, legerit, de illa dubitabit. Nollem vero Heins. pro *prætorem* scripsisse *proconsulem* ; quod ipsi veteres non satis constantes sunt in his nominibus distinguendis. Ne longe abeam, Vellei. II, 4, Crassum Mucianum *proconsulem* vocat, quem *prætorem* Flor. II, 20, 5, ubi vide Duker. — Epit. Liv. LXXII, « Q. Servilius, proconsul, in oppido Asculo... occisus est. »

2. *Fonteiumque.* Exempl. vetus habet, *Fontemiumque.* Burer.

3. *Quorum.* Scilicet *Italorum*, quod assumendum est e præcedenti *Italia*, ut recte Burmannus. Vide quæ annotavimus ad I, 4, p. 10.

4. *Caussa fuit justissima.* Cum Velleio sentit Ovid. Amor. III, 15, 9: « Quam (scil. gentem Pelignam) sua libertas ad bonesta coegerat arma, Quum timuit socias anxia Roma manus. » Cum sequentibus mire convenit locus Cic. pro Balb. 22 : « Etenim, quum cæteris præmiis digni sunt, qui suo labore et periculo nostram rempublicam defenderunt : tum certe dignissimi sunt, qui civitate ea donentur, pro qua pericula ac tela subierunt. »

5. *Tuebantur : per omnes annos.* Distinctio, quam secuti sumus, est a Puteano. Edit. pr. sic interpungit : « Tuebantur per omnes annos atque omnia bella : duplici numero, etc. »

6. *Duplici numero.... fungi.* Id est, duplicem numerum præstare, ut bene explicat Puteanus, perperam tamen huc trahens Cicer. Verr. III, 16: « Quum tribus decumis pro una defungeretur ; » ubi *defungeretur* significat, periculo liberaretur. Aptiora exempla hæc sunt Justin. IX, 2: « Si voto fungi vellet ; » Tac. Ann. XIV, 20 : « Quum eo sumptu respublica fungatur ; » Ulpian. L, 3, D. de dot. coll. : « Si filia fuerit heres instituta, collatione dotis non fungetur ; » Glossæ Isidori : *Fungitur, solvit.* Plura ex Jurisconsultis Brisson. de V. S.

eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod[1] homines ejusdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset. Id bellum amplius ccc juventutis Italicæ abstulit; clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, de quo prædiximus, L. Sulla, anno ante prætura functus, Q. Metellus, Numidici filius,
4 que, fastidire posset. Id bellum amplius ccc juventutis Italicæ abstulit; clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius, de quo prædiximus, L. Sulla, anno ante prætura functus, Q. Metellus, Numidici filius,
5 qui meritum cognomen Pii consecutus erat. Quippe expulsum civitate a L. Saturnino[2] tribuno plebis, quod solus in leges ejus[3] jurare noluerat, pietate sua, auctoritate senatus, consensu populi Romani[4] restituit patrem: nec triumphis, honoribusque, quam aut caussa exsilii, aut exsilio, aut reditu clarior fuit Numidicus.

1 XVI. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, Silo Popædius, Herius[5] Asinius, Insteius[6] Cato, C. Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, [7]Papius
2 Mutilius. Neque ego verecundia, domestici sanguinis gloriæ quicquam, dum verum refero, subtraham; quippe multum Minatii Magii, atavi mei, Asculanensis, tribuendum est memoriæ: qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, ut cum le-

1. *Per quod*. Lege: *Ex quo*. II, 76: « Nisi in id adscendisset, e quo infra se et Cæsarem videret et rempublicam. » Librarius *per quod* scripsisse videtur, aberrantibus oculis ad vicinum *per eos*.

2. *L. Saturnino*. In edit. pr. deest præpositio *a*, quam Aldus nepos revocavit.

3. *In leges ejus*. Editor Basil. inverso ordine: *in ejus leges*.

4. *Consensu pop. Rom*. Hæc est Puteani correctio. Editio prima, *consensu reipublicæ*. Error ex notis ortus, ut centies. Vide interpretes ad Liv. IX, 26.

5. *Herius Asinius*. Sic etiam Liv. Ep. LXXIII, ubi vide Gronov.

6. *Insteius Cato*. De gente Insteia Cujacius, Observ. X, 37. *C.* et *L. Insteii* commemorantur in Livii Fragmento, nuper reperto, p. 24, 28, ubi vide cl. Juvenatium.

7. *Papius Mutilius*. Sic edit. pr., non *Papius Mutilus*, ut ab aliis vocatur. Vide interpretes ad h. l. et Wesseling. ad Diodor. Sicul. Excerpt. p. 539.

gione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Herculaneum simul cum T. Didio[1] caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cosamque occuparet. Cujus [3]de 3
virtutibus quum alii, tum maxime dilucideque[2] Q. Hortensius in Annalibus suis retulit; cujus ille pietati plenam populus Romanus gratiam [3]reddidit, ipsum viritim civitate donando, duos filios ejus creando prætores, quum

1. *T. Didio*. Hunc L. Julii Cæsaris cons. legatum in bello sociali fuisse, dicunt Cicero pro Fontei. 15, et Appian. de B. Civ. I, p. 635. In eodem bello periisse, Ovidius Fast. VI, 568 : « Proximus annus erat : Pallantide cæsus eadem Didins hostiles ingeminavit opes. » Ubi Heinsios et Burmannus vehementer æstuant, quamquam, ut Dukerus ad Florum III, 18, 12, recte jodicat, sine ulla caossa. Eos in fraudem iodnxit Neapolis ad Ovid. l. c. scribens, Didium, Bæ:icam cum imperio obtinentem, a Sertorio fusum fugatumque esse decennio post, quam ab Ovidio cæsus dicatur. Enimvero, qui alios decepit, ipse turpiter deceptos est, sive aliorum errore, sive festinatione sua. Neque enim Δίδιον legitur apod Plutarch. Sertor. p. 573, cujus testimonio nititur Neapolis, sed σου φίδιον, quod in Αὐφίδιον mutaot Xylander, et Lipsius epist. Quæst. IV, 14, haud dubie ex Plutarchi Sulla p. 472, ubi alio mendo edd. Ἀφίδιον τινα ἴδὼν πρὸς χάριν ὁμιλοῦντων τῷ Σύλλᾳ. Verum utroque loco scribendum, Φουφίδιον. Sallostius, illam ipsam cum Sertorio pugnam narraos, apud Non. Marcell. p. 231 : « Et mox Fufidius adveniens cum legionibus, postquam tantas spiras, haud facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti, quam suis opportuniora videt. » De eodem sic Sallustios Fragm. p. 12 : « An, quibos prælatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum ? » *Furfidius* mendose apud Flor. III, 21, 25; *Fursidius* apud Oros. V, 21; sed *Fufidius* recte legit Dukerus.

2. *Tum maxime dilucideque*. An *que* indocendum, velut natum ex sequenti *Q.* ut Lipsio placet? Ammian. Marcell. XXI, 16 : « Equitandi et jaculandi, maximeque perite dirigendi sagittas scientissimus; » sed Velleius scripsisse videtur : « Tum eximie dilucideque. » Nepos, Agesil. 1 : « Quum a ceteris scriptoribus, tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatos est. » Sic *maxima* et *eximia* confunduntur apod Livium, XLII, 15.

3. *Cujus ille pietati plenam pop. Rom. gratiam retulit*. Editor Basileensis pro temeritate sua *ille* delevit. Non spernenda Fr. Oudendorpii conjectura : « Cujus fidei et pietati. » *Fides* et *pietas* sæpe junguntur, ut apud Sallust. (Jug. 31, p. 197 nostræ editionis), et Senecam Thyest. 216. Pro *retulit*, quod modo præcessit, omnino cum J. Perizonio scribendum *reddidit*, præsertim quum edit. pr. h. l. non *retulit*, sed *rettulit* habeat. Sæpe hæc verba permutantur, ut apud Liv. XXXVII, 6.

4 seni adhuc crearentur. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum[1] duo Romani coss. Rutilius ac deinde Cato Porcius ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, utque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, quod appellarunt [2]Italicum. Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectæ sunt, Pompeio, Sullaque et Mario [3]fluentem procumbentemque rempublicam[4] populi Romani restituentibus.

1. *Per biennium continuum.* Sic dedit editor Basil. ut II, 48 : « Per continuos XX annos. » Editio prima: « Per biennium continuo. »

2. *Corfinium legerantque Italicani.* Exemplar vetus habet : « Corfinium legerant, quod appellarent Italicum. » Fortasse legendum, *appellarunt.* Burer. Mirum est, Rhenanum, qui codicem veterem ob oculos haberet, legere potuisse. « Corfinium legerantque Italicani. » Nihilo tamen minus sua Burerio fides apud me constat; cujus etiam correctionem *appellarunt*, exemplo ed. Juntinæ, recepi. Corfinium tum *Italicam* vocatum scribunt Strabo, v, p. 369, et de Casauboni Wesselingiique emendatione Diodor. Sicul. Excerpt. p. 539. Id si quis in Velleio præferat cum Puteano, non valde repugnem, præsertim quum eo ducant vestigia scripturæ, quam Rhenanus prodidit, *Italicani.* Vascosan. scripsit *Italicanum.*

3. *Fluentem procumbentemque remp. Fluentem* intellige *labentem*, ut loco simillimo dixit Cicero Phil. II, 21 : « Quum labentem et prope cadentem rempublicam fulcire caperetis. » Manil. II, 807 : « Dissociata fluat resoluto machina mundo, » cujus alterum locum, IV, 17 : « Hinc et opes et regna fluunt, » id est, oriuntur, perperam ad hanc significationem refert Cortius ad Sallust. Catil. 1. Seneca Cons. ad Marc. 21 : « Labuntur humana, ac fluunt. » Lactant. de M. P. 24 : « Res ejus dilabi ac fluere cœperunt. » Sed inanem operam sumimus in hoc verbo illustrando post Gronovium ad Liv. XXVII, 17. Græci ῥεῖν similiter dicunt. Gorgiæ Leontini dictum est apud Stobæum S. CXVII, p. 600: Ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος οἰκιδίου ἀσμένως ἀπαλλάττομαι.

4 *Rempublicam.* Exempl. vetus habet : *Rem P. R.* Burer. Antiqua formula, et frequens in libris et marmoribus, *respublica populi Romani*, vel *publicum populi Romani.* Lapis apud Gruter. p. 140, 4 : « Republica pop. Rom. legibus reformata. » Alius, p. 135, 1 : « Fortunæ publicæ pop. Rom. in colle. » Fragm. Fastor. Fratrum Arval. apud Murator. p. 340, 2 : « Immolavit Saluti publicæ pop. Rom. bovem feminam. » Hanc formulam ubi sæpe

XVII. Finito ex maxima parte, nisi qua[1] Nolani belli 1
manebant reliquiæ, Italico bello (quo quidem Romani
victis afflictisque ipsi [2]exarmati, quam integris [3]universis
civitatem dare maluerunt), consulatum inierunt Q. Pom-
peius[4] et L. Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem
victoriæ[5] satis laudari, neque post victoriam abunde vi-
tuperari potest. Hic natus familia nobili, sextus a Cor- 2
nelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat

in libris depravatam docuisset Gronovius, Observ. IV, 14, et ad Liv. VIII, 9, qui deinceps secuti sunt critici, multis locis restituerunt, ut Perizonius Diss. III, p. 268; interpretes ad Tacit. Hist. III, 72, et Drakenb. ad Liv. XXII, 10; XLV, 14. Paulum diverso modo est apud Vellei. II, 89: « Reipublicæ populoque Romano. » Cic. Phil. V, 18: « Audebo etiam obligare fidem meam, Patres Conscripti, vobis, populoque Romano, reique publicæ; » ibid. 19: « Quæ præsidio consulibus, senatui, populoque Rom., reique publicæ esset. » At Vossius hunc etiam Velleii locum ad priorem formam refugit: « Reipublicæ populi Romani. » Nec displicet illa ratio Ernesto meo ad Tacit. Hist. III, 72, ubi libri scripti editique inter utramque lectionem fluctuant. Ego veteres utroque modo locutos puto.

1. *Nisi qua*. Sic Vossius correxit. Edit. pr. *nisi quæ*. II, 37: « Nisi qua Luculli armis erat infractus. »

2. *Exarmati*. Burmannus sumit pro exorati, placati; cujus interpretationem sequitur Gesnerus in Thes. L. L. Male. *Exarmati* sunt infirmi et debiles facti, ut verissime exponunt Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 33, et Duker. ad Flor. I, 22, 3. Idque congruit historiæ, quæ Romanos in eas angustias adductos esse tradit, ut, quod nunquam aut raro fecerant, libertinorum delectum haberent.

3. *Quam integris universis*. Vidit Heinsius, pro *integris* scribendum esse *integri*; quod merito probat Duker. ad Flor. l. c. quia sic *exarmati* et *integri* eleganter opponuntur. Verum illa correctio hoc habet incommodi, quod eadem opera tollit oppositionem, quæ erat inter *victis afflictisque* et *integris*. Cui difficultati ut medeare, fidenter repone: « Quam integri integris universis. » Hanc concinnitatem Velleius facile suam agnoscat: sic, quamquam alio sensu, in lapidibus apud Gruter. p. 934, 4, et Donium, p. 237: « Vixit annos integer integros LVIII. » Mitto dicere, quoties, in tali ejusdem vocabuli geminatione, alterum exciderit.

4. *Cn. Pompeius*. Exempl. vetus habet, *Q. Pompeius*. Burer.

5. *Qui neque ad finem victoriæ*, etc. Jam alii compararunt similem locum Valer. Max. IX, 2, 1: « L. Sulla, quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest, quia, dum quærit victorias, Scipionem se populo Romano, dum sævitiam exercet, Annibalem repræsentavit. »

duces, quum familiæ ejus claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogita-
3 tionem habere[1] videretur. Deinde post præturam illustratus bello Italico, et ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos[2] duces hostium fuderat, ex successu animum [3]sumpsit; petensque consulatum, pene omnium civium suffragiis factus est; sed eum honorem undequinquagesimo ætatis suæ anno adsecutus est.

1 XVIII. Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, vir neque silendus, neque dicendus sine [4]cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis[5] dux, miles manu, odio [6]in

1. *Cogitationem habere.* Sigon. Fast. ad a. 655, hunc locum laudans, scribit *rationem habere*, memoriæ lapsu, ut opinor: certe nihil mutandum. Cicero Parad. 1, 3: « Quæro a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc rempublicam tam præclare fundatam nobis reliquerunt, aut argenti ad divitias, aut amœnitatem ad delectationem; » sic ille locus corrigendus videtur. Vulgo editur nullo sensu: « Aut argenti ad avaritiam. » Quintilian. XII, 11, p. 639: « Si hanc cogitationem homines habuissent, ut nemo se meliorem fore eo, qui optimus fuisset, arbitraretur. »

2. *Qua eminentissimos.* Ita editor Basil. scripsit. Editio prima: *Quæ eminentissimos.*

3. *Ex successu animum sumpsit.* Ex Virgilio, Æn. V, 210: « Successuque acrior ipso. »

4. *Neque dicendus sine cura.* Hanc locutionem habet a Sallustio apud Senec. de Benef. IV, 1: « Ex omnibus quæ tractavimus, potest videri nihil tam necessarium, aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum. » Vide Cortium ad Sallust. Fragm. p. 1010.

5. *Consiliis dux, miles manu.* Sallust. Catil. 60: « Strenui militis, et boni imperatoris officia simul exsequebatur; » ubi multa similia collegit Cortius. Ad elegantem Velleii brevitatem proxime accedit Pacatus Paneg. 10: « Dux consilio esse, miles exemplo. »

6. *Odio in Romanos Hannibal.* Sæpe veteres *Hannibalis* nomine vel inimicum pop. Rom. vel insignem bellatorem, vel callidum hominem significant. Cicero Verr. V, 12: « Iste autem Hannibal, qui in suis castris virtute putaret oportere, non genere certari. » Phil. XIII, 11: « Quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit, ut te ipse obsideas. » Ex quo loco emendandus est Petron. c. 101: « Quæ autem hic insidiæ sunt? aut quis nobis Hannibal navigat? » ubi Burmanno *nobis*, quod elegans esse putat, libenter remittimus, legendumque censemus: « Aut quis novus Hannibal

Romanos Hannibal, occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus Romanis, quos quidem eadem die atque 2
hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum, interimi jusserat (quo tempore ne- 3
que fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit: horum [1]fidem Mytilenæorum perfidia illuminavit: qui [2]M'. Aquilium, aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas, in unius Theophanis [3]gratiam, postea a Pompeio restituta est), quum terribilis Italiæ quoque [4]videretur

navigat?» Sic Liv. XXII, 14: *Novus Camillus*, quod ab eo sumpsit Claudian. de Laud. Stilich. II, 390: «Splendida suscipiant alium te rostra Camillum.» Vellei. II, 82: *Novus Liber Pater*, ubi plura dicemus. Aurel. Victor de Cæsar. 37: *Alter Hannibal*. Vide Bentleium ad Horat. l. I ep. 15, v. 38.

1. *Fidem.... perfidia illuminavit.* Cicero ad Div. I, 6: «Illustrabit tuam amplitudinem hominum injuria.» Editio prima habet *Mytilenæorum*, non *Mitylenæorum*, ut post ediderunt. Quam scripturam confirmant Duker. ad Thucyd. III, p. 182, et Wesseling. ad Herodot. I, 160.

2. *M'. Aquilium.* De eo videndi Davis. ad Cic. Tusc. Disp. V, 5, et Duker. ad Liv. Ep. LXXVII.

3. *In unius Th. gratiam.* Hanc locutionem non primum apud Velleium inveniri, ut Vavassor de Vi et usu verb. p. 155, putabat, sed sæpe a Livio usurpatam, docet Duker. ad Florum I, 3, I.

4. *Quum terribilis Italiæ q. v. imminere.* Huc pertinet epigramma vetus Anthol. Lat. t. I, p. 301, quod de Mithridate intelligendum esse, rectissime vidit magnus Scaliger, Totum ponamus ex emendatione nostra: «Adspice, quem valido subnixum gloria regno Altius et cæli sedibus extulerat; Terrore hic belli magnum concusserat orbem: Hic reges Asiæ fregerat, et populos. Hic grave servitium jam jam tibi, Roma, ferebat. Cætera namque viri cuspide conciderant: Quum subito in medio rerum certamine præceps Corruit, e patria pulsus in exsilium. Tale Deæ numen; tali mortalia nutu Fallax momento temporis hora premit.» Argumentum epigrammatis sumptum est ex Cicerone pro Muren. 15, unde etiam singulorum petenda explicatio, vs. 3, editur: «Terrarum hic bello magnum concusserat orbem;» ut apud Pseudo-Sallust. Ep. I, 2: «Neque orbis terrarum bello concussus foret.» Quod tamen præ illo, quod restituimus, nescio quomodo languere videtur. Velleius: «Quum terribilis Italiæ immineret.» Lucret. III, 846: «Omnia cum belli trepido concussa tumultu.» Versus 7 et 8 poeta effinxit e Cicerone, de Orat. l. I: «Consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen;» et III, 2: «O fallacem hominum spem, fragilem-

4 imminere, sorte obvenit Sullæ Asia provincia. Is egressus urbe, quum circa Nolam moraretur (quippe ea urbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, velut pœniteret ejus fidei, quam omnium
5 sanctissimam bello præstiterat Punico), P. Sulpitius, tribunus plebis [1]disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii atque animi[2] celeberrimus, quum antea rectissima voluntate apud populum maximam quæsisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum [3]suarum, et bene consulta ei male cederent, subito pravus et præ-
6 ceps, C. Mario post LXX annum omnia imperia et omnes provincias concupiscenti [4]addixit, legemque ad populum tulit, qua Sullæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum; aliasque leges perniciosas et exitiabiles, neque tolerandas liberæ civitati tulit; quin etiam Q. Pompeii consulis filium,

què fortunam, et inanes nostras contentiones! quæ in medio spatio sæpe franguntur, et corruunt; » vs. ult. in vulgatis libris est : « Fallax momento temporis hora dedit. » Forte scribendum *premit* pro *dedit*. Ovid. Trist. III, 11, 67 : « Humanæque memor sortis, quæ tollit eosdem, Et premit. » Quod expressum est ex notissimo Hesiod., Ἔργ. καὶ Ἡμ. 5: Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει. Sic *premit* respondet præcedentibus : « Altius et cæli sedibus extulerat. » *Hora* est fortuna in horas varians, ut apud Senec. Thyest. 598, ubi vide Gronovium. Fortunæ autem proprie tribuitur *nutus*. Appulei. Met. VII, p. 146 : « Affulsit Fortunæ nutus hilarior; » X, p. 227 : « Hæc feralem Fortunæ nutum latere non potuerunt. »

1. *Disertus, acer*. Cicero in Bruto, 86, *Grandem* et *tragicum oratorem* vocat. PUTEANUS.

2. *Vigore ingenii atque animi*. II, 41 : *Vigore animi acerrimus*; 127 : *Sufficiente vigori animi compage corporis*. Vide Drak. ad Liv. VII, 5.

3. *Quasi pigeret eum virtutum suarum*. Elegans, sed nimis vicinum ei, quod modo dixerat : « Velut pœniteret ejus fidei. »

4. *Addixit*. Hanc lectionem, haud dubie vitiosam, explicant, ut possunt, Grævius ad Cicer. pro Quint. 13, et Burmann. ad h. l.; at Puteanus, probante Heinsio, scripsit, *se addixit*, i. e. se Mario quasi in servitutem tradidit. Nihil verius. Cicero pro Planc. 39 : « Senatus, cui me semper addixi; » de Fin. I, 6 : « Epicurus in physicis se Democrito addicit, perpauca mutans; » ubi vide Davis.

eumdemque Sullæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit.

XIX. Tum Sulla contracto exercitu ad urbem rediit, 1
eamque armis occupavit, XII auctores novarum pessimarumque rerum, inter quos Marium cum filio, et P. Sulpitio, urbe exturbavit, ac lege lata exsules fecit. Sulpitium etiam adsecuti equites, in Laurentinis paludibus jugulavere: caputque ejus erectum et ostentatum pro rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit.
Marius post sextum consulatum annoque[1] LXX, nudus, ac 2
limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem Minturnensium jussu
duumviri perductus est. Ad quem interficiendum mis- 3
sus cum gladio servus publicus, natione [2]Germanus, qui forte ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu[3] expromenti indig-

1. *Annoque* LXX. Vossius recte, *annumque* LXX, ut cap. præced.

2. *Natione Germanus*. Quem hic *Germanum* vocat, alii *Gallum* fuisse scribunt; sed hujus diversitatis hæc est caussa, quod vulgus interpretum nescit, Celtarum vocabulum, apud Græcos scriptores, et Gallis et Germanis accommodari. Verisimile est Germanum fuisse, qui sit Cimbrico Teutonicoque bello captus; sed et insigne Germanicæ probitatis specimen edidit, ei parcens, a quo vita donatus erat: nec me moverit vel Plinius, vel Florus, qui Gallum fuisse scribunt; quod constet Romanos olim, Gallorum vocabulo Germanos etiam intellexisse, non Gallos tantum. Modo veterum annales uterque istorum secutus est; sed hæc satis sint in Velleii defensionem. RHENAN. Vide Drakenborchium ad Liv. Epit. LXXVII.

3. *Cum magno ejulatu*. Exemplar vetus habet: *magno ejulatu*. BURER. Editio prima: « Cum magno ejulatu expromenti indignationem casus tanti viri; » sed *cum* abesse a veteri codice, Burerius testatur. Editor Basileensis absurda conjectura scripsit: « Magno cum ejulatu se prodentem indignatione casus tanti viri. » Cæteri quoque interpretes locum facilem et sanum vehementer vexarunt, exceptis Grutero, Vossioque, qui optime sic exponunt: magnum illum ejulatum exprompsisse indignationem casus tanti viri. Pro *ex-*

nationem casus tanti viri, abjecto gladio profugit e car-
4 cere. Tum cives, ab hoste, misereri paulo ante principis viri docti, instructum eum viatico, collataque veste, in navem imposuerunt; at ille, adsecutus circa [1]Ænariam filium, cursum in Africam direxit, inopemque vitam[2] in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit: quum Marius, aspiciens [3]Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

1 XX. Hoc primum anno, sanguine cons. Romani militis imbutæ manus[4] sunt: quippe [5]Pompeius, collega Sullæ, ab exercitu[6] Cneii Pompeii proconsulis, seditione,

promenti si malis *expromente*, ex perpetua Velleii consuetudine, et Bentleiano decreto ad Horatium, I Carm. 25, 17, non refrager. Livio tamen utramque formam promiscue usurpatam esse, ostendit Drakenb. ad VI, 14.

1. *Ænariam*. Sic editor Basileens. Editio prima: *Tænariam*.

2. *Inopem vitam*, etc. De hac Marii inopia est locus Diodori Sicul. Excerpt. pag. 614: Καὶ τέλος ἐξέπεσε τῆς Λιβύης εἰς τὴν Νομαδίαν, δοῦλος, ἄπορος, ἔρημος σφῶν, ubi Wesselingio jure displicet δοῦλος. Repone: ἄδουλος, ἄπορος, ἔρημος φίλων. Euripid. Androm. 593: Ἄκληστ', ἄδουλα δώμαθ' ἑστίας λιπών. Phrynichus Παρασκ. Σοφ. MS. Ἄδουλος βίος. ὁ μὴ δουλεύοντα ἔχων. Appian. de Bel. Civ. I, p. 651: ὁ δὲ Μάριος διέφυγεν, ἔρημος ὑπηρέτου τε καὶ θεράποντος.

3. *Quum Marius, aspiciens Carthaginem*. Hoc acute dictum Velleius effinxit ex magnifico illo Mariano apud Plutarchum in Mario, p. 429, B: Ἄγγελλε ὅτι Γάιον Μάριον ἐν τῆς Καρχηδόνος ἐρειπίοις φυγάδα καθεζόμενον εἶδες; quod commode explicat Plutarchus: Οὐ κακῶς ἅμα τήν τε τῆς πόλεως ἐκείνης τύχην καὶ τὴν ἑαυτοῦ μεταβολὴν ἐν παραδείγματος λόγῳ θέμενος. Idem Marii dictum respexisse videntur Manil. IV, 47: « Quod jacuit Libycis compar jactura ruinis; » et incertus poeta Anthol. Lat. t. I, p. 535: « Quo Marium vidit suppar Carthago jacentem; » ut verissime correxit P. Burmannus Secundus. Omnium vero primus Lipsius vidit, hunc Velleii locum imitatione expressum esse a Lucano II, 90: « Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthæ, Et Pœnos pressit cineres. Solatia fati Carthago, Mariusque tulit: pariterque jacentes Ignovere deis. » Nec talis tam exquisitarum sententiarum consensus fortuitus existimari debet, præsertim quum Lucanum alia quoque aliis locis a Velleio sumpsisse, certis indiciis deprehenderimus.

4. *Imbutæ manus*. Exemplar vetus habet: *Imbutæ manus sunt*. Burer.

5. *Quippe Pompeius*. Heinsius bene addit prænomen Q. quod facile elapsum est post *quippe*, ut aliis locis.

6. *Ad exercitum.... quam dux creaverat*. Exemplar vetus sic habet,

sed quam dux creaverat, interfectus est. Non erat Mario, 2
Sulpitio[1] Cinna temperatior: itaque, quum ita civitas
Italiæ data esset, ut in octo tribus[2] contribuerentur novi
cives; ne potentia eorum et multitudo veterum civium
dignitatem frangeret, plusque possent recepti in bene-
ficium, quam auctores beneficii; Cinna, in omnibus
tribubus eos se distributurum, pollicitus est. Quo no- 3
mine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acci-
verat, e qua pulsus collegæ optimatiumque viribus,
quum in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus
consulatus ei abrogatus est, suffectusque in ejus locum
L. Cornelius Merula, flamen Dialis; hæc injuria ho-
mine, quam exemplo dignior[3] fuit. Tum Cinna, corrup- 4
tis primo centurionibus ac tribunis, mox etiam spe largi-

ut dubium mihi sit, utra sit verior lectionum, illa superior, an hæc posterior: « Quippe Pompeius, collega Syllæ, ab exercitu Cn. Pompeii proconsulis seditione, sed quam dux creaverat, interfectus est. » Dubito etiam nonnihil, an pro *creaverat* legendum sit *exciverat*, vel *excitaverat*. Bur. Ed. pr. habet, *ad exercitum*, manifesto errore. *Creare seditionem* non magis mihi, quam Heinsio, Latinum videtur. Nec, quod latine dicitur, *creare periculum*, *lites*, *odium*, etc., argumento est, recte dici, *creare seditionem*. Talia non analogia, sed veterum consuetudine judicanda sunt, ut recte monet Burman. Miscel. Obs. VIII, p. 368. Immo quum hæc loquendi ratio, cujus millies usurpandæ occasio fuit, hoc uno tantum loco, et, quod imprimis ad rem pertinet, apud scriptorem in uno codice conservatum reperiatur, quis est, cui non statim vitii nascatur suspicio? *Excitaverat* merito etiam placuit Sigonio Fast. ad annum 665.

1. *Mario, Sulpitio*. Alias, *Mario Sulpitioque*. RHENAN. Sed asyndeton quoque est hoc ipso capite: *Opus erat partibus auctoritate, gratia*; et alibi passim. Vide ad l. I, c. 4, pag. 13.

2. *Octo tribus*. Poterat Velleius paulo distinctius dixisse, *octo novas tribus*, et mox, *in omnibus* XXXV *veteribus tribubus*. Res clara est ex Appiano de Bell. Civ. I, pag. 641, eamdem, quam Velleius, rationem reddente: ἵνα μὴ τῶν ἀρχαίων πλέονες ὄντες ἐν ταῖς χειροτονίαις ἐπικρατοῖεν; et satis explicata a Sigonio, de Ant. Jure Ital. III, 1, et Vinc. Contareno, Var. Lect. I, 1, ut actum egerit Mazochius, Addend. ad Tab. Heracl. pag. 552.

3. *Injuria homine, quam exemplo dignior*. Imitatur Sallustium, Jug. 31 nostr. ed. p. 197: « Quod magis vos fecisse, quam illis accidisse, indignum.; » ubi vide Cortium.

tionis militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. Is, quum universus[1] in verba ejus jurasset, retinens insignia consulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, e quorum delectu CCC amplius cohortes conscripserat, ac triginta legionum instar impleverat. Opus erat partibus[2] auctoritate, gratia; cujus augendæ, C. Marium cum filio de exsilio revocavit, quique cum iis pulsi erant.[3]

1 XXI. Dum bellum autem infert patriæ Cinna, Cn. Pompeius, Magni pater (cujus præclara opera bello Marsico præcipue circa Picenum agrum, ut [4]præscripsimus, usa erat respublica; quique Asculum ceperat, circa quam urbem, quum in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, quinque et LXX civium Romanorum,
2 amplius LX Italicorum una die conflixerant),

1. *Universos. Universos* pro *universus.* RHENAN. Edit. pr. *universos.*

2. *Opus erat partibus*, etc. Editio prima sic interpungit : « Opus erat partibus auctoritate, gratia cujus augendæ, C. Marium. » Recentiores editores : « Opus erat partibus, auctoritate, gratia; cujus augendæ C. Marium; » partim bene, partim secus. Ego *partibus* in dativo capio de factione Cinnæ, quæ indigebat auctoritate et gratia; ac nescio, an ita ceperit Freinshem. Suppl. Liv. 77, parag. 23. *Auctoritatem* et *gratiam*, quæ hic sine copula ponuntur, conjungit etiam Sallust. Catilin. 20, (p. 37 nost. Edit.): « Vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate. » Mox in *cujus augendæ* intelligi *caussa*, interpretes monuerunt.

3. *Quique cum iis pulsi erant.* De hac orationis forma vide Cortium ad Sallust. Jug. 30. Pro *erant* editor Basileensis dedit *fuerant.*

4. *Ut præscripsimus.* Lege *ut prædiximus*, scilicet II, 15, 16. Semper ita loquitur Velleius. Nec *præscribere* pro ante scribere Latinum esse videtur. Burman. ad Valer. Flacc. VII, 72, Latinis, negat, verbum *prædicere* hoc sensu usitatum esse. Quod hactenus revocat ad Sueton. Aug. 90, ut *supra dicere*, quam *prædicere*, magis Latinum dicat; sed sic optima ætate jam locutus est Trogus Pompeius, XLIII, 14 : *Quum nocte a prædictis apertæ portæ forent.* Ac, ne quis forte Justino potius, quam Trogo, hoc verbum tribuat, sunt, præter Velleium, alii scriptores idonei, quorum auctoritate hæc significatio confirmetur. Columella, lib. III, cap. 9 : « Cur naturam dubitemus etiam in vitibus prædictam legem servasse ? » Plinius, Histor. Natur. l. XII, c. 16 : « Sembracena prædictis caret vitiis. » Quintil. III, 7, « Nihil ne in his qui-

frustratus spe continuandi consulatus, ita se dubium
mediumque partibus [1] præstitit, ut omnia ex proprio usu
ageret, temporibusque insidiari videretur, et huc atque
illuc, unde spes major adfulsisset [2] potentiæ, se exerci-
tumque deflecteret. Sed ad ultimum magno atrocique 3
prælio cum Cinna conflixit: cujus commissi [3] patratique
sub ipsis mœnibus oculisque [4] urbis romanæ, pugnan-
tibus spectantibusque quam fuerit eventus exitiabilis,
vix verbis exprimi potest. Post hoc, quum utrumque 4
exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pes-
tilentia, Cn. Pompeius decessit: cujus interitus volup-
tas, amissorum aut gladio aut morbo civium pæne damno
repensata [5] est: populusque romanus quam vivo iracun-
diam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ, 5
seu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus ejus nomi-
nis, ante annos fere [6] CLXVII, Q. Pompeius [7] cum Cn. Ser-
vilio consul fuit. Cinna et [8] Marius, haud incruentis 6
utrinque certaminibus editis, urbem occupaverunt; sed

dem præter tria, quæ prædiximus, quæri. »

1. *Se.... medium partibus præstitit*. Liv. II, 27: « Ita, medium se gerendo, nec plebis vitavit odium, nec apud patres gratiam iniit. »

2. *Spes major adfulsisset*. Editio prima, *adfuisset*; sed contextui reddidimus certam Aldi nepotis emendationem, *adfulsisset*, quam, præter Velleii interpretes, sequitur Dukerus, ad Flor. IV, 9, 3.

3. *Commissi patratique*. Sic etiam apud Sallust. Jugurt. 21, nost. edit. p. 182: *cœptum patrato bello* opponitur. Vide Drak. ad Liv. XLII, 30.

4. *Sub ipsis mœnibus oculisque*. Tenemus hanc verissimam, Lipsii ingenio repertam, lectionem. Edit. prima mendose: « Sub ipsis mœnibus sociisque; » II, 79: « Gravis sub ipsius Cæsaris oculis accepta clades; » 84: « In ore atque oculis Antonianæ classis. » Vide interpretes ad h. l. Duker. ad Flor. II, 15, 7, et Drakenb. ad Liv. IV, 28.

5. *Voluptas... civium pæne damno repensata*. II, 115: « Nunquam adeo ulla opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis. »

6. CLXVIII. Exemplar vetus habet, CLXVII. BURER.

7. *Q. Pompeius*. Est ex editoris Basileensis correctione. Edit. prima, *quam Pompeius*.

8. *C. Marius*. Ita edit. Basileens. Editio prima, *Cn. Marius*.

prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit.
1 XXII. Mox C. Marius, pestifero civibus suis reditu,
intravit mœnia. Nihil illa victoria [1] fuisset crudelius, nisi
2 mox Sullana esset secuta: neque licentia gladiorum in
mediocres [2] sævitum, sed excelsissimi quique atque emi-
nentissimi [3] civitatis viri variis suppliciorum generibus
adfecti; in iis cous. Octavius, vir lenissimi [4] animi, jussu
Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui se sub ad-
ventum Cinnæ consulatu [5] abdicaverat, incisis venis,
superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute
reipublicæ flamen Dialis precatus erat Deos, eos in exse-
crationem Cinnæ partiumque ejus tum precatus, optime
3 de republica meritum spiritum reddidit. M. Antonius,
princeps civitatis atque eloquentiæ, gladiis militum,
quos ipsos facundia sua moratus erat, jussu Marii Cin-
4 næque confossus est. Q. Catulus, et aliarum virtutum
et belli cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis
fuerat, celeberrimus, quum ad mortem conquireretur,
conclusit se loco nuper calce harenaque [6] perpolito, il-

1. *Nihil illa victoria*, etc. Eodem acumine Valer. Maxim. IX, 2, 2: « Sullanæ crudelitatis C. Marius invidiam levat. »

2. *Neque licentia gladiorum in mediocres sævitum*. Exempl. vetus habet: *Neque licentia immediocri sævitum*. Burra. Bene Acidalius scripsit: *in mediocris sævitum*, ut *mediocris* sit accusativus antiquus, extrita ultima litera *s* a verbo sequenti. Junta, edit. Basileens. aliique post eos, vocem *gladiorum*, quasi teste Burerio, in veteri codice deesset, omiserunt. Ego esse in codice putem, sed operarum culpa ex Burerii notula elapsam.

3. *Excelsissimæ quoque atque eminentissimæ*. Hæc est editionis primæ scriptura, quam optime refinxit editor Basileensis hoc modo: *excelsissimi quique atque eminentissimi*; idque secuti sumus.

4. *Octavius, vir lenissimi animi*. Sallust. Fragm. p. 403 nost. edit.: *Octavium mitem, et captum pedibus*.

5. *Consulatu abdicaverat*. Hæc est emendatio editoris Basileensis, qua nihil certius. Editio prima habet: *qui se sub adventum Cinnæ cos. abdicaverat*, ex quo alii fecere *consulis*.

6. *Loco nuper calce harenaque perpolito*. De mortis genere, quo Catulus periit, Vell. convenit cum scholiaste Lucani, l. II, v. 174, qui Sallustium in Historia deperdita,

latoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant præcipitia in republica[1], nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis romani, aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut sævitiæ caussam avaritiæ præberet, et modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur; et, qui fuisset locuples, fieret[2] nocens, sui quisque periculi[3] merces foret; nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstuosum.

ut aliis locis, secutus videtur. Adde Davis. ad Cicer. de N. D. III, 32. Pro *perpolito* Lipsius legebat *perlito*, credo, ex Valer. Max. IX, 12, 4 : « Catulus recenti calce illito, multoque igni percalefacto cubiculo se inclusum peremit ; » idque præferebat Burmann. ad h. l. post tamen sententiam mutans ad Phædr. IV, 4, 26. Recte : nam *polire* non minus proprie de opere albario, vel tectorio dicitur, quam *perlinere*. Varro apud Non. Marc. p. 66 : « Ex agri depolitionibus ejiciuntur; hic in cœnaculo polito recipiuntur; » Liv. XL, 51 : « Columnasque circa poliendas albo locavit ; » Columella, VIII, 3 : « Aviaria intrinsecus et extrinsecus poliantur opere tectorio. » Vetus inscriptio apud Gruter. pag. 207 : « Eosque parietes, marginesque omnes, quæ lita non erunt calce harenato, lita politaque et calce uda dealbata recte facito. » In his et aliis, quæ in promptu sunt, exemplis semper simplex *polire* de tali opere dicitur, quod etiam Velleio reddere malim, præsertim quum nihil ad rem faciat, locum illum fuisse *perpolitum*, sive penitus politum. Quamquam etiam compositum pro simplici sumi potest, sicut Cincius apud Festum v, *Rodus*, *vestimentum rude* vocat, *non perpolitum*.

1. *Omnia arant præcipitia in republica.* Liv. XXIV, 7 : *Omnia in eo præcipitia ad exitium fuerunt.*

2. *Fieret nocens.* Ita editor Basileensis rescripsit; editio prima, nullo sensu : *fieret innocens*.

3. *Sui quisque periculi merces foret*. Hæc est editionis primæ scriptura, quam Acidalius depravavit adjicienda copula, *suique*. Potius tollendum est otiosum istud *foret*, ut *locuples quisque* per elegantem appositionem *periculi sui marces fieri* dicatur. Est autem *foret*, quod etiam Lipsius expellendum esse vidit, hic inculcatum ex cap. 28 : « Ut neque occisi hostis, quam civis, uberius foret præmium, fieretque quisque merces mortis suæ. » Arguta loquendi forma, *periculi sui* vel *mortis suæ merces est*, pro, interfectus præmium percussoris est, quod occisorum bona percussoribus statim dividebantur. Florus, l. III, c. 13, 7 : « Misera respublica in exitium suum sui merces erat; » ubi in hac locutione illustranda copiosus est Freinshem. Eandem rem sic expressit

1 XXIII. Secundum deinde consulatum Cinna, et sep-
timum Marius in priorum dedecus iniit; cujus initio
morbo [1] oppressus decessit, vir in bello [2] hostibus, in otio
2 civibus infestissimus, quietisque impatientissimus. In
hujus locum suffectus Valerius Flaccus, [3] turpissimæ
legis [4] auctor, qua creditoribus quadrantem solvi jusse-
rat: cujus facti merita cum pœna intra biennium conse-
cuta est. Dominante in Italia Cinna, major pars nobili-
tatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam
3 perfugit. Sulla interim cum Mithridatis præfectis,
circa Athenas, Bœotiamque, et Macedoniam ita dimi-
cavit, ut et Athenas reciperet, et plurimo circa multi-
plices Piræei [5] portus munitiones labore expleto, amplius
4 cc hostium interficeret, nec minus multa caperet. Si
quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ a
Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri ve-
tustatisque ignarus est; adeo enim certa Atheniensium
in Romanos fides fuit, ut semper et in omni re, quid-
quid sincera fide gereretur, id Romani, Attica fieri,
5 prædicarent. Cæterum tum [6] oppressi Mithridatis armis,
homines miserrimæ conditionis, quum ab inimicis tene-
rentur, oppugnabantur ab amicis, et animos extra [7] mœ-

Seneca, Cons. ad Marc. 20, p. 280: « Nec vidisset divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent; » ubi vide Lipsium; sed ipsa locutio fluxit a Sall. Fragm. p. 408 nost. ed.: « Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem. »

1. *Morbo*. Laterum, ut ex Posidonio Plutarchus scribit. PUTEANUS.

2. *Vir in bello hostibus*. Vide quæ annotavimus ad l. II, c. 11.

3. *Turpissimæ legis*. Atqui legem æquissimam fuisse judicat ill. vir, *Montesquieu*, *Esprit des Lois*, lib. XXII, cap. 22. Scilicet *quadrantem*, quæ, ut Gronov. de Pec. Vet. IV, 5, demonstravit, quarta sortis pars est, de usuris trientibus perperam accepit. Quem errorem jam alii castigarunt, et ipse sustulit in ultima operis editione.

4. *Legis auctor*. Pro, legis lator. Vide Græv. ad Cicer. ad Att. I, 19.

5. *Piræei*. Editio prima, *Pirei*.

6. *Cæterum cum*. Exemplar vetus habet *tum*. BURER.

7. *Animos extra mœnia*, etc.

nia, corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam[1] Sulla, parentem 6
ante[2] omnia supplicemque Mithridatem invenit; quem multatum pecunia ac parte navium, Asia, omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coegit: captivos recepit; in[3] perfugas, noxiosque animadvertit; paternis, id[4] est, ponticis finibus contentum esse jussit.

Nescio, an imitetur Livium XXVII, 17: « Corpus duntaxat suum ad id tempus apud eos fuisse; animum jam pridem ibi esse, ubi jus ac fas crederent coli. » Potuit etiam a Græcis sumere. Isocrates Plataic. p. 299: Πολλοὶ καὶ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, τοῖς μὲν σώμασι μετ' ἐκείνων ἀκολουθεῖν ἠναγκάζοντο, ταῖς δὲ εὐνοίαις μεθ' ἡμῶν ἦσαν. Quod in rem suam vertit Dinarchus adv. Demosth. p. 92: Τοῖς μὲν σώμασι μετ' Ἀλεξάνδρου διὰ τοὺς καιροὺς ἀκολουθεῖν ἠναγκάζοντο, ταῖς δ' εὐνοίαις μετὰ Θηβαίων καὶ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἦσαν. Vide Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 47.

1. *In Asiam.* Sic editor Basileens. correxit; editio prima, *in Asia.*

2. *Ante omnia.* De hoc loco Burmanni et Wopkensii rixas qui tanti putet cognoscere, adeat Misc. Obs. VIII, p. 369; IX, p. 250, et ad Virg. Æn. II, 40. Neuter legendum vidit, *ad omnia.* Sallustius apud Donat. ad Terent. Phorm. I, 3, 18: *modestus ad omnia alia*; Liv. IV, 42: *Hortensii placabile ad justas preces ingenium.* Permulta exempla congessit Broukhus. ad Propert. II, 8, 7. Verba *ad omnia* et *ante omnia* confunduntur apud Liv. XXXV, 32.

3. *In perfugas.* Ita editor Basil. Editio prima, *in perfugam.*

4. *Id est.* Hac fere nota glossemata produntur. Cicer. ad Divin. IV, 9: « Primum tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum. » Scilicet Marcellus, cui Cicero scribit, quid esset *tempori cedere*, nesciebat, et a Cicerone docendus erat, ad Divin. IX, 24: « Sapientius nostri, quam Græci; illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, id est, compotationes, aut concœnationes; nos convivia. » Tirunculus tali explicatione indigebat, non Pætus, ad quem hæc scripta est epistola. Idem Bruto 62: « Catulum abducamus ex acie, id est, a judiciis, et in præsidiis reipublicæ collocemus. » Verba, *id est, a judiciis*, non videntur a Cicerone profecta, quoniam, quæ sit intelligenda *acies*, facile ex contextu, sine tali interpretatione, intelligitur. Alia dedit Valckenarius V. C. Diatrib. in Euripid. XIX, p. 194. Sæpe tamen hæc formula vim et elegantiam orationi addit, ut hoc loco, l. II, c. 48: « Pro Pompeii partibus, id est, pro republica; » plane ut Quintilian. XII, 1, pag. 597: « Quo minus optimis se partibus, id est, reipublicæ, jungeret; » II, 63: « Plancus dubia, id est, sua fide; » Sallust. Jug. 31: « Vos autem, hoc est, populus Romanus; » ubi vide Cortium. Adde Dukerum ad Liv. Ep. LXXXVIII.

1 XXIV. C. Flavius Fimbria, qui, præfectus equitum, ante adventum Sullæ, Valerium Flaccum consularem virum [1] interfecerat, exercituque occupato imperator appellatus, fonte [2] Mithridatem pepulerat prælio, sub adventum Sullæ se ipse interemit, adulescens, quæ pessime
2 ausus erat, fortiter exsecutus. Eodem anno P. Læuas, tribunus plebis, Sextum [3] Lucilium, qui in [4] priore anno tribunus plebis fuerat, saxo Tarpeio dejecit; et quum collegæ ejus, quibus diem dixerat, metu [5] ad Sullam pro-
3 fugissent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, quum ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum venissent, et in iis quidam magi [6] ex notis corporis respondissent, cælestem ejus vitam et memoriam futuram, revectus in Italiam, haud plura quam xxx armatorum millia adver-
4 sum cc amplius hostium exposuit Brundusii. Vix quic-

1. *Consularem virum.* Non *consularem*, sed *consulem*, interfectum esse Valerium Flaccum, contendit Vinc. Contarenus Var. Lect. cap. 7; sed Velleium recte atque ordine rem narrasse, ostendit H. Valesius ad Excerpt. Dion. Cass. p. 51.

2. *Fonte.* Alias, *forte.* Rhenan. Editor Basileensis vocem *fonte*, ut se corrigendi molestia liberaret, abjecit. Ego Puteano, *forti* legenti, assentior. Valer. Maxim. v, 3, 2: « Quum C. Gracchi aciem pia ac forti pugna fugasset; » Valer. Flacc. iv, 193: « Omnibus idem animus forti decernere pugna. » Sic ipse Velleius ii, 112: *Forte conatu opus.* Plura Wopkens. Misc. Observ. ix, p. 251; nec tamen hanc correctionem in textum recipere audeo.

3. *Sext. Lucilium.* Non eamdem, ut quidam putant, sed diversam rem a Plutarcho in Mario, p. 432, narrari, docet Dukerus ad Livii Epitomen lxxx.

4. *In priore anno.* Edit. Basileens. *in* delevit, me non invito; quamquam apud Drakenb. ad Liv. i, 57, exempla sunt, quibus defendi posse videatur.

5. *Motu.* Mihi videtur legendum, *metu.* Burer. Etiam ii, 42, editio prima, *motu* pro *metu.*

6. *Et in iis quidam magi.* Cum Velleio convenit Plutarch. in Sull. p. 453. F: Ἱστορεῖται δέ τις ἀνὴρ τῶν μετὰ Ὀροβάζου καταβεβηκότων, Χαλκιδεύς, εἰς τὸ Σύλλα πρόσωπον ἀπιδών· ubi Xylander Χαλκιδεὺς accipit pro, Chalcide Syriæ oriundus: sed facili emendatione scribendum, Χαλδαῖος, id est, magus; quod ipse Plutarchus confirmat p. 479, B. Χαλδαῖος et Χαλκιδεὺς sæpe permutata

quam in Sullæ operibus clarius duxerim, quam quod,
quum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Ita-
liam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimu-
lavit, nec quod erat in manibus omisit; existimavitque
ante frangendum hostem, quam ulciscendum civem;
repulsoque externo metu, ubi quod alienum esset, vicis-
set, superaret [1] quod erat domesticum. Ante adventum 5
L. Sullæ, Cinna, seditione orta, ab exercitu interemp-
tus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur,
quam iracundia militum; de quo vere dici potest, ausum
eum quæ nemo auderet bonus, perfecisse quæ a nullo,
nisi fortissimo, perfici possent; et fuisse eum in consul-
tando temerarium, in exsequendo [2] virum. Carbo, nullo
suffecto collega, solus toto anno consul fuit.

XXV. Putares, Sullam venisse in Italiam, non belli 1
vindicem, sed pacis auctorem: tanta cum quiete exer-
citum per Calabriam Apuliamque, cum singulari cura
frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in
Campaniam; tentavitque justis legibus et æquis condi-
tionibus bellum componere: sed iis, quibus et [3] pessima

esse, docet Wesselingius ad Herodotum, III, 155.

1. *Superaret.* Editor Basileensis scripsit, *superavit;* Ursinus, *superare*, ut modorum sit variatio; quod et Oudendorpio ad Appulei. Met. I, p. 72, placuisse videtur. Equidem malim, *superandum*, quod ab *existimavit* pendet.

2. *In exsequendo virum.* Marklandus ad Stat. Silv. V, 1, 63, *temerarium* et *virum* minus commode sibi opponi putans, legere tentabat: *in exsequendo navum*. Sed sua scripturæ constat integritas. *Vir* ponitur pro *fortis*, ut centies. Cic. Phil. II, 14: *virum res illa quærebat. Fortis* autem sæpe opponitur *temerario*, ut apud auctor. ad Herenn. IV, 25, et Quintilian. XII, 10, p. 635.

3. *Quibus et pessima et immodica cupiditas erat.* Lege: *quibus et res pessima, et immodica cupiditas erat;* quæ duo sæpe junguntur. Sallust. Fragm. p. 362: « Flagrantes inopia et cupidinibus; » idem, Catilin. 18: « Quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant; » unde colorem duxit Tacit. Hist. I, 21: « Othonem. cui, compositis rebus, nulla spes, omne in turbido consilium, multa simul

et immodica cupiditas erat, non poterat pax placere.
2 Crescebat interim in dies Sullæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque et [1] sanissimo. Felici deinde [2] circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque [3] coss. [4] superat: quorum [5] Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suo desertus ac proditus, inviolatus a Sulla dimissus est.
3 Adeo enim Sulla dissimilis fuit bellator ac victor, ut, dum vincit, ac justissimo [6] lenior; post victoriam audito fuerit crudelior. Nam et cons. [7] ut prædiximus, exarmatum, Q. Sertorium (proh quanti mox belli [8] facem!) et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis ac diversissimi animi cons-

exstimulabant; » ubi vide Lipsium. Rursus Sallust. Catil. 28: « Plebem sollicitare, egestate simul, ac dolore injuriæ, novarum rerum cupidam; » 37: « Semper in civitate, quis opes nullæ sunt.... nova exoptant, odio suarum rerum mutari omnia student. » Vocem *res* consequens syllaba *pes* intercepit.

1. *Sanissimo.* Alias, *sanctissimo.* RHENAN. Exemplar vetus habet: *optimo quoque et sanissimo.* BURER. Edit. prima copulam *et* omisit. *Sani* dicuntur meliorum partium cives, et seditiosis opponuntur. Cic. pro Sext. 45: « Quiqui integri sunt et sani; » Liv. VIII, 27: « Tumultu etiam sanos consternante animos. » V. Gronovium ad Gell. II, 12.

2. *Felici denique.* Exemplar vetus habet: *Felici deinde.* BURER.

3. *Narbonumque.* Exempl. vetus habet, *Norbanumque.* BURER.

4. *Cos. superat.* Tu fac: *Coss. superat.* BURER.

5. *Narbonus.* Exempl. vetus habet, *Norbanus.* BURER.

6. *Dum vincit, ac justissimo.* Alias, *mitissimo ac justissimo.* Pro *vincit, ac,* lege *vinceret.* RHENAN. Mihi sic legendum videtur *dum vincit, justissimo lenior.* BURERIUS. Burerio observanti Junta et editor Basileensis *ac* deleverunt. Ego restitui, ut alius, me felicior, ex corrupta lectione veram et Velleio dignam extundat. *Justissimo lenior* dicitur, ut *optimo melior* apud Plin. Paneg. 92. De qua loquendi forma vide Vossium de Analog. II, 23. Verba, *audito crudelior*, si sana sunt, significant, crudelior, quam quisquam audito cognitus.

7. *Nam et cos. ut prædiximus*, etc. Editio prima sic legit et distinguit: *Nam ut cos. (ut prædiximus) exarmatumque Sertorium.* Quod ita correxit editor Basileensis: *Nam et cos. ut prædiximus, exarmatum, Q. Sertorium.* Prænomen *Q.* sæpe in *que* abiisse, supra vidimus. Hic tamen cum Perizonio malim: *Q. que Sertorium.*

8. *Proh quanti mox belli facem!* Hæc exclamatio Floro dignior est, quam Velleio.

piceretur exemplum. Post [1] victoriam, quia descendens 4
montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates [2] Dianæ, cujus numini regio illa sacrata [3] est, sol-

1. *Posuit victoriam*, etc. Exempl. vetus sic scriptum habet : « Posuit victoriam qua demendesmontem ti fata eum C. Norbano concurrerat Sylla. » Hic locus depravatissimus adeo omnium suffugit conjecturas, ut pæne de eo quasi irrestituibili loco desperatum esset. Nihilominus ego (ceu solent canes venatici) odorari non destiti, donec lectionem aliquam, si non germanam, attamen germanæ simillimam deprehenderim. Ea hæc est : « posuit victoriam qua demens de monte in Tifata eum C. Norbano concurrerat Sylla. » Fuit autem Tifata (teste Volaterrano) oppidum in Campania, non longe a Capua, ubi Sylla Norbanum acie vicerat. BURER. Felicius, certe ex parte, rem gessit editor Basileens. e corruptæ lectionis vestigiis ita hunc locum refingens : « Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sylla. » Verbo *descendens* favet rei ratio : nam pugnatori se ex locis montanis in plana demittere solent. Liv. loco simillimo, VII, 29 : « Samnites Tifata, imminentes Capuæ colles, quum præsidio firmo occupassent, descendunt inde quadrato agmine in planitiem, quæ Capuam Tifataque interjacet. » Unde millies dicitur *descendere in aciem*, *in pugnam*, etc. Vide Jo. Toupium V. C. Emend in Suid. t. I, p. 92 ; atque in hac lectione facile acquiescerem, modo in promptu esset exemplum verbi *descendere* cum accusativo constructi : nam quæ Oudendorpius pro hac constructione attulit exempla, ad Suet. Cæs. 37, et ad Appul. Met. V, p. 359, incerta sunt omnia. Nec *montem* in *monte* mutare licet propter adjunctum *Tifata*, quod neutrum plurale est, non femininum singulare, ut perperam accepit Reines. ad Cl. VI, Inscript. 91 ; sed salva res est. Omnem de verbi *descendere* constructione scrupulum nobis eximit Arusianus Messius, Elocutionum libello MS. « Degredior illum locum. Sallustius : exercitum dimisit, ut primum Alpes degressus est. » Hactenus igitur locus non male curatus videtur ; sed *victoria concurrere cum hoste*, quale tandem loquendi genus est ? Burm. ad h. l. et Dukerus ad Flor. III, 21, 9, id ullius scriptoris auctoritate defendi posse negant. Rectissime. At iisdem viris doctissimis, vide, quantillum mendum quas tenebras offuderit ! Si, una litera adjecta, pro *qua* scripseris *quia*, liquidus et verus sensus existet : « Post victoriam, quia descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates Dianæ, cujus numini regio illa sacrata est, solvit. » Sic II, 37 Edit. prim. *quia* habet pro *qua*.

2. *Gratus Dianæ*. Exemplar vetus habet : *gratis Dianæ*. BURER. *Gratus*, quod Rhenanus in edit. prima dederat, editor Basileensis servavit, Junta in *gratias* mutavit. *Gratis*, quod codex unicus, teste Burerio, habet, est accusativus antiquus pro *grates*, ut II, 22, *mediocris* pro *mediocres*. Vide Heins. ad h. l.

3. *Cujus numini regio illa sacrata est*. Exemplar vetus habet : *cujus*

vit; aquas salubritate[1] medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit [2] deæ : hujus gratæ religionis memoriam [3] et inscriptio templi adfixa poste hodieque, et tabula testatur ærea intra [4] ædem.

nomini regio illa sacrata est. Burer. Rhenanus bene de conjectora dedit *numini.* Non semel in antiquis monumentis commemoratur *Diana Tifatina.* Lapis apud Reines. Cl. vi, n. 91 : *C. Velleio C. F. Pal. Urbano mag. fan. Dian. Tifat.* etc. Alius apud Mazochium de Campan. Amphith p. 46 : *C. Teretio C. fil. Pal. Carina Pr. j. d. mantis Dianæ Tif.* Eadem *Diana Tifatina* intelligenda est apud Pausan. v, 12, et Gruter. Inscript. p. 315, 1 ; sed nihil luculentius est, nihil ad Velleium illustrandum appositum magis, quam marmor Capuæ inventum, quod primus edidit Gorius inter Doniana, p. 12, post repetiit Murator. p. 446, 4 : « Imp. Cæsar Vespasianus Aug. Cos. viii fines locor. dicator. Dianæ Tifatinæ Cornelio Sulla ex forma Divi Aug. restituit ; » ubi de hac Diana omnia dixit Gorius.

1. *Salubritate medendisque corporibus.* Exemplar vetus habet : *salubritate in medendisque corporibus.* Burer. Rhenanus *in*, quod ex prima litera *m* sequentis vocis natum est, bene omisit. Frequens hoc vitii genus in Velleii codice, e. g. ii, 76 : *redderem in ea*, pro *redderem, eo ;* 87 : *in morsu*, pro *morsu ;* 105 : *multiplicem in virtutibus*, pro *multiplicem virtutibus.* Vide Heins. ad h. l.

2. *Agrosque omnes adduxit deæ.* Exemplar vetus sic habet, ut potius, « agros omnes addoxit deæ, hujus gratæ religionis memoria et inscriptio templi adfixa posti, » legendum existimem. Burer. In edit. Rhenan. Incisum ponitur post *adduxit*, non post *deæ.* Hoc mutat, nihil amplius, Burerius, in re levicula nimis ambitiosus. Pro *adduxit* edit. Basileensis scripsit *addixit*, id est, donavit. Optime. Justin. xxii, 3 : « Nunc insuper civitates sociorum eidem titulo pacis addictas. » Valer. Maxim. vii, 7, 4 : « Neque erubescis ei totum patrimonium addicere. » Inepte Vascosan. *ægrosque omneis.* Apposítus est lapis inscript. Benevent. pag. 7 : « Deo æterno, pro restituta valetudine, ex voto ædiculam T. Antonius Feliciauus dat ; addieit et conjunctum fundum trinum et tricenum jugerum cum oleto ; » ubi Jo. de Vita *addicit* male refert ad *ædiculam*, quod ad *Deo æterno* referendum, et ratio et Velleii locus ostendit.

3. *Religionis memoriam.* Sic edimus de Lipsii judicio. Accusativus *memoriam* pendet a verbo *testatur.* Edit. pr. *religionis memoria.*

4. *Hodieque tabula testatur ærea intra ædem. Coss.* Exemplar vetus habet : « Hodieque crabula testatur ærea Interea deinde con. Carbo iii et C. Marius septiens, etc. » Burer. Rhenanus, conjecturam secutus, bene edidit : *hodieque tabula testatur ærea intra ædem coss.* Melius tamen editor Basileensis : « Et inscriptio templi adfixa posti hodieque, et tabula testatur ærea intra ædem. Deinde coss. » Quam lectionem, ad veteris scripturæ vestigia proxime accedentem et fere per omnia probatam Stanleio ad Æschyl. S. c. Theb. 4, in textum admittere non

XXVI. Deinde coss. Carbo[1] III, et C. Marius[2], sep- 1
tiens cons. filius, annos natus XXVI, vir[3] animi magis
quam ævi paterni, multa fortiterque[4] molitus, neque
usquam inferior[5] nomine consulis, apud Sacriportum
pulsus a Sulla acie, Præneste, quod ante natura muni-
tum præsidiis firmaverat, se exercitumque contulit. Ne 2
quid usquam[6] malis publicis deesset, in qua civitate sem-

dubitavimus; sed ut illi etiam, quibus nulla editionis primæ copia est, qualis opera tum a nobis, tum ab aliis navata huic loco sit, existimare possint, veteris codicis scripturam monstrose depravatam, age, exhibeamus: « Posuit victoriam, qua demendesmontem ti fata cum C. Norbano concurrerat Sylla, gratis Dianæ, cujus nomini regio illa sacrata est, solvit aquas, salubritate in medendisque corporibus nobiles, agrosque omneis adduxit, deæ hujus gratæ religionis memoria, et inscriptio templi adfixa posti. hodieque crabula testatur ærea interea deinde coss. »

1. *Coss. Carbo.* Tu lege: *Cos. Carbo.* BURM.

2. *C. Marius, sept.* Scribe cum Puteano: *C. Marius, C. Marii, septiens*, etc. Sic Liv. Ep. LXXXVI.

3. *Vir animi magis.* Lege: *qui animi magis.* Res ipsa postulat, ut, quæ de Mario separatim dicuntur, hoc modo distinguantur. Quod ut recte sensit editor Basil. ita minus bene *qui* ante *multa* inculcavit.

4. *Multa fortiterque molitus. Que* abesse mallem cum Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 37.

5. *Neque usquam inferior nomine consulis.* Sall. Fragm. p. 379: « Ea continentia vir gravis, et nulla arte cuiquam inferior. » Vir elegantissimus, L. Santenius legit: *Neque usquam inferior nomine consul*; scilicet nomine Mariano, quod argutius est vulgato.

6 *Ne quid unquam malis publicis deesset.* Editor Basileensis male dedit: *Et ne quid unquam*, etc. At bene Puteanus pro *unquam* scripsit *usquam*, quod melius probat Burmannus, quam interpretatur. Frequens et venusta formula est, *ne quid usquam desit*, vel *hoc deerat*, qua summum malum cum indignatione exprimitur. Cicero, Verr. III, 87: « Hæc deerat injuria, et hæc calamitas aratoribus; » Virgil. Æneid. XII, 644: » Exscindine domos, id rebus defuit unum, Perpetiar? » Seneca pater, Contr. I, 2, p. 93: « Id enim deerat, ut templa eas reciperent; » Plinius, Hist. Nat. VII, 2: « Ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset. » Eamdem formulam veteres aliis etiam modis extulerunt. Cicero, Verrin. V, 26: « Neque enim quicquam erat jam reliquum, nisi ut triumphus navalis tibi decerneretur, » pro Quint. 9: « Illud etiam restiterat, ut te in jus adducerent; » ubi formulæ vim eleganter, ut solet, explicat P. Manutius. Seneca Phœn. 270: « in thalamos meos Deducta mater, ne parum sceleris foret, Fecunda. » Vellei. II, 67: « Ne quid usquam sanctum re-

per virtutibus certatum [1] erat, certabatur sceleribus, optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus. Quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus [2] prætor Domitium [3], Scævolam etiam, pontificem maximum, et divini humanique juris auctorem [4] celeberrimum, et C. Carbonem prætorium, cons. [5] fratrem, et Antistium ædilitium, velut faventes Sullæ partibus, in curia Hos-
3 tilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiæ filia, uxor Antistii: quæ jugulato, ut prædiximus, viro, gladio se ipsam [6] transfixit: quantum hujus [7] gloriæ famæque accessit? nunc virtute eminet, patria latet.

1 XXVII. At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir animi [8] bellique fortissimus, penitusque romano nomini

linqueretor.» Vide Freiosbem. Iod. Flori, v. *Ne*.

1. *In qua civitate semper virtutibus certatum erat*. Habet a Sallustio Catil. 9: «Cives cum civibus de virtute certabant.»

2. *Damasippus prætor*. De eo vide Dnker. ad Flor. III, 21, 20, et ad Liv. Ep. LXXXVI.

3. *Domitium Scævolam*. Pro his editor Basileensis temere edidit: *Q. Mutium Scævolam*. Recte Aldus nepos post *Domitium* minorem distinctionem posuit, ut L. Domitius Ahenobarbus consul cum C. Cœlio a. U. c. 659, quem Appian. de Bel. Civ. I, pag. 675, et Oros. V, 20, io trucidatis referunt, intelligatur. Suspicor autem, post *Domitium* excidisse *consularem*. Neque enim ratio apparet, eor Velleius cæterornoi occisorom dignitatem commemoraos, unius Domitii prætermiserit; sed quid hic facit *etiam*, quo oihil ignavios? Scribendum: *Scævolam Mutium*. Nomen apud Velleium singulis fere paginis postpooitur cognomioi, ot II, 12: *Scaurum Aurelium*; 16: *Cato Porcius*; 27: *Ofella Lucretius*. *Mutium*, quum præcedens *m* in *Scævolam*, quod sequitur, elisisset, quam faeile io *etiam* abierit, sciunt talium rerum periti. In veteri autem codiee semper scribitur *Mutius* pro *Mucius*.

4. *Juris auctorem*. Vide J. Cujacium, Observ. VII, 25.

5. *Consulis fratrem*. Iotellige, patruelem, ut ostendit Perizon. Animadv. Hist. cap. III, pag. 96.

6. *Se ipsam*. Magis Velleianum sit *se ipsa*. Ita semper Noster loquitur; qood oulli negabont, qui eum cum attentione legerunt. Vossius.

7. *Quantum hujus*, etc. Faeilius est, aliorum de hoc loco conjectoras convellere, qoam, quid Velleius scripserit, ingenio reperire. Mihi qoidem nihil, quod satis placeat, in mentem venit.

8. *Animi*. Alias, *domi*. Rhenan.

infestissimus, contractis circiter XL fortissimæ[1] pertinacissimæque in retinendis armis juventutis, Carbone ac Mario coss., abhinc annos CXI[2], kal. novembribus, ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen et eum et rempublicam perduceret.
Quæ non majus periculum adiit, Hannibalis intra ter- 2
tium miliarium castra conspicata, quam eo[3] die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque, adesse Romanis ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamque urbem; adjiciens, nunquam defuturos raptores italicæ libertatis[4] lupos, nisi sylva,

Rhenani conjecturam sequitur Marklandus ad Stat. Silv. v, 3, 171; sed hic locus plures corruptelas suscepit, nec tam levi manu sanandus videtur: nam quis unquam prosæ orationis scriptorum *penitus* aut similia cum superlativo junxit? Propertio, ut poetæ, licuit fortasse comparativo jungere, nisi nos librarii fallunt, I, 16, 17: *Janua vel domina penitus crudelior ipsa*. Profertur quidem ex Cicerone, Verr. II, 66, *maxime remotissimi*; ex Livio, XLI, 23, *maxime gravissimam*; ex Columella, IX, 3, *maxime pessima*; ne attingam similes sordes, quas ex deterioris notæ scriptoribus collegit Munckerus ad Fulgent. I, 26. Talibusque exemplis Velleii lectionem confirmari putabat Drakenb. ad Liv. l. c. Enimvero in Ciceronis Liviique locis nec scripti libri consentiunt, nec critici; et, quæ Columellæ verba creduntur, glossatoris esse docet Gesnerus; ut nihil in his omnibus vulgatæ lectioni sit præsidii. Equidem suspicor, verba quædam Velleii loco suo mota esse, et inde vitium scripturæ natum. Lege: « Vir animi fortissimus, belli peritissimus, romanoque nomini infestissimus; » II, 29: « Pompeius, dux belli peritissimus; » Liv. IV, 17: « Centuriones veteres belli periti; » ubi vide Drakenborchium. Locutio, *ro. nomini infestissimus*, totidem verbis est apud Sallust. Catil. 52.

1. *Fortissimæ...... juventutis*. Quum nimis propinqua sint *fortissimus* et *fortissimæ*, vix dubitem, a Velleii manu esse: *ferocissimæ... juventutis*; II, 114: *ferocem illam tot millium juventutem*. Hæc verba etiam confunduntur apud Liv. III, 39, et forte apud Velleium, II, 68.

2. *Annos* XL. Exemplar vetus habet, *annos* XI. BURER. Aldus nepos reposuit, *annos* CXI, quod Fastis congruit.

3. *Quam eodem die*. Exemplar vetus habet: *quam eo die*. BURER.

4. *Raptores italicæ libertatis lupos*. Acerbum dictum, quo simul alluditur ad Romanorum conditores, lupæ uberibus nutritos, ut apparet ex simili loco Justini XXXVIII, 6, qui quamquam ab aliis jam allatus, tamen adscribendus videtur: « Atque, ut ipsi ferunt, conditores suos lupæ uberibus alitos; sic omnem il-

3 in quam refugere [1] solerent, esset excisa. Post primam demum horam noctis et romana acies respiravit, et hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultum [2] præferens; cujus abscissum [3] caput ferri, gestarique [4] circa
4 Præneste Sulla jussit. Tum demum, desperatis rebus suis, C. Marius adulescens per cuniculos, qui miro opere fabricati in diversas agrorum partes [5] ferunt,

lnnı populum lnporum animos, inexplebiles sanguinis atque imperii, divitiarumque avidos ac jejunos habere.» De iisdem Volsci et Æqui apud Liv. III, 66: «Occæcatos lupos intestina rabie opprimendi occasionem esse.» *Lupi* proprie *raptores* dicuntur, ut apud Græcos λύκοι ἅρπαγες. Vide Pricæum ad Mattheum Evang. VII, 15.

1. *Refugere solent.* Alias, *refugere solerent.* Burer. Burerii correctionem, quam temporum ratio postulat, editor Basileensis recepit.

2. *Morientis vultum.* Hæc est editoris Basileensis emendatio Editio prima mendose: *morientis cultum.* Velleius more suo Sallustium imitatur, Catil. 61: «Inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens;» ubi ejus generis plura congesserunt Wassius et Cortius. Statius, Theb. III, 94: *Se vantem vultus, et torvum in morte peracta;* quo loco satis vindicatur Valerii Maximi lectio, quam suspectam habebat Perizonius, IX, 2, 1: «Abscisa miserorum capita, modo non vultum ac spiritum retinentia.»

3. *Abscissum caput.* Sic est in editione prima; at eadem II, 66 et 119 habet, *abscisum caput;* quod hic etiam præferam, motus inprimis iis, quæ de discrimine verborum *abscidere* et *abscindere* disputat Dukerus ad Florum, II, 2, 2.

4. *Abscissum caput ferri, gestarique.* Hic quoque locus Burmanni et Wopkensii rixis nobilitatus est: quorum neuter, officiente animis iracundia, veram lectionem, quæ se prope oculis ingerebat, viderunt. Repone: «Cujus abscissum caput ferri, ostentarique circa Præneste Sulla jussit.» Ipse Velleius II, 19: «Caputque ejus erectum et ostentatum pro rostris;» Liv. III, 5: «Æquos legati caput ferociter ostentantes;» XLIII, 4: «Tantum pavorem ingressi castra, ostentantes capita, fecerunt;» Statius, Theb. X, 417: «clausis ipse insultare Pelasgis Tendit, et abscisos sociorum ostendere vultus;» Capitol. Maxim. 22: «Eorum capita præfixa contis Aquileiensibus demonstrarunt»; sed rem conficit unus Frontin. II, 9, 3: «Sulla his, qui Præneste obsidebantur, occisorum in prælio ducum capita, hastis præfixa, ostendit.» Adde Freinshem. ad Flor. IV, 9, 7.

5. *In diversas agrorum partes fuerunt.* Sic editio prima, pro quo edit. Basileensis, *in diversas agrorum partes ferunt.* Recte. Vide interpretes ad h. l. et ad Liv. XXXIX, 27.

conatus erumpere, quum foramine e terra emersisset, a dispositis in id ipsum interemptus est. Sunt, qui sua 5
manu; sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre [1] Telesino, una obsesso et erumpente, occubuisse prodiderint. Utcunque cecidit, hodieque tanta patris imagine [2] non obscuratur ejus [3] memoria; de quo juvene quid existimaverit Sulla, in promptu est: occiso enim demum eo, Felicis nomen adsumpsit; quod quidem [4] usurpasset justissime, si eumdem et vincendi et vivendi finem habuisset. Oppugnationi [5] autem Prænestis, 6
ac Marii præfuerat Ofella [6] Lucretius; qui, quum ante

1. *Cum minore fratre Telesino.* Non Marii, sed Pontii Telesini, qui ad portam Collinam ceciderat, fratrem intelligendum esse, demonstrat Dukerus ad Liv. Ep. LXXXVI, cui melius videtur legere, *Telesini*, aut voce *fratre* abjecta, *cum minore Telesino*. Mihi posterior ratio placet.

2. *Patris imagine.* II, 116: « Consummatione evectæ in altissimum paternumque fastigium imaginis defectus est. » Quæ vis potestasque voci *imago* in his locis subjecta sit, me nescire fateor. Neque de nobilitate capere, contextus sinit. Fallor, aut Velleius scripsit: « Tanta patris magnitudine non obscuratur ejus memoria; » et altero loco: « Evectæ in altissimum paternumque fastigium magnitudinis. » Corruptela nata videtur ex compendio scripturæ *magine*, pro *magnitudine*. Sic apud Senecam Q. N. I, 11: « Non enim totum imitantur, sed imaginem ejus. » MS. Vossian. qui est in bibl. Leidensi, errore contrario præbet: *sed magnitudinem ejus*. *Magnitudo* sæpe a Velleio dicitur pro excellentia, dignitate, ut loco simili, II, 36: « Omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem; » c. 55: « Paterni nominis magnitudinem sequentium; » Justinus, l. XIX, c. 1: « Filii magnitudini patris successerunt. » Inprimis hanc emendationem confirmat Livius, l. XXXVIII, c. 58: « Ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret. » Sed non prætermittendus est tertius Velleii locus, II, 33, qui, quod ex simili compendio vitium contraxit, eadem opera sanari debet: « Neque Pompeius, ut primum ad rempublicam adgressus est, quemquam animo parem tulit. » Legendum: « Quemquam magnitudine parem tulit. » Quod convenit Velleianæ rationi, II, 29: « Pompeius indignatus, quum omnes cives jure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere. »

3. *Ejus memoria.* Exempl. vetus habet, *civis memoria*. BURER.

4. *Quod quidem.* Exempl. vetus habet, *quo quidem*. BURER.

5. *Oppugnationi.* Sic editor Basil. scripsit. Edit. pr. *oppugnationis*.

6. *Præfuerat Asella Lucretius.* Exemplar vetus habet, *præfuera*

Marianarum [1] fuisset partium prætor, ad Sullam [2] transfugerat. Felicitatem diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum circensium honoravit memoria, qui sub ejus nomine [3] Sullanæ victoriæ celebrantur.

1 XXVIII. Paulo ante quam Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis præliis partium ejus viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud [4] Clusium, Metellus Pius apud Faventiam, M. Lucullus circa Fidentiam.

2 Videbantur finita belli civilis mala, quum Sullæ crudelitate aucta sunt. Quippe dictator creatus (cujus honoris usurpatio per annos cxx intermissa: nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat: uti adpareat, populum romanum usum dictatoris [5] haud ita in metu desiderasse, ut in otio timuisse potestatem) imperio,

Affella Lucretius. Ofella legitur in margine. BURER. *Offella* Junta edidit, *Ofella* editor Basil. Etiam in Livii Epit. LXXXVIII, quædam edd. male *Afella* habent pro *Ofella*; quo modo recte dicitur a reliquis scriptoribus. Vide Bentleium ad Horat. II Serm. 2, 2.

1. *Marianarum*. Exempl. vetus habet, *marinarum*. BURER.

2. *Quum a. Mar fuisset partium prætor, ad Sull.* Sic interpungitur in edit. pr. Aldina et reliquæ post *partium* non bene inciderunt. At negat Puteanus, ex Appiano de B. C. I, p. 688, Ofellam prætorem fuisse, et hunc locum de mendo suspectum habet. Scilicet vir doctissimus non animadvertebat, *prætorem* h. l. pro proprætore sumi, ut sæpe. Vide quæ annotavimus ad II, 15.

3. *Quibus sine nomine*. Alias, *qui sub ejus nomine*. RHENAN. Exempl. vetus habet: *qui sub ejus nomine*. BURER. Rhenani notula sic invertenda: *qui sub ejus nomine*. Alias, *quibus sine nomine*. Gronovius etiam, Observ. II. 23, legit: « Qui sine ejus nomine Sullanæ victoriæ celebrantur; » propterea quod illi ludi a Cicerone, Actio I in Verrem, 10, et in Calendar. veteri apud Grut. p. 133, non *Sullanæ victoriæ*, sed simpliciter *victoriæ* dicuntur. Ego, nihil in Velleio mutans, arbitrer, initio *ludos victoriæ Sullanæ*, mox, brevitatis caussa, *ludos victoriæ* dictos. Verba tamen *Sullanæ victoriæ* cum Gronovio accipiam dativo casu.

4. *Clusium*. Sic editor Basileensis rescripsit ex Livii Epit. LXXXVIII, ubi vide Drakenborchium. Editio prima: *Plusium*.

5. *Usum dictatoris*, etc. Conjicio legendum: « Haud deside metu a S. Tullio continuisse, potestatem imperio (proh res ad vindicandum maximi periculi) spoliantem; nam

quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi erant, eo in immodicam crudelitatis licen-

multi abusi erant eo. » RHENAN. Hoc loco nullus in Velleio inquinatior est, nullus a criticis sæpius vehementiusque jactatus. Quorum conjecturas si recensere instituerem, vix finem inveniret oratio. Videamus potius editionis primæ scripturam, prodigiose corruptam : « Uti adpareat populum rho. usum dictatoris aut metu desideras Tulio Co timuisse potestatem imperio, proh res ad vindicandum maximi periculi, spolia musieranteo immodicæ crudelitatis licentia usus est. » In hac scriptura tentanda tametsi nemo Rhenano infelicius versatus est, Junta tamen ejus conjecturam expressit, nisi quod *aut* pro *haud* posuit, et *spoliantem* post *erant eo*. Multo sollertior, et in nonnullis valde probanda, editoris Basileensis est ratio : « Uti adpareat, populum romanum usum dictatoris non tam desiderasse, quam timuisse potestatem imperii, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant, immodicæ crudelitatis licentia usus est. » Quæ correctio quicquid boni habet, primum Aldus nepos, mox Lipsius, paucis mutatis, suum fecerunt, non satis ingenue, unde profecissent, reticentes. Ego, veteris scripturæ vestigiis insistens, adjutusque aliquot emendationibus aliorum, liquido confirmare ausim, me suam Velleio manum restituere : « Dictator creatus (cujus honoris, etc., uti adpareat, populum romanum usum dictatoris haud ita in metu desiderasse, ut in otio timuisse potestatem) imperio, quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi erant, eo in immodicam crudelitatis licentiam usus est. » Nunc singularum mutationum ratio reddenda. Primum pro *aut metu desideras* scripsimus, *haud ita in metu desiderasse*. Ex quibus *haud ita* Vossio et Gronovio, Observ. II, 23, debetur, *in metu* Heinsio, *desiderasse* editori Basil. *In* absorptum est a prima litera vocis *metu*, ut sæpe in veteri Velleii codice. *Metus* est bellum, ut, II, 24 : *repulsoque externo metu*. Tacit. Hist. I, 86 : « Plura alia, rudibus seculis etiam in pace observata, quæ nunc tantum in metu audiuntur. » Vide Heinsium ad h. l. Tum ex monstro scripturæ, *Tulio Co*, extudimus verissimam lectionem, *ut in otio*. *Otium* est pax, et *metui* sive bello opponitur, ut, II, 23 : « Vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus ; » Justin. XI, 13 : « Quærentibus somni caussas omnibus inter pericula, cujus etiam in otio semper parcior fuerit. » Mox editor Basil. pro *proh res* optime restituit, *quo priores*, quamvis pronominis *quo* omne in veteri codice vestigium evanuerit, sicut etiam evanuit, II, 89. Nec minus feliciter, pro *vindicandum maximi periculi spolia musi*, idem rescripsit, *vindicandam maximis periculis rempublicam usi*, etsi *vindicandum* etiam servari possit. Immo servandum est, si ex *spoliam* non facias *rempublicam*, sed *populum*, ut Burm. Tum pro *usierant* rectius Gronovius l. c. *usi erant*, quam editor Basil. *usi fuerant*. Denique partim ex Davisii ad Cic. Tusc. Disp. V, 21, partim ex nostra emendatione, pro *immodicæ crudelitatis licentia usus est*, reposuimus, *in immodicam crudeli-*

3 tiam usus est. Primus ille, et utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit, ut, in qua civitate petulantis convicii judicium histrioni ex alto[1] redditur, in ea jugulati civis[2] reip. constitueretur auctoramentum; plurimum-

tatis licentiam usus est. Quod non solum melius respondet oppositis, *ad vindicandam maximis periculis rempublicam*, sed etiam confirmatur ab ipso Velleio, II, 41: « Qui somno et cibo in vitam, non in voluptatem, uteretur. » Præpositionem *in* rursus hausit consequentis verbi *immodicam* prima syllaba. *Immodicam licentiam* Velleius dixit, ut, II, 68: « Immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Cæsarem tribunos pl. » Hujus loci emendationem tam perspicuam, tamque idoneis rationibus confirmatam, temperare mihi non potui, quin in contextum, quem vocant, reciperem. Cujus rei, ut quisque artis criticæ peritissimus est, ita nobis libentissime veniam dabit.

1. *Historiarium ex alto.* Exempl. vetus habet: *historiarum ex alto.* Burer Editor Basileensis correxit, *histrioni exoleto*. Optime, *histrioni*, pessime, *exoleto*. Pro *historiarum*, Vascos. in margine habet *hostium*; quod nihili est. Quid alii deinde in loco tam depravato tentarint, nec otii nostri est, nec stomachi, commemorare. Repone: « In qua civitate petulantis convicii judicium histrioni exacto redditur. » Non agitur h. loco de histrione, qui spectatori convicium fecerit, sed, ut Gruterus bene animadvertit, de spectatore, qui histrionem per petulantiam exploserit. Cicero pro Rosc. Com. XI: « Eros comœdus posteaquam e scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur; » de Orat. I, 61: « At Æsopum, si paullum irrauserit, explodi; » Auctor ad Herenn. IV, 47: « Citharœdus derisus et contemptus ejicitur; » Sueton. Aug. 45: « Pyladem urbe atque Italia submovit, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, demonstrasset digito, conspicuumque fecisset. » In hac autem re non minus proprium est verbum *exigere*, quod restituimus, quam *explodere*, *exsibilare*, *ejicere*, quæ in exemplis allatis vidimus. Terent. Hecyr. prol. II: « In his, quas primum Cæcili didici novas, Partim sum earum exactus, partim vix steti. » Græci similiter dicunt κλώζειν, συρίττειν, ἐκβάλλειν, ἐκρίπτειν. Vide Polluc. IV, 122, et virum summum, T. Hemsterhusium ad Lucian. Nigrio. p. 48. Sensus Velleii hic est: Quæ civitas cives suos tanta cura defendere solebat, ut etiam personæ infami, histrioni, adversus eum, a quo petulanter exactus esset, agendi potestatem faceret: ea jam percussores præmiis propositis ad cives jugulandos invitabat. Formulam, *judicium reddere*, explicat Gronov. Obs. II, 23. Cæterum hic locus addendus iis, quibus Antonius Schultingius, Exercit ad Valer. M. VII, 7, p. 913, etiam probrosis et infamia notatis injuriarum actionem dari, demonstrat.

2. *Civis reip.* Sic habet editio prima. Non contemnenda Puteani conjectura: *civis romani publice*, quam ipse confirmat ex Velleio, II, 6: « Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis, non dicam Gracchi, sed civis romani pretium

que haberet, qui plurimos interemisset: neque occisi
hostis, quam civis, uberius foret præmium; fieretque
quisque [1] merces mortis suæ. Nec tamen [2] in eos, qui 4
contra arma tulerant, sed in multos insontes sævitum:
adjectum etiam, ut bona proscriptorum venirent; exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum jure prohiberentur, simulque, quod indignissimum est, senatorum filii et onera ordinis sustinerent, et jura perderent.

XXIX. Sub adventum in Italiam L. Sullæ, Cneius 1
Pompeius, ejus Cn.[3] Pompeii filius, quem magnificentissimas res in consulatu[4] gessisse bello marsico prædiximus, XXIII annos natus, abhinc annos CXIII, privatis ut opibus, ita consiliis magna ausus, magnificeque conata exsecutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro piceno, qui totus paternis
ejus clientelis refertus erat, contraxit exercitum. Cujus 2
viri magnitudo multorum voluminum instar [5] exigit: sed operis modus paucis eum narrari jubet. Fuit hic geni-

se daturum, idque auro repensurum proposuit. » Melius tamen est legere, *civis romani*, sine *publice*; quod etiam, II, 31, eodem errore in veteri codice scribitur *reip.* pro *Ro.* sive *Romani*. De voce *auctoramentum* omnia dixit Lipsius, Saturn. II, 5, ubi hunc locum ita scriptum affert: « Jugulati civis publice constitueretur auctoramentum. »

1. *Quisque merces mortis suæ.* Vide supra ad II, 22, p. 83.

2. *Nec tamen in eos.* Scribendum cum F. Ursino: *Nec tantum in eos.* *Tantum* et *tamen* centies in MSS. confundi, satis constat. Scio, aliis *tamen* pro *tantum* capiendum videri, idque *tritum et obvium* dicere Burmannum; at nego, ullum exemplum, ubi sic accipere liceat, reperiri. Nam quæ adhoc pro illa significatione allata vidi, aut aliena sunt, si excutiantur, aut vitiosa, si libri meliores inspiciantur. Sic etiam judicat latinæ proprietatis arbiter non e multis, Dukerus ad Flor. III, 5, 25.

3. *Ejus Pompeii filius.* Revocavimus ex edit. pr. *ejus Cn. Pompeii filius.* Editor Basil. nulla de caussa *Cn.* expunxerat.

4. *In senatu.* Exemplar vetus habet, *in consulatu.* BURER.

5. *Multorum voluminum instar exigit.* Vide infra, II, 46: « Quum immanes res, vix multis voluminibus explicandas, ageret. »

tus matre Lucilia, stirpis senatoriæ, forma excellens, non ea, qua flos commendatur [1] ætatis, sed ex dignitate, constantiaque in illam [2] conveniens amplitudinem fortunamque [3] ejus, ad ultimum [4] vitæ comitata est diem:
3 innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius; potentiæ, quæ honoris caussa [5] ad eum deferretur, non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello [6] peritissimus; civis in toga, nisi ubi vereretur, ne

1. *Qua flos commendatur ætatis.* Verbum *commendare* in hac re proprie et exquisite dicitur pro amabilem facere, gratum acceptumque reddere. Nepos Dion. 1: « Magnam habuit corporis dignitatem, quæ non minimum commendat. » ubi vide Lambinum. Justin. XXXVI, 8: « Quem formæ pulchritudo commendabat. » Tacit. Ann. XV, 59: « Uxorem sola corporis forma commendatam. » Firmin. Mathes. I, p. 10: « Ultra commendationem gratiæ puerilis ætatis. » Adde interpr. ad Petron. 110.

2. *Sed ex dignitate. constantiaque in illam.* Editor Basil. rescripsit: « Sed dignitate constanti, quæ in illam, etc.; » quod Casaubonus ad Sueton. Claud. 30, sequitur, *ex* tamen retinens. Malim: « Sed ea dignitate et constantia, quæ in illam, etc. » Copulam *et* elisit ultima vocis *dignitate* syllaba, ut forte, II, 20, p. 80. Et sic fere Burmannus, quem vide *formæ constantiam* bene explicantem. Velleium imitatur Sulpic. Sever. I, 33: « Saul forma excellenti erat; ut merito dignitas corporis dignitati regiæ conveniret. »

3. *Fortunamque ejus, ad ultim. v. c. e. diem.* Edit. Basil.: *Fortunam quoque ejus ad ultimum vitæ*, etc. Multo verius legit distinguitque Lipsius: « Quæ in illam conveniens amplitudinem fortunamque, eum ad ultimum vitæ comitata est diem. » Pompeii formam ita describit Plutarch. in ejus Vita, p. 619, D: Ἐν ἀκμῇ δὲ καὶ τὴν ὄψιν ἔσχεν οὐ μετρίως συνδημαγωγοῦσαν καὶ προεντυγχάνουσαν αὐτοῦ τῆς φωνῆς· τὸ γὰρ ἐράσμιον, ἀξιωματικὸν ἦν φιλανθρώπως, καὶ τῷ νεαρῷ καὶ ἀνθοῦντι διέφαινεν εὐθὺς τὸ γεραρὸν καὶ τὸ βασιλικὸν τοῦ ἤθους. Sic ille locus scribendus.

4. *Ad ultimam.* Exempl. vetus habet: *Ad ultimum.* BURER.

5. *Potentiæ, quæ honoris caussa*, etc. Totum hunc locum manifesta imitatione expressit Lucanus, IX, 195, seqq.: « Nil belli jure poposcit; Quaque dari voluit, voluit sibi posse negari..... Prætulit arma togæ; sed pacem armatus amavit. Juvit sumpta ducem, juvit dimissa potestas. Casta domus, luxuque carens, corruptaque nunquam Fortuna domini; » ubi vide H. Grotium. Huc addenda, quæ de eodem Velleius, cap. 33: « In appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos, ut libentissime iniret, ita finiret æquo animo; et, quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. » Vide infra, p. 111.

6. *Dux bello peritissimus.* Lipsius scribit *belli*; sed *peritus* aliquando cum ablativo construi, docent Gro-

quem haberet parem, modestissimus; amicitiarum te-
nax, in offensis exorabilis, in reconcilianda [1] gratia fide-
lissimus, in accipienda satisfactione [2] facillimus; poten-
tia [3] sua nunquam, aut raro, ad impotentiam usus;
pæne omnium vitiorum [4] expers, nisi numeraretur inter 4
maxima, in [5] civitate libera, dominaque gentium, in-
dignari, quum omnes cives [6] jure haberet pares, quem-
quam æqualem dignitate conspicere. Hic [7] a toga virili 5
adsuetus [8] commilitio, prudentissimi ducis parentis sui,
bonum et capax recta discendi ingenium singulari rerum
militarium prudentia excoluerat, [9] ut a Sertorio Metel-
lus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

novius ad Gell. IV, 8, et Davis. ad Hirtium de Bello Africano, 31.

1. *In reconcilianda gratia*. Rectissime Lipsius: *In reconciliata gratia*. Sæpe gerundia et participia præteriti passivi in libris antiquis permutantur, ut apud Liv. XXVIII, 17: « Et in suum decus nomenque velut consummatam ejus belli gloriam spectabat; » ubi si pro *consummatam* scripseris *consummandam*, nihil ad loci integritatem requiras.

2. *In accipienda satisfactione facillimus*. Quintilian. Decl. CCCXXIII, p. 650: « Dii immortales, ut peccantibus graves, ita satisfacientibus faciles. »

3. *Potentia sua nunquam*, etc., II, 130, de Livia: « Cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis. » *Potentiam* opponit *impotentiæ*, ut Seneca Ep. XLII: « Qui subita et magna potentia impotenter utuntur. »

4. *Pæne omnium vitiorum expers*. Ita Aldus nepos scripsit pro *votorum*, quod est in edit. pr.; II, 35: *Omnibus humanis vitiis immunis*.

5. *Civitate libera*. Exempl. vetus habet: *In civitate libera*. BURER.

6. *Quum omnes cives*, etc. Cicero Philipp. I, 14: « Illa erat vita, illa secunda fortuna, libertate esse parem cæteris, principem dignitate. »

7. *Hicce toga*. Exempl. vetus habet: *Hic a toga*, etc. Is qui Velleium e vetusto descripsit, falsus est *a* litera in ecc: uam ut in hoc, sic etiam in quibusdam aliis veterum codicibus *a* sic scribitur *cc*, quod iste pro *ce* syllaba aspexit. BURER.

8. *Adsuetus commilitio*. Lege unius literæ mutatione: *Adsumtus commilitio*. Velleius, II, c. 32: « Multis et præclaris viris in id bellum adsumptis. » Amm. Marcell. XXVII, 6: « Gratianum in Augustum sumere commilitium paro. » In eodem verbo laborat Livius, XXIV, 5: « Gelonem quemdam, æqualem Hieronymi, et jam inde a puero in omnia familiaria jura adsuetum; » ubi *adsumptum* scribendum esse, planissimum est. Si quis tamen in Velleio *adsuetus* servare malit, non valde repugnem.

9. *Prudentiæ celeriora*, et *a Ser-*

1 XXX. Tum M. [1]Perperna, prætorius, e proscriptis,
gentis clarioris[2] quam animi, Sertorium inter cœnam
Oscæ[3] interemit, Romanisque certam victoriam, par-
tibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo
2 auctoravit facinore. Metellus et Pompeius ex [4]Hispaniis
triumphaverunt : sed Pompeius hoc quoque triumpho,
adhuc eques romanus, ante diem, quam consulatum
3 iniret, curru urbem invectus est. Quem virum, quis
non miretur, per tot extraordinaria imperia in sum-
mum fastigium [5]vectum, iniquo tulisse animo, C. Cæ-
saris, in altero consulatu petendo, senatum populum-
que romanum rationem habere; adeo familiare est
hominibus, omnia sibi [6]ignoscere, nihil aliis remit-
tere; et invidiam rerum non ad [7]caussam, sed ad volun-
4 tatem personasque dirigere. Hoc consulatu Pompeius

otrio. Exemplar vetus sic habet, ut potius legendum videatur : *Singulari rerum militarium prudentia celerior, ita ut a Sertorio Metellus laudaretur magis*. Burer. Ex editionis primæ corruptissima scriptura, *prudentiæ celeriora, et a Sertorio*, editor Basileensis fecit : *Prudentia excoluit, ut a Sertorio*, etc. Nihil verius. Id igitur in textum recepimus, sed pro *excoluit* propius ad veteris scripturæ ductus *excoluerat* scribentes.

1. *Perperna*. Edit. pr. *Perpenna*, ut semper.

2. *Gentis clarioris, quam animi*. Contra, l. II, c. 112 : « Qui vir animo etiam, quam gente nobilior. »

3. *Oscæ*. Edit. pr. *Ftoscæ*; sed Puteanus, applaudentibus viris doctis, restituit verum nomen, *Oscæ*, quod dudum debuerat in contextu poni. Vide Wesselingium ad Autonin. Itiner. 391.

4. *Ex Hispanis triumpharunt*. Exempl. vetus habet : *Ex Hispaniis triumphaverunt*. Burer.

5. *Vectum*. Heinsius bene legit *evectum*. Sic semper Velleius et optimus quisque veterum in prosa oratione loquuntur.

6. *Omnia sibi ignoscere*. Sallust. Catil. 52 : « Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam, » ubi vide Cortium (et nost. cl. *Burnouf*). Ex Sallustio similem sententiam effinxit Seneca, Herc. Fur. 1267 : « Veniam dabit sibi ipse, qui nulli dedit? »

7. *Invidiam rerum non ad caussam*, etc. Hoc est, res gestas aut gerendas odisse, non quod odio dignæ sunt, sed quod geruntur a personis invisis. Acidalius commode comparavit, II, c. 31 : « Interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat ; » II, c. 8 : « Factaque ad consilium dirigebant, » ubi vide.

tribunitiam potestatem[1] restituit, cujus Sulla imaginem[2] sine re reliquerat. Dum Sertorianum bellum in 5
Hispania geritur, LXIIII[3] fugitivi e ludo gladiatorio Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primo Vesuvium montem petiere, mox, crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus adfecere[4] Italiam. Quorum numerus in tantum adule- 6
vit, ut qua ultimo dimicavere acie, XL a CCC[5] hominum se romano exercitui opposuerint. Hujus patrati gloria penes M. Crassum fuit, mox [6] reip. omnium principem.

1. *Tribunitiam potestatem*. Edit. pr. *tribunitiam P.* per usitatam librariis notam.

2. *Imaginem in jure reliquerat*. Hæc est editiunis primæ scriptura, ex qua Casaubonus ad Suetun. Cæs. 5, fecisse videtur : *Imaginem in rep. reliquerat*; sed Velleius potius suum velit, quod editur Basil. reposuit : *Imaginem sine re reliquerat*; idque sequitur Menardus ad Cicer. Verrin. I, 45. *Imago*, *species*, *umbra*, *nomen*, *appellatio*, quoties *rei* opponantur, viri docti et hic et alibi prope ad fastidium demunstrarunt.

3. LXIIII *fugitivi*. Lipsius malebat, XXXIV *fugitivi*, ut in Liv. Ep. XCV, quem sequitur Mazoch. de Campan. Amphith. p. 171.

4. *Gravibus variisque casibus adfecere Italiam*. *Adficere casu* etiam alii dixerunt. Seneca Cons. ad Marc. 2 : « Quæ pari adfecta casu, majore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium. » Solinus, cap. 11 : « Argivam classem vel Minervæ ira, vel, quod certior prodit memoria, sidus Arcturi gravibus adfecit casibus. » Sulpicius Sever. de Vita Martin. c. 21 : « Sollicitos esse præcepit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset adfectus ; » quem Wopkensius, Misc. Observ. VIII, pag. 41, Velleii imitatione sic locutum esse putat. At vero ne his quidem et aliis, quæ in promptu sunt, exemplis impedior, quominus in Velleio vere correxisse arbitrer elegantissimum Dukerum ad Flor. II, 18, 2 : « Gravibus variisque cladibus adfecere Italiam. » Aliter enim Velleii ætate loquebantur, aliter, ne de Solino et Sulpicio Severo dicam, Senecæ. Quid? si ne Seneca quidem hac loquendi forma usus est, sed cum melioris ætatis auctoribus scripsit : « Quæ pari adflicta casu, majore damno. » Cicero pro Sulla, 21 : « In hoc tamen casu, quo adflictus jacet ; » ad Divers l. IX, ep. 11 : « Eo casu, quo sum gravissime adflictus. » Hic si quis nobis ita occurrat, ut *adflicta* convenire *casu*, non *damno* dicat, ei legendam commendamus longam de hac forma digressionem Dorvillii ad Chariton. p. 395, seqq.

5. XL *a* CCC *hominum*. Sic edit. pr. ex quo edit. Basil. fecit, XL. M. *hominum*. Drakenb. ad Liv. Ep. XCVII, LX. M. *hominum*; alii aliter.

6. *Mox reip. omnium principem*. Editor Basil. scripsit : *Mox Ro. om-*

1 XXXI. Converterat Cn. Pompeii persona totum in
se terrarum orbem, et per omnia majore vi[1] habebatur;
qui quum cons. perquam laudabiliter jurasset, se in
nullam provinciam ex eo magistratu[2] iturum, idque
2 servasset, post biennium A. Gabinius tribunus legem
tulit, ut, quum belli more, non latrociniorum, orbem
classibus, jam non furtivis[3] expeditionibus, piratæ terrerent,
quasdamque etiam[4] Italiæ urbes diripuissent;
Cn. Pompeius ad eos opprimendos mitteretur; essetque
ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus,
usque ad quinquagesimum miliarium a

nium principem. Diximus ad Rutil. Lup. I, p. 53, nobis legendum videri: *Mox romani nominis principem*, ut, II, 128: « C. Marium sine dubitatione romani nominis habuere principem. » *Reip.* pro *Rom.* vetus codex etiam habet, II, 28.

1. *Et per omnia majore vi habebatur.* Hic locus quantopere interpretum ingenia torserit, ex illorum annotationibus cognoscere licet. Equidem, veteris scripturæ ductus secutus, sic legendum censeo: « Et per omnia homine major existimabatur, » a qua lectione editoris Basileensis conjectura, quam Aldus nepos pro sua venditat, non multum aberravit: « Et pæne homine major habebatur. » Sic Velleium scripsisse, aliis ejus locis planissime intelligitur, II, 40, de hoc ipso Pompeio: « Per omnia fortunam hominis egressus; » cap. 35, de Catone: « Per omnia ingenio diis, quam hominibus, propior; » cap. 130, de Livia: « Per omnia ingenio diis, quam hominibus, similior femina; » cap. 41, de Cæsare: « Animo super humanam naturam evectus. » Quibus locis Velleius expressit Sallustium, ab Aldo nepote laudatum, Jug. 92: « Numidæ Marium magis, quam mortalem, timere. » Seneca pater, Suas. IV, p. 29: « Magnus iste et supra humanæ sortis habitum: » Lucan. VII, 594: « Juris et humani culmen, quo cuncta premuntur, Egressus. » Claudian. de Laud. Stilichon. III, 40: « Solus hic invidiæ fines virtute reliquit, Humanumque modum; » sed nihil ad Velleii verba propius accedit, quam incerti poetæ locus Anthol. Lat. T. I, p. 204: « Litore diverso Libyæ clarissima longe Nomina vix ullo condita sunt tumulo. Magnus, et humano major Cato. » *Homine*, quod Velleio reddidimus, quam facile post *omnia* excidere potuerit, sciunt, qui libros veteres tractarunt.

2. *Ex eo magistratu.* Vide Gronov. Observ. IV, 20, p. 321.

3. *Latrociniorum.... furtivis expeditionibus.* Sic *furtim* et *per latrocinia* jungit Sallustius, Jugurth. 4.

4. *Quasdamque etiam.* Editor Basil. *que* tamquam supervacaneum recidit. Male — *Quasdamque* habent edd. Rhenani, Erasmi, Stephani, et aliorum.

mari; quo senatusconsulto [1] pæne totius terrarum orbis
imperium uni viro deferebatur [2]; sed tamen idem hoc
ante biennium in M. Antonii prætura [3] decretum erat.
Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam 4
auget, aut levat; [4] in Antonio homines æquo animo passi
erant: raro enim invidetur eorum honoribus, quorum
vis non timetur; contra in iis homines extraordinaria
reformidant, qui ea suo arbitrio aut depositari, aut

1. *Quo senatusconsulto*. Sic editor Basil. Editio pr.: *Quo senatus cos.* J. Cujacius, Observ. VII, 9, malebat, *quo plebiscito*, prudenter tamen addens: *nisi dixeris utrumque intervenisse*. Scilicet quum senatusconsultum plerumque legem præcederet, scriptores in eadem re modo senatusconsultum, modo legem, modo utrumque ponunt. Exemplum aliud, ne longe abeam, ipse Velleius præbet, II, 38: « Cyprus senatusconsulto facta provincia est. » Atqui alii scriptores *plebiscito*, quod ibi etiam Cujacius reponi volebat, provinciam factam dicunt. Recte atque ordine omnes; sed ipse vir summus, Observ. XV, 13, plura exempla senatusconsultorum, quibus idem quod legibus constitutum sit, collegit, ut, priores conjecturas ab eo repudiatas esse, facile appareat. Vide Vinc. Contarenum, Var. Lect. I, 1, et J. A. Ernestum ad Tacit. Annal. l. XI, c. 25, pag. 60, tom. II nostræ editionis.

2. *Deferebatur*. Editio prima, *deferabatur*.

3. *In M. Antonii prætura decretum erat*. Davisius ad Cicer. Tuscul. Disp. V, 21, conjicit: *M. Antonio prætori decretum erat*. At Jo. Boherius ad eumdem Cic. locum, ut minore mutatione, ita multo verius, scribit: *In M. Antonio prætore decretum erat*. Livius, XXVI, 2: « Hoc idem in Cn. Fulvii legionibus nuper decretum. » Cujus constructionis plura exempla dabimus ad l. II, c. 43. De hoc Antonio vide P. Manut. ad Cic. Divin. in Cæcil. 17. Idem, aut C. Antonius, intelligendus in Juvenale, Sat. VIII, 105: « Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde Sacrilegus Verres; » ubi sic scholiastes: « Antonius trium Antoniorum corruptor, ille Sallustius, qui oræ maritimæ, qua romanum esset imperium, contrarius piratis. Hi omnes socios, et maxime Græcos, Asiaticos, ac Siculos, fortunis omnibus spoliaverunt. C. Antonius a Cæsare accusatus. » Quod scholion, minus bene tentatum a J. Rutgersio, Var. Lect. III, 17, sic corrigendum videtur: « Antonius, triumviri Antonii pater, curator, ut ait Sallustius, oræ maritimæ, qua romanum esset imperium, contra piratas. » De M. Antonio Sallustium in Historia egisse, clarum est ex fragmentis apud Ascon. ad Cic. Verr. I, 23, et Non. Marcell. p. 366. De C. Antonio, a Cæsare accusato, quem scholiastes cum M. Antonio confundit, vide quos laudat Wesselingius in Observation II, 18.

4. *In Antonio*. Scribendum: *Id in Antonio*; quod Heins. quoque vidit.

retenturi videntur, et modum[1] in voluntate habent; dissuadebant optimates: sed consilia impetu victa sunt.

1 XXXII. Digna est memoria Q. Catuli cum auctoritas, tum verecundia: qui quum dissuadens legem, in concione dixisset, esse quidem præclarum virum Cn. Pompeium, sed nimium jam liberæ[2] reipublicæ, neque

1. *Modum in voluntate habent.* II, 45: « Qui neque dicendi, neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum. »

2. *Nimium jam liber ære reipublicæ.* Alias, *nimium jam liberæ reipublicæ.* RHENAN. Exempl. vetus sic habet: *Nimium jam liber æret.* Mirum est, si me literarum conjectura hoc loco fallit; nam ex *æret* sic conjicio legi debere: *Nimium jam libere imperaret reipublicæ*, etc. Quod si cui hæc nostra conjectatio non placuerit, habeat is occasionem quærendæ melioris. BURER. Burerium secutus Vascosanus edidit: *Sed nimium jam libere imperare reipublicæ.* Nihil certius Rhenani emendatione. Livius, exemplo simillimo, III, 9: « Maxime in consulare imperium, tamquam nimium, nec tolerabile liberæ civitati, invehebatur. » Tacit. Hist. III, 52: *Quippe nimius jam Antonius.* Quam elegantissimam loquendi rationem copiose illustrarunt interpretes ad Liv. VI, 11, et quos laudat Burm. ad h. l. *Nimius* cum dativo etiam jungit Silius, XV, 708: *gelido nunc flumine soles Frangebat nimios pecori.* Cæterum Velleius totum hunc locum duxit e Cicerone pro Lege Manil. 20: « Quum Catulus ex vobis quæreret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri, cepit magnum suæ virtutis fructum, ac dignitatis, quum omnes prope una voce, in ipso vos spem habituros esse, dixistis. » Quamquam etiam sumere potuit a Sallustio suo, quem eamdem rem Historiarum quinto narrasse, J. Dousa sollerter conjecit ex his ejus verbis Fragm. p. 419: « Nam si Pompeio quid humani evenisset. » Non injucundum fuerit, aliorum etiam narrationes comparasse. Valerius Max. VIII, 15, 9: « Quum populus rom. a Catulo pro rostris interrogaretur, si in uno Pompeio Magno omnia reponere perseverasset, absumpto illo subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus, summo consensu acclamavit: In te; » ubi ista, « absumpto illo subiti casus incursu, » quam putida sunt præ venusta aliorum, quos modo laudavimus, simplicitate! Plutarch. Pompei. p. 632, B: Κάτλου δὲ κατὰ τοῦ νόμου προελθόντος, πολλὴν μὲν αἰδούμενος ὁ δῆμος ἡσυχίαν παρεῖχεν· ἐπεὶ δὲ πολλὰ μετὰ τιμῆς ἀνεπιφθόνως ὑπὲρ τοῦ Πομπηίου διελθὼν, συνεβούλευε φείδεσθαι, καὶ μὴ προβάλλειν τὸν τοιοῦτον ἄνδρα κινδύνοις ἐπαλλήλοις καὶ πολέμοις· Ἢ τίνα, εἶπεν, ἕξετε ἄλλον, ἂν ἀπολέσητε τοῦτον; ἐκ μιᾶς γνώμης ὑπεφώνησαν ἅπαντες, Σεαυτόν. Dio Cass. XXXVI, p. 98: Κάτλου δὲ εἰρηκότος πρὸς τὸν δῆμον, ἐὰν ἐπὶ ταῦτα ἐκπεμφθεὶς σφαλῇ, τίνα ἄλλον ἀντ' αὐτοῦ πρὸς τὰ ἀναγκαιότερα εὑρήσετε; ὁ ὅμιλος σύμπας, ὥσπερ ἀπὸ συγκειμένου τινὸς, ἀνεβόησεν εἰπὼν, Σέ. Comparandus alter locus nostri

omnia in uno reponenda; adjecissetque, si quid huic
acciderit, quem in ejus locum [1] substituitis? subclama-
vit universa concio: Te, Q. Catule. Tum ille victus con-
sensu omnium, et tam honorifico civitatis testimonio,
e concione discessit. Hic hominis verecundiam, populi 2
justitiam mirari libet: hujus, quod non ultra contendit;
plebis, quod dissuadentem, et adversarium [2] voluntatis
suæ, vero testimonio fraudare noluit. Per idem [3] tempus 3
Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum se-
natui, ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtule-
rant, æqualiter inter utrumque ordinem [4] partitus est.
Otho Roscius [5] lege sua equitibus in theatro loca resti-

Sallustii Fragm. p. 400: « Verum, Quirites, antea singuli cives in pluribus, non in uno cuncti præsidia habebatis: neque mortalium quisquam dare, aut eripere talia unus poterat. »

1. *Substituitis*. Pro *substituetis*, præsens pro futuro, ut sæpe. Vide Drakenb. ad Liv. III, 56. Quod non animadvertentes Vascosanus et alii, *substituetis* ediderunt.

2. *Voluntatis*. An non rectius *voluntati?* ut *s* repetita sit ex sequenti *suæ?* BURMANNUS.

3. *Per idem tempus*. Tales formulæ in historicis pinguius, sive populari quadam ratione capiendæ sunt. Neque enim Velleius nescire potuit, legem Aureliam biennio ante, Pompeio et Crasso coss., latam esse. Id annotare visum est propter P. Manutium, qui de Legib. cap. 15, minus considerate scribit: « Videtur Paterculus, nisi mendosi libri sunt, neque tempus, neque sententiam hujus legis perfecte novisse. » De sententia tamen, mox se revocat ipse Manutius.

4. *Inter utrumque ordinem*. Cotta quidem lege sua judicia inter tres ordines, senatum, equites, et tribunos ærarios, communicarat; sed scriptores sæpe tribunorum ærariorum mentionem omittunt, ut Velleius h. loco, Cicer. pro Cluent. 43, 47, et scholiastes ad Cicer. Act. I in Verr. 1; non quod tribuni ærarii equitum nomine comprehendantur, ut perperam scribit Ant. Augustinus de Legib. v. *Aurelia;* aut quod tribunorum ordo non numeratur, ut sexta classis census Tulliani, quæ cl. Ernesti est opinio Ind. Legum v. *Aurelia;* sed quod ex re, quæ potiores partes continet, tota res appellatur. Vide de hac judiciorum translatione præclare disputantem Dukerum ad Livii Epit. XCVII.

5. *Ut Horoscius*. Alias, *et Horoscius*. BURER. Turpi vitio prima editio: *ut Horoscius*. Non longe a vero abfuit editor Basil. legens: *ut Roscius;* sed Claud. Puteanus, una tantum litera mutata, verissime scripsit: *Otho Roscius*. Verbo *restituit*, quo Velleius usus est, etiam in hac lege commemoranda bis utitur Cicero

4 tuit. At Cn. Pompeius, multis et præclaris viris [1] in id bellum adsumptis, descriptoque in omnes recessus [2] maris præsidio navium, brevi inexsuperabili manu terrarum orbem liberavit, prædonesque per multa, a [3] multis locis victos, circa Ciliciam classe adgressus fudit ac fugavit.
5 Et, quo maturius bellum tam late diffusum conficeret, reliquias eorum [4] contractas, in [5] urbibus, remotoque
6 mari [6] loco, in certa sede constituit. Sunt qui hoc carpant; sed quamquam in auctore satis rationis [7] est, tamen

pro Mur. 19, ut credibile sit, quod Puteanus suspicatur, equites aliquando ante hanc legem separatis a plebe locis sedisse. A qua ratione se non alienum profitetur doctissimus Ernestus, Ind. Legg. v. *Roscia*; sed quod idem addit, forte *restituit* intelligi posse *præstitit*, exemplis ostendendum erat, Ciceronem et æquales sic locutos esse. — Vide Spalding. ad Quintil. l. III, c. 8, §. 7, t. 1, p. 457 nostræ editionis.

1. *Multis et præclaris viris.* De legatis capiendum; nam lege Gabinia continebatur etiam ut multis legatis uteretur Pompeius. Appianus numerat XXV. Boecler.

2. *In omnes recessus maris.* Vide Flor. III, 6, 11, et ibi Duker.

3. *Per multa, a multis locis victos.* Alias, *ac multis locis victos.* Burer. Editor Basil. fidenter, ut solet, vocem *prælia* inculcavit: *Per multa prælia multis locis victos.* Quem omnes editores imitati sunt inde ab Aldo nepote usque ad Burmannum. Mihi satius visum est, corruptam lectionem in textu relinquere, quam vanas eruditorum hominum conjecturas dare.

4. *Reliquias eorum contractas.* Lipsius hunc locum minus bene comparavit cum Seneca Ep. XCIV, p. 453: « Ne Cn. quidem Pompeio externa bella aut domestica, virtus aut ratio suadebat; sed insanus amor magnitudinis falsæ, modo in Hispaniam et Sertoriana arma, modo ad colligendos piratas, ac maria pacanda rapiebat. » Aliud est *colligere piratas*, sive in unum locum cogere, ut omnes simul capias; aliud *contrahere piratarum reliquias*, ut in certa sede, procul a mari, constituas. Recte ius Lipsius verbum *colligendos* vindicasset ex Plutarcho in Pompei. p. 632, E. et Floro, III, 6, 11.

5. *In urbibus.* Aut illud, *in urbibus*, supervacuum est, aut sequens, *in certa sede.* Gruter.

6. *Remotoque mari loco.* Editor Basil. intrusit præpositionem: *Remotoque a mari loco*; quam sæpe omitti, notissimum est. Cicero Orat. 2: « Ne opifices quidem se artibus suis removerunt. » Sueton. Tib. 42: « Quasi civitatis oculis remotus, » ubi plura interpretes.

7. *Quamquam in auctore satis rationis est.* Cicero, Tusc. Disp. 1, 21: « Ut enim rationem Plato nullam adferret (vide quid homini tribuam), ipsa auctoritate me frangeret. » Plin. l. 1 Epistol. 8: « Obsequar consilio

ratio quemlibet[1] magnum auctorem faceret; data enim facultate sine rapto vivendi, rapinis[2] arcuit.

XXXIII. Quum esset in fine bellum[3] piraticum, 1
quum et L. Lucullus (qui ante septem annos ex[4] cons.
sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque
ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridaten sæpe
multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria,
Tigranem regum maximum in Armenia vicerat, ultimamque bello manum pæne magis noluerat imponere,
quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis, et
bello pæne invictus, pecuniæ expellebatur[5] cupidine)
idem bellum adhuc administraret, Manilius, tribunus
plebis semper venalis, et alienæ minister potentiæ, legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium administraretur. Accepta ea, magnisque certa- 2
tum inter imperatores jurgiis; quum Pompeius Lucullo

tuo, cujus mihi auctoritas pro ratione sufficit. »

1. *Tum ratio quemlibet*. Sic Edit. pr.; sed sequimur editorem Basil. pro *tum* scribentem *tamen*. Quæ particulæ quoties in compendiaria scribendi ratione permutentur, nemo nescit. Loci sensus, ni fallor, hic est: Etsi nulla facti ratio appareret, Pompeius tamen, qui id fecit, existimandus est idoneas rationes, quare sic faceret, habuisse. Atqui ratio tam bona est, ut, quicumque idem fecisset, magnus pulcherrimæ rei auctor futurus esset.

2. *Rapinis arcuit*. Omisit prooomeo *eos*, exemplo optimorum scriptorum. Vide interpretes ad Livium, l. xxiii, c. 15.

3. *Quum esset in fine bellum piraticum*. Laurentius Santenius, vir ingenio et eruditione præstanti, emendabat: *quum esset in fine bellum Mithridaticum*. Recte et historiæ congruenter: nam piraticum bellum jam finitum erat, quum Manilius legem suam ferebat; in fine erat Mithridaticum.

4. *Ex cos*. Pessime Vascosanus: *Ex Sc*.

5. *Pecuniæ expellebatur cupidine*. In verbo *expellebatur* corrigendo omnes interpretes, alius alio infelicius, ingenium sunt experti. Repone: *Pecuniæ exercebatur cupidine*. Exquisita loquendi forma est, *exerceri cupidine*, pro vexari, agitari, quam Velleius, ut alias multas, duxit e Sallustio Catil. 11: « Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat; » quod Ausonius, Grat. act. p. 705, imitator: *Sunt quos exercet ambitus*. Pseudo-Sallust. de Rep. ord. 11, 12: *Sed me*

infamiam[1] pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem objiceret imperii, neuterque[2] ab eo quod
3 arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompeius, ut primum ad rempublicam[3] adgressus est, quemquam animo parem[4] tulit: et in quibus rebus pri-

illa magis cupido exercet. Possem hanc conjecturam pluribus exemplis confirmare, si, quæ Jerem. Marklandus, Epist. Crit. p. 115, plena manu dedit, repetenda putarem.

1. *Infamiam pecuniæ.* Nihil sollicitandum. *Infamia pecuniæ* est infamia collecta ex pecuniæ cupidine, ut *infamia II legionum* apud Cæsar. de B. C. I, 4, infamia, quam Pompeius sibi contraxerat ob duas legiones interceptas. Avaritiam in Lucullo etiam notant Seneca pater, Contr. IV, 25, p. 308, et Plutarch. in Vita, p. 514, E.

2. *Ne uterque ab eo quod arguebatur.* Melius, si leg. *nec uterque.* RHEN. Exemplar vetus habet: *Neuterque ab eo quod arguebatur, etc.* Ut autem facile ex *neuterque*, *ne uterque* fit, si diviseris, sic rursum ex *ne uterque* diviso facile *neuterque* fit, si commiseris. BURER. Editor Basil. scripsit: *Neuterque ab eo quo arguebatur.* Clarius erit, si legeris: *Neuterque ab eo, quem arguebat*, etc.; sed accesserim Grutero, verba, *ab eo quod arguebatur*, tamquam glossema, delenti.

3. *Ut primum rempublicam adgressus est.* Exemplar vetus habet: *Ut primum ad rem P. adgressus est.* BURER. Ut hic Rhenanus, sic alibi librarii præpositionem *ad* in verbi *adgredi* constructione omiserunt. Vide interpretes ad Liv. I, 42.

4. *Quemquam animo parem tulit.* Diximus ad II, 27, legendum videri: *Quemquam magnitudine parem tulit.* Hanc Pompeii ambitionem Velleius alio atque alio modo expressit, l. II, c. 29: « Nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem; » ibid. « indignari, quemquam æqualem dignitate conspicere, » quod simillimum est verbis Cæsaris de eodem Pompeio, de B. C. I, 4: « Neminem secum dignitate exæquari volebat. » Seneca, Cons. ad Marc. 14: « In oculis erat jam Cn. Pompeius, non æquo laturus animo quemquam alium esse in rep. magnum. » Qui Senecæ locus similitudine sua facit, ut nunc pronior sim in sententiam Lipsii, elapsam vocem revocantis: « Neque Pompeius.... quemquam æquo animo parem tulit. » Velleium, ut sæpe, ob oculos habuit Lucan. l. I, v. 125: « Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem, Pompeiusve parem. » Quod bene observatum comperio a J. Nic. Loensi Epiphyll. IX, 20. Lucanum imitatus est Florus, IV, 2, 14: « Nec Cæsar ferebat parem, nec Pompeius superiorem; » item Dio Cass. XLI, p. 296: Πομπήιος μὲν, οὐδενὸς ἀνθρώπων δεύτερος, Καῖσαρ δὲ, καὶ πρῶτος πάντων εἶναι ἐπεθύμει. Quæ loca tametsi magnam partem ab Acidalio ad h. l., H. Grotio ad Lucan. l. c., et Cortio ad Sallust. de Rep. ord. I, 2, laudata scio, tamen quod et Velleium illustrant, et, quot modis una eademque res expressa sit, ostendunt, iterum apponenda existimavi.

mus esse [1] debebat, solus esse cupiebat; neque eo viro quisquam aut alia omnia [2] minus, aut gloriam magis concupiit? in adpetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundissimus: ut qui eos, ut libentissime [3] iniret, ita finiret æquo animo; et, quod cupisset, [4] arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. Et [5] Lucullus, summus 4
alioqui vir, profusæ hujus in ædificiis, convictibusque et apparatibus luxuriæ [6] primus auctor fuit; quem ob injectas moles [7] mari, et receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacete [8] Magnus Pompeius Xerxen togatum [9] vocare assueverat.

1. *Primus esse debebat.* Forte: *Primum esse decebat.*

2. *Aut alia omnia minus*, etc. Colorem duxit e Sallustio apud Donatum ad Terent. Phorm. I, 3, 18: « Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem. »

3. *Ut libentissime iniret*, etc. Hinc sumpsit Lucanus, IX, 200: « Juvit sumpta ducem, juvit dimissa potestas. » Vide quæ annotavimus ad l. II, c. 29, §. 3, p. 100.

4. *Quod cupisset, arbitrio suo sumeret.* In textum admisimus elegantem Acidalii correctionem, distinctionemque: *quod cupisset, arbitrio suo sumeret.* Edit. pr.: *quod cupisset arbitrio suo sumere.*

5. *Et Lucullus.* Editor Basileensis *et* abjecit, Acidalius in *at* mutavit. Vide ad II, 4, p. 84.

6. *Hujus.... luxuriæ.* Pro *luxuriæ*, quæ nunc est, ut explicuimus ad I, II, p. 44, Athenæus; VI, p. 274, F: Τῆς δὲ πολυτελείας τῆς νῦν ἀκμαζούσης πρῶτος ἡγεμὼν ἐγένετο Λεύκολλος.

7. *Injectas moles mari.* Veterum loca, quibus hæc Luculli et aliorum luxuria notatur, dedit Gronovius Diatr. Stat. cap. 39, pag. 252. Corruptus est in hujus rei narratione Plinius H. N. II, 63: « In maria jacitur (*terra*) aut, ut freta admittamus, eroditur aquis. Ferro, ligno, igne, lapide, fruge, omnibus cruciatur horis. » Lege et interpunge: « ... aut, ut freta admittamus, effoditur. Aquis, ferro, ligno, igne, etc.; » XVII, 8: « Quacumque terra infra tres pedes effossa. » Eodem modo interpungebat, *eruitur* scribens, J. Boherius ad Petron. Carm. de Bello Civili, p. 122.

8. *Haud infectæ.* Puto leg. *infacete*, vel *infestive*. Rhenan. Optime Rhenan. *infacete* facit ex *infectæ*, transpositis tantum literis, nulla mutata; idque editor Basil. recepit. II, 83: *Haud absurde.*

9. *Xerxen togatum.* Editio prima, *Xersen*, frequenti errore literæ *s* pro *x* positæ. Pompeium quoque hujus dicti auctorem edit Plinius H. N. IX, 54: « Lucullus exciso etiam monte juxta Neapolim majore impendio, quam villam exædificaverat, euripum et maria admisit: qua de caussa Magnus Pompeius Xerxen togatum eum appellabat. » At Plutarchus in

1 XXXIV. Per id tempus a Q. Metello Creta insula in populi rom. potestatem redacta est; quæ, ducibus Panare et Lasthene, XXIIII millibus juvenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque [1] patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium
2 romanos exercitus fatigaverat. Ne ab hujus quidem usura [2] gloriæ temperavit animum Cn. Pompeius, quin victoriæ [3] partem conaretur vindicare; sed et Luculli et Metelli triumphum, cum ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii, apud optimum quemque
3 fecit [4] favorabilem. Per hæc tempora M. Cicero, qui omnia incrementa [5] sua sibi debuit, vir novitatis nobi-

Lucullo, pag. 518, D.. idem dictum Tuberoni stoico, qui per ætatem ne videre quidem potuit Lucullum, tribuit: Τὰ δ' ἐν τοῖς παραλίοις καὶ περὶ Νίαν πόλιν ἔργα.... ὁ στοϊκὸς Τουβέρων θεασάμενος, Ξέρξην αὐτὸν ἐν τηβέννῳ προσηγόρευσεν. Sic ille locus castigandus. Vulgo, ἐκ τηβέννου. Ἐν τηβέννῳ, sicut *in toga* apud Latinos, est *togatus*. De qua vi præpositionis ἐν videndus T. Hemsterhusius ad Aristophanis Schol. in Plutum, p. 479. Sed nullus Plutarchi, accuratissimi scriptoris, in tempore error est. Quippe pro ὁ Στοϊκὸς Τουβέρων, nulla fere literarum mutatione scribendum ὁ ἱστορικὸς Τουβέρων. Intelligitur L. Ælius Tubero, historiæ scriptor, Luculli æqualis, de quo vide Vossium, de Histor. Lat. I, 12.

1. *Armorum laborumque patientissimis.* II, 105: *Militarium officiorum patientem.* Sallustiana formula. Catil 7, nost. ed. p. 18: « Juventus simul laboris ac belli patiens erat. » Jug. 44, p. 220: « Exercitus neque periculi, neque laboris patiens.

2. *Ab hujus quidem usuræ gloria temperav.* Forte: « Ab hujus quidem usura gloriæ vix temperavit. » RHENAN. Edit. pr.: « Ab hujus quidem usuræ gloria temperavit. » Bene Rhenan. legit: *Usura gloriæ.* Cætera editor Basileens. melius sic: « Ne ab hujus quidem usura gloriæ temperavit, etc.; » nam particula *quidem* manifesto indicio est, *ne* intercidisse.

3 *Quin victoriæ.* Est e correctione editoris Basileensis. Edit. prima: *Qui victoriæ.*

4. *Fecit favorabilem.* II, 40: « Cujus reditum favorabilem opinio fecerat. »

5. *Qui omnia incrementa sua sibi debuit.* Sive *ex se ortus*, ut eleganter Cicero se ipsum et similes non uno loco vocat, pro Planc. 27: « Ego huc a me ortus et per me nixus adscendi; » Phil. VI, 6: Quem vos a se ortum, hominibus nobilissimis, omnibus honoribus, prætulistis. » Tacit. Ann. l. XI, c. 21: « Curtius Rufus videtur mihi ex se natus. » Quintilian. Decl. III, 19: « Apud quem maximum est, ex se cœpisse. » Eumen. Paneg.

lissimæ, et, ut vita clarus, ita ingenio maximus, qui
effecit [1], ne quorum arma [2] viceramus, eorum ingenio
vinceremur, cons. Sergii Catilinæ, Lentulique, et Ce-
thegi, et aliorum utriusque [3] ordinis virorum conjura-
tionem singulari virtute, constantia, vigilia, curaque
aperuit [4]. Catilina metu consularis imperii [5] urbe pulsus 4
est; Lentulus consularis et prætor iterum, Cethegus-
que, et alii clari nominis viri, auctore senatu, jussu
consulis in carcere necati sunt.

XXXV. Ille senatus dies, quo hæc acta [6] sunt, virtu- 1
tem M. Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque
prænitentem, in altissimo [7] luminavit. Hic genitus 2

Constant. 3: « Magnum est, ab se profectum ad maxima pervenire. » Similiter a Cicerone dicitur *homo per se cognitus*. Catil. I, 11: « Qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione majorum, etc. » Brut. c. 25: « Qui summos honores, homo per se cognitus, sine ulla commendatione majorum est adeptus. »

1. *Qui effecit*. Oudendorpius in marg. libri sui scribebat, *quique*. Ita cap. seq. et II, 117.

2. *Ne quorum arma viceramus*, etc. Hoc elegantissimum dictum effinxit ex illo ipso, quem laudat, Cicerone Brut. 73: « Magnifice te a Cæsare laudatum puto, quem non solum principem atque inventorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, sed etiam bene meritum de populi romani nomine et dignitate. Quo enim uno vincebamur a victa Græcia, id aut ereptum illis est, aut certe nobis cum illis communicatum. »

3. *Utriusque ordinis*. Exempl. vet. habet: *Utrius ordinis*. BURER. Viri docti vitiosæ scripturæ *utrius* pro *utriusque* præsidium quærunt ex Quadrigario apud Gell. IX, 13, et Livio, XXVI, 39. Frustra: nam meliores libri utroque loco habent *uterque*, probantibus Gronovio et Drakenborchio.

4. *Conjurationem..... eripuit*. Sic edit. pr. At verissime editor Basil. *conjurationem.... aperuit*. Sallust. Catil. 40: « Eo præsente conjurationem aperit. » Cicero pro Sull. 2: « Tu enim investigasti, tu patefecisti conjurationem. »

5. *Metu imperi*. Exemplar vetus hab. *Metu consularis imperi*. BURER.

6. *Ille senatus dies, quo hæc acta sunt*. Non dubito, quin verba, *quo hæc acta sunt*, ex grammatici alicujus interpretatione in textum irrepserint: nam *dies* nude et simpliciter dicitur pro actis alicujus diei. II, 86, de pugna actiaca: « Quid ille dies terrarum orbi præstiterit. » Vim exemplorum congesserunt Grævius ad Cicer. pro Sext. 36, et Drakenb. ad Liv. XLII, 67, in quorum nullo tale additamentum reperias.

7. *In altissimo luminavit*. Alias, *altissime illuminavit*. RHENAN. Pla-

proavo M. Catone, principe illo familiæ Portiæ, homo Virtuti [1] simillimus, et per omnia ingenio diis, quam hominibus [2] propior, qui nunquam [3] recte fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non potuerat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet [4] justitiam : omnibus humanis vitiis [5] immunis; semper for-
3 tunam in sua potestate [6] habuit. Hic tribunus plebis

cet mihi conjectura Rhenani *In* natum est ex *m* vocis præcedentis, ut multis locis apud Velleium. *Altissime illuminavit* dicitur, ut *excelsissime floruit*, 1, 6, quod bene comparavit Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 44. Eodem modo cepit Oudendorp. ad Appulei. Met. VI, p. 411. *Illuminare*, non *luminare*, semper dicit Velleius, e. g. II, 18 : « Horum fidem Mytilenæorum perfidia illuminavit. » Quæ verba sæpe a librariis permutari, docet Juretus ad Symmach. IV, 71.

1. *Homo virtuti simillimus.* Ex. vet. habet : *Non virtuti simillimus;* sed, ut sunt varia chirographorum genera, suspicor librarium *homo* sic *h̄o* scriptum pro *non* aspexisse : nam si aspirationis caudam quam sursum erectam habet, non longule in altum protraxeris, *n* esse cuivis non penitus introspicienti videtur. BURER. *Virtuti* litera majuscula edi jussimus, ut dea Virtus, cujus etiam templum Romæ erat, intelligatur. Vide Burm. Misc. Obs. VIII, p. 377.

2. *Diis, quam hominibus propior.* Sæpe veteres hac formula utuntur in eximia quadam ingenii aut virtutis præstantis declaranda, II, 130, loco simillimo : « Per omnia deis, quam hominibus similior femina. » Plautus Pseud. V, 1, 13 : « In hoc omnes venustates sunt : Deis proximum esse arbitror. » Cicero pro Marcell. 3 : « Hæc qui faciat, non ego cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico. » Sil. Ital. XI, 170 : « Novi dis animas similes et pectora magnis Nunquam angusta malis. » Præter Heinsium ad h. l. videndi Juretus ad Symmach. X, 27, et Markl. ad Stat. Silv. V, 2, 170.

3. *Nunquam recte fecit, ut facere videretur.* Habet a Sallustio, Catil. 54, ubi de hoc ipso Catone dicitur : *Esse, quam videri, bonus malebat*, unde etiam sumpsit Sulpic. Sev. Ep. II, 30 : « Sancta magis esse, quam videri, stude. » Nisi forte Velleius hausit ex communi fonte, Æschylo S. c. Theb. 598 : Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Vide cl. Ernestum ad Xenophont. Memorab. 1, 7, 1. Mox pro *potuerat* edit. Bas. bene scripsit *poterat*.

4. *Quod haberet justitiam.* Sic ed. Basil. correxit. Editio prima : *Quod haberet justitiæ.*

5. *Omnibus humanis vitiis immunis.* Lucanus, II, 257, de hoc ipso Catone : « Quid tot durasse per annos Profuit immunem corrupti moribus ævi ? »

6. *Semper fortunam in sua potestate habuit.* Hujus dicti explicationem pete a Platone Menex. p. 408, E, vel e Cicerone, qui Platonica vertit, Tusc. Disp. V, 12.

designatus [1], et adhuc admodum adulescens, quum alii
suaderent, ut per municipia Lentulus conjuratique cus-
todirentur, pæne inter ultimos interrogatus sententiam,
tanta vi animi atque ingenii invectus est in conjuratio-
nem, ut ardore oris orationem omnium lenitatem sua-
dentium, societate consilii suspectam [2] fecerit: sic im- 4
pendentia ex ruinis incendiisque urbis, et commutatione
status publici pericula exposuit, ita consulis [3] virtutem
amplificavit, ut universus senatus in ejus sententiam
transiret, animadvertendumque in [4] eos, quos prædixi-
mus, censeret; majorque pars ordinis ejus Catonem pro-
sequerentur domum. At Catilina non segnius [5] conata 5
obiit, quam sceleris conandi consilia inierat: quippe
fortissime dimicans, quem spiritum supplicio debuerat,
prælio [6] reddidit.

1. *Hic trib. pleb. designatus.* Ex. vet. habet: *Hic TR. PL. designatus est.* Burer. Vossius ex *est*, quod Rhenan. omiserat, bene *et* fecit; *et adhuc adm. adul.*

2. *Ut ardore oris..... suspectam fecerit.* Est e correctione certa edit. Basil. Edit. prima: *Et ardore oris... suspectam fecit.*

3. *Ita consilii virtutem amplificavit.* Exempl. vet. habet: *Ita consilis virtutem amplificavit.* Burer. Edit. Basil. pro *consilii* vel *consilis* scripsit *consulis.* Nihil verius. Errantes in hoc loco tractando interpretes in viam reducere potuisset Cicero, cujus de hac ipsa re memorabilis est locus ad Atticum, xii, 21: « Cur ergo in sententiam Catonis? quia verbis luculentioribus, et pluribus rem eamdem comprehenderat. Me autem Brutus laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique, ante quam consulerem, ipse judicaverim. Quæ omnia, quia Cato laudibus extulerat in cælum, perscribendaque censuerat; idcirco in ejus sententiam est facta discessio. » Quem locum Grævius etiam Heinsio suggessit, Syll. Epist. iv, p. 378.

4. *In eos. In reos* præstiterit omnino: sollennis ac frequens hic error. Heinsius.

5. *Vota obiit.* Exempl. vetus hab. *Nota obiit.* Burer. Nihili est, quod Rhenanus de conjectura dedit, *vota obiit.* Pulchre Acidalius ex *nota* fecit *conata.* Quod ipse Velleius confirmat, ii, 29: *Magna ausus, magnificeque conata executus.* Accius apud Non. Marcell. p. 202: *Ego incipio, conata exsequar.* Nepos, Dione, 8: « Ne prius consilium aperiretur suum, quam conata perfecisset. » Vide Drakenb. ad Liv. xlii, 11.

6. *Quem spiritum supplicio debuerat, prælio reddidit.* Ita ex ingenio

1 XXXVI. Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit
decus natus eo anno divus Augustus, abhinc annos LXXXII,
omnibus omnium gentium viris magnitudine sua in-
2 ducturus [1] caliginem. Jam pæne supervacaneum videri
potest, eminentium ingeniorum notare tempora : quis
enim ignorat, diremptos [2] gradibus ætatis floruisse hoc
tempore Ciceronem, Hortensium, saneque [3] Crassum,
Catonem [4], Sulpitium; moxque Brutum, Calidium,
Cœlium [5], Calvum, et proximum Ciceroni Cæsarem;
eorumque velut alumnos, Corvinum ac Pollionem Asi-
nium; æmulumque Thucydidis, Sallustium, auctores-
que carminum, Varronem [6] ac Lucretium, neque ullo

edit. Basil. restituit. Edit. pr. mendose : « Quem spiritum supplicio debuerat, supplicio reddidit. » Vere sic emendatum esse, clarum est ex simili loco, II, 119 : « Auctor deditionis supplicio, quam prælio, mori voluit. » Calpurn. Flacc. Decl. 19 : « Quominus spiritum, quem fortunæ meæ debeo, patriæ profundam ; » quod Burmann. ex hoc Velleii loco expressum putat; sed et Velleius et Calpurnius imitati sunt Ciceronem Phil. X. c. 10 : « Non est viri, minimeque Romani, dubitare, eum spiritum, quem naturæ debeat, patriæ reddere; » XIV, 12 : « O fortunata mors, quæ naturæ debita, pro patria est potissimum reddita! » Cæterum Burmannus, locutionem, *spiritum prælio reddere*, damnans, incidit in plagas adversarii, Wopkensii Misc. Obs. VIII, p. 46; IX, p. 258, et ad Justinum, l. XXXIX, c. 4; unde ne per argutias quidem, quas protulit Miscell. Observ. VIII, pag. 378, se explicare potuit.

1. *Magnitudine sua inducturus caliginem.* Simillimus locus Quintiliani, l. X, c. 1, p. 500 : « Menander omnibus ejusdem operis auctoribus abstulit nomen, et fulgore quodam suæ claritatis tenebras obduxit. »

2. *Diremptos.* Exemplar vetus habet, *direptos*. BURER.

3. *Saneque Crassum.* Editor Basileensis ineptissime : *Senemque Crassum.* Recte Aldus nepos, sive Puteanus vidit, in depravata scriptura *saneque* latere *Antonium*, cujus mentio nullo modo prætermitti a Velleio poterat.

4. *Catonem.* Idem Aldus præclare emendat, *Cottam.* Cicero Brut. 97 : « Antonius, Crassus, post Cotta, Sulpitius, Hortensius, nihil dico amplius. » Orat. 30 : « Atqui, si Antonio Crassus eloquens visus non est, aut sibi ipse : nunquam Cotta visus esset, nunquam Sulpitius, nunquam Hortensius. »

5. *Cœlium.* Edit. pr. *Cælium*, ut semper in hoc nomine variatur. Diversas gentes esse *Cœliam* et *Cæliam*, putat Jac. Perizonius Diss. de Num. Consular. p. 593.

6. *Varronem.* Intellige *Atacinum*,

in suspecti operis sui carmine [1] minorem [2] Catullum? Pæne stulta est inhærentium oculis ingeniorum enume- 3
ratio : inter quæ maxime nostri ævi eminent princeps carminum [3], Virgilius, Rabiriusque [4], et consecutus Sallustium [5] Livius, Tibullusque, et Naso, [6] perfectissimi

interpretem Apollonii Rhodii, de quo Vossius de Histor. Lat. I, 16.

1. *In suspecti operis sui carmine.* Pro *suspecti* Lipsius rectissime legit *suscepti*. Columella, l. IX, c. 2 : *Consummatio susceptæ professionis.* Lactantius, VI, 1 : « Quod erat officium suscepti muneris, » ubi codex Duisburg. cujus variantes penes me sunt : « Quod erat officium suscepti operis et muneris. » Hoc ut clarum est, ita explicari mihi velim, quid sit *suscepti operis carmen?* Equidem nihil melius invenio sagacissimi Marklandi conjectura, Epist. Crit. p. 12 : *In suscepti operis sui forma.* Ita mox : *Perfectissimi in forma operis sui.* Malim tamen, abjecto *sui*, quod ex altero loco inculcatum videtur, et jure displicebat Heinsio : *In suscepti operis forma.* Frequens apud Velleium *operis forma*, ut II, 49, 66, 96, *operis modus*, II, 29. Cujus imitatione Sulpic. Sev. I, 20, a Burm. laudatus : « Nos enim suscepti operis modum custodientes, solam historiam persequimur. » *Carmine* pro *forma* librarius scripsit, oculis ad vicinum *carminum* aberrantibus, ut capite præcedenti per eumdem errorem *supplicio* pro *prœlio*.

2. *Catullum.* Editio pr. *Catulum.*

3. *Principes carminum.* Exempl. vet. habet : *Princeps carminum Vergilius.* Burer.

4. *Rabiriusque.* Puteanus legebat, *Variusque*, quod placet Marklando Epist. Crit. p. 14; Perizonius, *Horatiusque.* Sane Horatium, et perfectissimum in forma operis sui, et vero tam in domo Augusta gratiosum, ab ejusdem domus adulatore prætermissum esse, vix credibile videatur. Dicerem, ejus nomen excidisse, nisi Propertium quoque præteritum viderem. Rabirius autem locum suum facile tuetur testimonio Ovidii, IV, ex P. 16, 5 : *Magnique Rabirius oris*, ubi jocularis error est Burmanni, titulum orationis Ciceronis, « Rabirius, qui perduellionem fecisse dicebatur, » apud Charisium, l. II, p. 188, pro Rabirii poetæ fragmento accipientis.

5. *Et consecutus Sallustium Livius.* Non possum probare rationes, quibus adductus Burmannus, hunc locum ita tentavit : « Et consecutus Gallum Tibullus, Propertiusque et Naso. » Nam primum, quod miratur, Livium inter poetas recenseri, non poetas Velleius, sed eminentia ætatis suæ ingenia, in quibus Livius omitti non poterat, recenset. Deinde, quod credit, Livium facile omissum esse, ne Tiberius laude hominis, antiquæ reipublicæ nimis studiosi, offenderetur, non meminerat, Livium a Velleio, l. I, c. 17, cum laude commemorari. Denique, si Velleius Livii mentionem eo refugisset, stulte Gallum, cui ingratus adversus Augustum animus exitii causa fuit, in poetis laudasset.

6. *Perfectissimi.* Sic edit. Basil. Male edit. prima *perfectissime.*

in forma operis sui; nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

1 XXXVII. Dum hæc in urbe, Italiaque geruntur, Cn. Pompeius memorabile adversus Mithridaten, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitus vires
2 reparaverat[1], bellum gessit. At rex[2] fusus fugatusque, et omnibus exutus copiis, Armeniam, Tigranemque socerum[3] petit, regem ejus temporis, nisi qua[4] Luculli
3 armis erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius, intravit Armeniam: prior filius Tigranis, sed discors patri, pervenit ad Pompeium; mox ipse supplex et præsens se regnumque ditioni ejus
4 permisit, præfatus, neminem alium, neque Romanum, neque ullius gentis virum futurum fuisse, cujus se potestati[5] commissurus foret, quam Cn. Pompeium:

1. *Magnas novi exercitus vires reparaverat.* Legendum suspicabar: *Magnas novi exercitus vires paraverat*, ut *re* ortum sit ex ultima syllaba vocis *vires*; sed *reparare* pro simplici *parare* positum videtur. Lucanus, l. I, vers. 134: *Nec reparare novas vires.*

2. *Ac rex.* Exempl. vet. habet: *At rex.* BURER.

3. *Socerum.* Immo *generum*, ut Aldus nepos scribit, historia postulante. Neque enim crediderim, Velleium *socer* et *gener* inter se permutasse, ut Euripidem et Sophoclem in πενθερὸς et γαμβρὸς fecisse, auctor est Suidas v. Πενθερά. Vide præstantissimum Valckenarium ad Euripid. Phœniss. 431.

4. *Nisi qua.* Est e correctione Gruteri. Edit. pr. *nisi quia*, II, 17: « Nisi qua nolani belli reliquiæ manerent. » Vide interpretes ad h. l. et Oudendorp. ad Lucan. X, 84.

5. *Cujus se potestati commissurus foret.* Edit. prima: *Cujus se societati commissurus foret.* At editor Basil. audacter dedit: *Cujus se fidei commissurus foret.* Verissime Aldus nepos correxit: *Cujus se potestati commissurus foret.* Quod confirmatur verbis Velleii: *Se regnumque ditioni ejus permisit.* Superest, ut hanc lectionem, quæ nobis tam perspicua et certa visa est, ut eam in contextum admitteremus, Burmanni dubitatione liberemus. Is cum aliis credit, veteres dixisse, *permittere potestati*, *committere fidei.* Frequentius sic dici, fateor: perpetuum discrimen esse, nego. Cic. Verr. IV, 7: « Quem non solum potestati tuæ, sed etiam fidei pop. rom. commiserat; » pro Milon. 23: « Commisit se ejus potestati, cui senatus totam rempublicam commiserat. » Sulpic. Sever. Ep. III, p. 369: « Totum se domini arbitrio potestatique committens. »

proinde omnem sibi, vel adversam, vel secundam, cujus auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram, non esse turpe ab eo [1] vinci, quem vincere esset nefas; neque 5
ei [2] inhoneste aliquem summitti, quem fortuna super omnes extulisset. Servatus regi honos imperii, sed multato ingenti pecunia: quæ omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quæstoris [3] potestatem, ac publicis descripta literis. Syria, aliæque, quas [4] occupaverat, provinciæ ereptæ; et [5] aliæ restitutæ pop. romano, aliæ tum primum in ejus potestatem redactæ, ut Syria, quæ tum primum facta est stipendiaria: finis imperii [6] regii terminatus Armenia.

XXXVIII. Haud absurdum videtur propositi operis 1
regulæ, paucis percurrere, quæ cujusque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciæ, stipendia pacta

Similiter *committere* et *permittere fidei* promiscue dicitur, ut apud Cæsarem, de B. G. v, 3, et Livium, VIII, 31, ubi vide Drakenb.

1. *Non esse turpe ab eo vinci*, etc. Accius *Armorum Judicio* apud Macrob. Sat. VI, 1, p. 534: « Nam tropæum ferre me a forti viro pulchrum est. Si autem vincar, vinci a tali nullum est probrum. »

2. *Neque inhoneste*. Alias, *neque ei inhoneste*. RHENAN. Hanc correctionem bene recepit editor Basil.

3. *Redacta in quæstoris potestatem*. Insolens loquendi forma, et a Romanorum consuetudine abhorrens. Talis enim pecunia a bonis scriptoribus dicitur *redigi ad quæstorem*, *quæstori annumerari*, *appendi*, *redigi a quæstore in publicum*, *in ærarium*, non, *redigi in quæstoris potestatem*. Nec quæstori, cui ne nummum quidem sine proconsulis jussu erogare liceret, tribui potestas in pecuniam publicam potest. Huc adde, vix a tam elegante scriptore ingratissimam repetitionem verborum, *in potestatem redacta*, proficisci potuisse. Lege: « Redacta ad quæstorem, ac publicis descripta literis. » Livius, IV, 53: « Venditum sub hasta consul redigere ad quæstores jussit, » ubi plura Gronovius. Mendum frequentissimum in libris veteribus, etiam apud Velleium, II, 15, p. 117, ortum est a festinantis librarii aberratione a verbis, *redacta ad quæstorem*, ad sequentia, *in ejus potestatem redactæ*.

4. *Occupaverat*. Sic editor Basil. Editio prima, *occupaverant*.

5. *Provinciæ ereptæ; et aliæ*. Lege et distingue: *Provinciæ ereptæ ei; aliæ*, etc. Etiam, l. II, c. 45, ei et et confunduntur.

6. *Imperii regii*. Edit. pr. *regi* pro *regii*, ut singulis fere paginis. Male editor Basil. *regis*.

sit[1], notabimus, facilius ut, quam [2] partibus, simul uni-
2 versa conspici possint. Primus in Siciliam trajecit exercitum cons. Claudius, et provinciam eam, post annos ferme LII, captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius. Primus Africam[3] Regulus, nono ferme anno primi punici belli; sed post CCIII annos P. Scipio Æmilianus, eruta Carthagine, abhinc annos CLXXXII, Africam in formulam redegit provinciæ. Sardinia inter primum et secundum bellum punicum, ductu T. Manlii cons. cer-
3 tum recepit imperii jugum. Immane[4] bellicæ civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio cons., III Augusto principe, certæ pacis argu-
4 mentum Janus Geminus[5] clausus dedit. In Hispanias primi omnium duxere exercitus Cn. et P. Scipiones, initio secundi belli punici, abhinc annos CCL. Inde varie possessa, et sæpe amissa partibus, universa ductu

1. *Stipendia pacta sit*. Etsi J. Perizonius Syll. Epistol. t. IV, p. 770, exemplis ostendit, eum quoque, cui gravis et molesta conditio imponatur, aliquando dici *pacisci*, malim tamen cum Lipsio legitimam formulam revocare: *Stipendiaria facta sit*.

2. *Notavimus facilius, ut quæ partibus*. Alias, *notabimus, ut facilius e partibus*. RHENANUS Editor Basil. dedit: *Notavimus, ut quæ facilius, quam partibus*. Omnino scribendum: « Id notabimus, facilius ut, quam partibus, simul universa conspici possint. » *Id* a præcedenti *sit* extritum esse, Popma vidit, *quam* pro *quæ* scribendum, Lipsius. Atque huic lectioni interpunctionem accommodavimus. Interpretes commode compararunt Vellei. I, 14, p. 32: « Quum facilius cujusque rei in unum contracta species, quam divisa temporibus, oculis animisque inhæreat. » Contraria sententia Seneca, Ep. XCIV, p. 442: « Quæ in universo confusius videbantur, in partes divisa diligentius considerantur. »

3. *Pr. Afr.* Ed. Bas. recte scripsit: *Pr. in Afr. sc. trajecit exercitum.*

4. *Immane bellicæ civitatis argumentum*, etc. Etsi Heinsius, qua erat sagacitate, facile sensit, manum interpolatricem in hoc loco grassatam esse, non tamen, quid Velleii, quid glossatoris sit, ausus est decernere. Mihi nullum dubium est, quin hic locus ita de Velleii manu exierit: « Immane bellicæ civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc T. Manlio cos., tertio Augusto principe, Janus Geminus clausus dedit. » Vell. ob oculos habuit Liv. I, 19.

5. *Janus Geminus*. Exempl. vetus habet: *Janius Geminius*. BURER.

Augusti[1] facta stipendiaria est. Macedoniam Paulus,
Mummius Achaiam, Fulvius Nobilior subegit Æto- 5
liam: Asiam L. Scipio, Africani frater, eripuit Antio-
cho: sed beneficio senatus populique rom. mox ab Attalis
possessam[2] regibus, M. Perperna[3], capto Aristonico,
fecit tributariam. Cypri devictæ nulli adsignanda glo-
ria[4] est; quippe[5] senatusconsulto, ministerio Catonis, 6
regis morte, quam ille conscientia[6] acciverat, facta pro-
vincia est. Creta Metelli ductu longissimæ[7] libertatis
fine multata; et Syria Pontusque Cn. Pompeii virtutis
monumenta sunt.

XXXIX. Gallias primum Domitio, [8] Fabio, nepote 1
Pauli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exer-

1. *Universa ductu Augusti*, etc. Velleio præivit Livius, XXVIII, 12: « Hispania prima Romanis inita provinciarum, quæ quidem continentis sint, postrema omnium, nostra demum ætate, ductu auspicioque Augusti Cæsaris, perdomita est. »

2. *Mox ab Attalis possessam regibus*. Nihil inquinatius scriptura edit. primæ: *Mox habita lis. Possessam regibus*, ex qua editoris Basileensis ingenium sollertissime fecit id, quod in textu exhibuimus.

3. *Perperna*. Editio prima: *Perpenna*, ut alibi.

4. *Cypri devictæ nulli adsignanda gloria est*. Sic edimus de editoris Basileensis judicio. Edit. pr. *Cypro devicta, nullis assignanda gloria est*, l. II, c. 30: *Hujus belli patrati gloria penes M. Crassum fuit*. Nec tamen ignoro, ablativum absolutum interdum præcedere, non respondentibus quæ sequuntur: de quo vide Duker. ad Flor. IV, 12, 28, et interpretes ad Sueton. Tiber. XXXI.

5. *Senatusconsulto*. Vide quæ diximus ad II, 31.

6. *Quam ille conscientia acciverat*. Pro *arcessiverat*, quod multo frequentius est. Flor. IV, 2, 70: *Mortem etiam lætus accivit*. Bis hæc locutio restituenda est Hegesippo, I, 29: « Phaselus ascitæ sibi mortis celeritate contumeliam prævertit; » III, 17: « Naturæ lex valida est, velle vivere, nec sibi mortem asciscere; » ubi *accitæ* et *accire* scribendum, nisi forte illa ætas *asciscere mortem* pro *consciscere* dixit. Cæterum de Ptolemæo rege, ejusque morte, vide quos laudat H. Valesius ad Ammian. Marcell. XIV, 8.

7. *Longiss. libert. fine multata*. Id est, servitute multata est, quia pœna finem libertati imponebat. Florus, II, 14, 5: *Nam et Macedoniam servitute multavit*; ubi vide Dukerum.

8. *Domitio, Fabio*. Editor Basil. *Domitio et Fabio*. Velleio asyndeta placere, supra vidimus. Scribendum autem cum Aldo nepote: *A Domi-*

citu, magna mox clade nostra, sæpe et [1] adfectavimus, et amisimus; sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in iis conspicitur: quippe ejus ductu auspiciisque infractæ, pæne idem quod totus terrarum orbis ignavum conferunt [2] stipendium. Ab eodem facta [3] Numidia; Ciliciam
2 perdomuit Isauricus, et post bellum [4] Antiochinum Vulso Manlius Gallogræciam; Bithynia, ut prædiximus, testamento Nicomedis relicta hereditaria; divus Augustus præter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum ejus [5] prænitet, pæne [6] idem, facta Ægypto

tio, etc.; vel, si malis, cum Lipsio: *Domitio*, *Fabio*, *nepoti Pauli*.

1. *Gallias*... *adfectavimus*. Sall. Jug. 66: « Civitates, quæ ab se defecerant, formidine, aut ostentando præmia adfectare; » ubi vide Cort.

2. *Pæne idem, quod t. t. o. ignavum conferunt stipendium*. Pro *pæne idem*, quod stare non posse, Lipsius demonstravit, forte scribendum: *Bona fide Ignavum stipendium* Gronovio ad Tacit. de M. G. 29, significare videtur, Gallos in bello segnes minusque fortes constautesque fuisse atque esse; sed, ne dicam, historiam alia omnia de Gallis tradere, nimis dura ad sensum meum et contorta est hæc interpretatio. Sequar igitur Aldum nepotem, ex loco proximo simplicissime corrigentem: *In ærarium conferunt stipendium*.

3. *Ab eodem facta*, etc. Mutili mendosique loci scriptura hæc est in edit. pr.: « Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit, uisa vicisset post bellum Antiochinum. Vulso Manlius Gallogræciam. » Quod vulnus editor Basil. non sanavit, sed gravius fecit audacissima conjectura: « Ab eodem Pompeio fractam Numidicus Ciliciam perdomuit, nisi vicisset post bellum Antiochicum Vulso Manlius Gallogræciam. » At loci feliciter instaurati gloria est penes Carol. Sigonium Fast. ad a. 707, qui acute videns, in corruptis literis, *uisa viciss.*, latere nomen *Isauricus*, omnia historiæ convenienter sic correxit: « Ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus: et post bellum Antiochinum Cn. Manlius Vulso Gallogræciam. » In verbo *facta* Sigonius intelligit *provincia*; sed cum Boxbornio malim: *Ab eodem fracta Numidia*. Formam *Antiochinum*, ab editore Basil. sollicitatam, facile tuetur Gellius, VII, 19; ubi vide interpretes.

4. *Post bellum*. Alias, *et post bellum*. RHENAN.

5. *Quarum titulis forum ejus prænitet*. Præter Lipsium, Isid. Casaubonus hunc locum comparavit cum Sueton. Aug. 31: « Itaque et opera cujusque, manentibus titulis, restituit: et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit. » Locutioni Velleianæ non dissimilis est in Monum. Ancyr. p. 174: « Theatrum, quod sub nomine M. Marcelli generi nitescit. »

6. *Pæne idem*. Suspicio nobis

stipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit. At [1] T. Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem [2] extorserat [3] parens, Illyriis Del- 3
matisque[4] extorsit; Rhetiam autem et Vindelicos ac Noricos, Pannoniamque et [5] Scordiscos, novas imperio nostro subjunxit provincias; ut has armis, ita auctoritate Cappadociam populo rom. fecit stipendiariam; sed revertamur ad ordinem.

XL. Secuta deinde Cn. Pompeii militia, gloriæ, laborisne majoris, incertum est. Penetratæ cum victoria Media, [6] Albani, Hiberi; ac deinde flexum agmen ad

oborta est, hæc verba temere repetita esse e præcedentibus jam corruptis. Neque enim latinum videtur *idem*, *quantum*, pro, *idem*, *quod*. Vulgatum explicare conatur Lipsius de Magn. Rom. II, 3.

1. *Quantum pater ejus Galli in ærarium reditus contulit. At T.* Ex. vetus habet: « Galli in ærarium redditus contulit. Ad T. Cæsar, etc. » Burer. Editor Basil. bene rescripsit *Gallia* pro *Galli*, quod est in edit. pr.

2. *Certam Hispanis parendi confessionem extorserat.* II, 90: « Dalmatia xx et cc annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii. » Sæpe veteres scriptores hac formula utuntur in magna et justa victoria significanda; quoniam, ut Ennius ait apud Serv. ad Æn. XI, 306: « Qui vincit, non est victor, nisi victus fatetur. » Liv. III, 28: « Ut exprimatur tandem confessio, subactam domitamque esse gentem, sub jugum abituros. » Hegesipp. I, 32: « Quum tot secundis nostrorum præliis fractæ res hostium usque ad ipsorum fuerint confessionem. » Vide Swarzium ad Plin. Paneg. 16.

3. *Extorserat parens, Illyriis Delmatisque.* Ita edimus de F. Ursini emendatione. Editio pr. prava lectione et distinctione: « Extorserat? parem Illyriis Delmatisque. » Pejus ed. Bas. legebat: « Extorserat, tam parem Illyriis Delmatisque. »

4. *Parem Illyriis Delmatisque.* Exempl. vetus habet: *Parem Illyriis Delmatisque extorsit.* Burer. *Extorsit*, quod eleganter repetitur, non Rhenani, sed operarum culpa, ex editione pr. excidisse videtur.

5. *Scordiscos*. Edit. pr. *Cordiscos*, quod editor Basil. emendavit. Vide interpretes ad Flor. III, 4, 2.

6. *Penetratæ cum victoria Media, Albani*, etc. Editor Basil. rescripsit: « Penetratæ cum victoria Media, Albania, Hiberia. » Gentium nomina pro regione, et contra poni, notissimum est. Binis exemplis ex hac ipsa historia sumptis defungamur. Plin. H. N. VII, 26: « Pompeius ex Syria, Scythis, Judæis, Albanis, Iberia, triumphavit. » Florus, III, 5, 28: « Colchos cecidit: ignovit Iberiæ: pepercit Albanis. » Adde Burmann. ad h. l. et ad Claudianum in

eas nationes, quæ dextra atque intima Ponti incolunt,
Colchos, Heniochosque, et Achæos; et oppressus aus-
piciis Pompeii, insidiis filii [1] Pharnacis, Mithridates,
ultimus omnium juris sui [2] regum, præter Parthicos.
Tum victor [3] omnium, quas adierat, gentium Pompeius,
2 suoque et civium voto major, et per omnia fortunam
hominis [4] egressus, revertit in Italiam; cujus reditum
favorabilem opinio fecerat: quippe plerique non sine
exercitu venturum in urbem adfirmabant, et libertati
3 publicæ statuturum arbitrio suo modum. Quo magis hoc
homines timuerant, eo gratior civilis tanti imperatoris
reditus fuit: omni quippe Brundusii dimisso exercitu,
nihil præter nomen imperatoris retinens, cum privato
comitatu, quem semper illi vacare [5] moris fuit, in ur-

Eutrop. l. II, c. 247; sed quoniam *ac* ante *deinde* e temere distracto *a* ab *Hiberi* ortum videtur, præferam editoris Basil. correctionem, a Burmanno leviter sic immutatam: « Penetratæ cum victoria Media, Albania, Hiberia: deinde flexum, etc. »

1. *Pharnacis*. Sic editor Basil. pro *Pharnaces*, quod est in edit. pr.

2. *Ult.... juris sui regum*. Nam Pharnaces postea quidem ponticum regnum administravit, sed non nisi jure stipendiario. Emendandus obiter hac occasione Plin. H. N. XXXIII, 12, ubi Pharnacem hunc primum Ponti regem nominat: « Jam... Pharnacis, qui *primus* regnavit in Ponto; » legendum « qui *postremus* regnavit in Ponto, etc. » VOSSIUS.

3. *Vict. omn. quas adier.* Æmulatum hunc locum esse Sulp. Sever. l. II, c. 26, recte notavit Richter. Spec. Obs. Crit. p. 28. BURM.

4. *Per omnia fortunam hominis egressus*. Pro eo dixit, l. II, c. 31, de conjectura nostra: « Per omnia homine major existimabatur. » Verbum *egredi*, quod hic pro *superare* ponitur, diligentius, quam Burm. ad h. l. illustravit Marklandus ad Stat. Silv. v, 3, 154. Non minus frequens est hac significatione *supergredi*. Lapis apud Gruter. p. 260, 4: « Omnes omnium ante se maximor. impp. glorias supergressus. » Nazarius Paneg. Constantin. 16: « Quum gloria tua humanum modum supergressa sit. » Sulpicius Severus Dialog. II, pag. 452: « Qui humanam substantiam supergressus. »

5. *Illi vacare*. Ed. pr. *illa fatare*; ad quod Rhenanus: alias, *illi vacare*. Hoc etsi a latinæ linguæ ratione abhorret, tamen, quum semel a Junta et edit. Basil. receptum esset, omnes editiones occupavit. Venit nobis in mentem legere: « Quem semper illi trahere moris fuit. » *Trahere* proprium hac in re verbum est. II, 66: « Comitem ævi sui laudem Cicero-

bem rediit; magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum; longeque majorem omni ante se illata pecunia in ærarium, præterquam a [1] Paulo, ex manubiis intulit. Absente Cn. Pompeio, T. Ampius[2] et 4
T. [3] Labienus, tribuni plebis, legem tulerunt[4], ut is ludis[5] circensibus corona [6] laurea et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem prætexta, coronaque laurea; id ille non plus quam semel, et hoc sane nimium fuit, usurpare sustinuit. Hujus viri fastigium tantis auctibus[7] fortuna extulit, ut primum ex [8] Africa, iterum

nis trahet »; 80: « Quum inermis et lacernatus esset, præter nomen nihil trahens. » Curtius, VIII, 3: « Uxorem in omne discrimen comitem trahebat. » Eamdem rem ita expressit Plutarchus in Pompeio. p. 642, B: Ὁρῶσαι γὰρ αἱ πόλεις Πομπήϊον Μάγνον ἄνοπλον, καὶ μετ' ὀλίγων τῶν συνήθων, ὥσπερ ἐξ ἄλλης ἀποδημίας διαπορευόμενον. — Burmannus, cujus lectionem recepimus, hunc locum corruptum putat: mallet *illi adesse*, aut forte potius, *illum sectari*, vel, *assectari*. Ed.

1. *Præterquam a Paulo*. Editor Basil. audacius, incertum, an ineptius scripsit, *præterquam Capitolio* in eumdem errorem, quod miror, trahens doctissimos viros, Lipsium ad h. l. et de Magnit. Rom. II, 8, 9, et Freinshemium Supplem. Liv. CIII, p. 468. Pulchre vidit Vossius, hæc verba a sciolo, qui, quæ Velleius, I, 9, de Paulo tradiderat, meminisset, adscripta esse margini, et mox in textum traducta.

2. *T. Ampius*. De eo vide P. Manutium ad Cic. ad Div. I, 3.

3. *T. Labienus*. Hoc nomen editor Basil. reposuit pro vitioso edit. pr. *T. Labenius*.

4. *Tulerunt*. Considera orationis et historiæ ordinem, et rectius *tulerant* videbitur. ACIDALIUS.

5. *Ut si ludis*. Alias, *ut scilicet ludis*. RHENAN. Editor Bas. *si* abjecit; ex quo F. Ursinus recte *is* fecit.

6. *Corona laurea*. Ita Lipsius ad h. l. et de Milit. Ro. V, 17, scripturam editionis pr. et hic, et paulo post, *corona aurea*, correxit ex Dio. Cass. XXXVII, p. 126; ubi idem tribunorum pleb. decretum reperitur. Freinshemius Suppl. Liv. CII, p. 443, priore loco servat *aurea*, posteriore scribit *laurea*. Contra facit Fabric. ad Dion. l. c.; sed bis *laurea* scribendum esse, ex Dione clarum est.

7. *Hujus viri fastigium tantis auctibus*, etc. Hunc locum usque ad verba *victoriæ suæ* affert scholiastes Lucani ad IX, 178, ubi pro *auctibus* male *actibus* legitur. Tacit. Hist. IV, 28: « At Civilem immensis auctibus universa Germania extollebat; » ubi vide interpretes, t. III, p. 415 nost. edit. Spart. Hadrian. 8: « Senatus fastigium in tantum extulit. »

8. *Primum ex Africa*. Edit. pr. *primus ex Africa*, pro quo editor Basil. scripsit, *primum ex Africa*. Et sic legit scholiast. Lucani, l. c

ex Europa, tertio ex Asia[1] triumpharet; et, quot partes
5 terrarum orbis[2] sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. Nunquam eminentia invidia carent; itaque et Lucullus, memor tamen acceptæ injuriæ, et Metellus Creticus, non injuste querens (quippe ornamentum triumphi ejus captivos duces[3] Pompeius subduxerat), et cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus a Pompeio, aut bene meritis præmia,
1 ad arbitrium ejus, persolverentur.

XLI. Secutus deinde est consulatus C. Cæsaris, qui scribenti manum[4] injicit, et quamlibet[5] festinantem in se morari cogit. Hic, nobilissima Juliorum genitus familia, et, quod inter omnes antiquissimos[6] constabat, ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium civium excellentissimus, vigore animi[7] acerrimus, mu-

1. *Ex Asia.* Scholiast. Lucan. l. c. male, *ex Hispania.*

2. *Et, quot partes terrarum orbis sunt*, etc. Scholiast. Lucan. l. c. minus bene: « Ut quot partes terræ sunt, totidem facerent monumenta, etc. » Velleius imitatur Ciceronem pro Balb. 4: « Qui (Pompeius) tot habet triumphos, quot oræ sunt, partesque terrarum »

3. *Ducus.* Alias, *duces.* RHENAN. Duces illi sunt Panares et Lasthenes, de quibus Velleius, II, 34; Dio Cass. XXXVI, p. 88: Τὸν δὲ δὴ Πανάρη, τόν τε Λασθένη (καὶ γὰρ ἐκείνους εἶλεν) οὐκ ἠδυνήθη πέμψαι ἐν τοῖς ἐπινικίοις· ὁ γὰρ Πομπήιος, ἀναπείσας τῶν δημάρχων τινὰ, προαφείλατο αὐτούς· ubi scribendum: καὶ γὰρ κἀκείνους εἶλεν. Florus, III, 7, 6: « Victisque Lasthene et Panare, Cydoneæ ducibus, victor rediit. » Lasthenis, præter cæteros, meminit Sulpicius Severus l. II, c. 24.

4. *Qui scribenti manum injicit.* Ex Cic. pro Rosc. Com. 16: « Ipsa mihi veritas manum injecit, et paulisper consistere, et commorari cogit. » Vid. Lambin. ad Horat. I, Od. 17, 26.

5. *Quemlibet.* Alias et, *quamlibet.*

6. *Et, quod inter omnes antiquissimos constabat.* Velleii manum assecutus videtur Acidalius, locum ita refingens: « Et, quod inter omnes constat, antiquissima. » Quod inventum ita placuit Lipsio, ut non dubitaret illud sibi, sicut alia Acidaliana aliis locis, assumere.

7. *Vigore animi acerrimus.* Plin. H. N. VII, 25: « Animi vigore præstantissimum arbitror genitum Cæsarem dictatorem. Nec virtutem constantiamque nunc commemoro, etc., sed proprium vigorem celeritatemque quodam igne volucrem. » Mallem, Velleius scripsisset: *Vigore ingenii acerrimus*; ut II, 18: *Vigore ingenii atque animi celeberrimus.* Sic

nificentiæ [1] effusissimus, animo super humanam et naturam et fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus;
qui denique semper et somno et cibo in vitam, non in 2
voluptatem [2] uteretur; quum fuisset C. Mario [3] sanguine conjunctissimus, atque idem Cinnæ gener; cujus filiam ut repudiaret, nullo metu [4] compelli potuit (quum M. Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ uxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam); habuissetque fere XVIII annos eo tempore, quo Sulla rerum potitus est; magis ministris Sullæ, adjutoribusque [5] partium, quam ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste, dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum, nocte urbe elapsus est.
Idem postea admodum juvenis, quum a piratis captus 3
esset, ita se per [6] omne spatium, quo ab his retentus est,

odiosam, quæ Lipsium offendit, vocis *animo* repetitionem vitasset.

1. *Munificentiæ effusissimus*. Vascosanus et editor Basileensis dederunt, *munificentia*: quod reliquæ hujus loci structuræ melius respondere, non male judicat Acidalius.

2. *Et somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur*. Ob oculos habuit Sallustium Jug. 89: « Cibus illis adversum famem atque sitim, non lubidini, neque luxuriæ erat. » Eamdem rem ita expressit Livius, Hannibalem describens, XXI, 4: « Cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate, modus finitus; » unde Dio Cass. XXXIV, p. 21, hausisse videtur. Lucan. II, 384, de Catone: *Huic epulæ, vicisse famem*. Sed propior ad Velleium accedit dictum Musonii in Stobæo S. XVII, p. 167: Προσήκει ἐσθίειν ἡμῖν ἵνα ζῶμεν, οὐχ ἵνα ἡδώμεθα.

3. *C. Mario sanguine conjunctissimus*. Vide scriptores, quos laudant Casaubon. ad Suetonium Cæsar. 2; Perizonium Animadvers. Histor. 3, pag. 103, et Fabric. ad Dion. Cassium, XLIII, p. 343.

4. *Nullo metu compelli potuit*. Sic ed. pr., quam qui *motu* habere dicunt, non inspexerunt. Nec ullam caussam video, quare ab hac lect. recedatur.

5. *Ministris Sullæ, adjutoribusque partium*. Eosdem *Sullæ satellites* non semel vocat Sallust. Fragm. p. 350. Vide Duker. ad Liv. XXXIV, 41. Ceterum Is. Casaubon. ad Suet. Cæs. 2, non dubitat, quin Velleius verba, quibus Sulla purgatur, alicujus de familia Sullana gratiæ dederit.

6. *Ita semper omne spatium*. Ex. vetus habet: *Ita se per omne spatium*, etc. Nec miror, cur hic *semper* pro *se per* inoleverit, quum facile se

apud eos gessit, ut pariter his terrori venerationique esset [1]; neque unquam, aut nocte, aut die (cur enim, quod vel maximum est, si [2] narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur aut discingeretur, in hoc [3] scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his, qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret.

XLII. Longum est [4] narrare, quid [5] et quoties ausus sit, quanto opere conata ejus, qui obtinebat Asiam,

per vel sola *m* literæ interpositione depravari poterat in *semper*. BURM.

1. *Ut pariter iis terrori venerationique esset.* Convenit Sueton. Cæs. 4: « Mansitque apud eos (prædones) non sine summa dignatione, » ut egregie legendum docuit Casaubon. Quo magis miror, nuper viros doctos et bene de Suetonio meritos, in prava lectione *indignatione* argutari, quam rectam *dignatione* agnoscere, maluisse.

2. *Quod vel maximum est, si narrari*, etc. Burmannus minus bene tentat: *Quod vel maximum, etsi narrari*, etc. *Si* pro *etsi* ponitur. Sallust. Jug. 85: « Quæ si dubia aut procul essent, tamen omnes bonos reipublicæ subvenire decebat, » ubi vide Cort. Sed hoc notius est, quam ut exemplis demonstrare attineat.

3. *In hoc scilicet.* II, 27: « A dispositis in id ipsum interemptus est; 114: In hoc solum importatum instrumentum balinei. » *In hoc*, pro, ejus rei caussa, primi, ni fallor, dixerunt poetæ græcissantes, ut Horat. Epod. XVII, 63, et Ovid. Met. VIII, 77; ubi vim præpositionis rectius cepit Burmannus, quam in ejusdem Epist. XV, 197: « Non mihi respondent veteres in carmina vires. » Quod confirmat ipse Ovid. Amor. I, 13, 46: « Commisit noctes in sua vota duas » Vide Dukerum ad Florum, l. IV, c. 7, §. 13.

4. *Longum est.* Observavimus, bonos scriptores fere semper hanc formulam per indicativum efferre, *longum est*, *infinitum est*, vel *longum erat*, ut Petron. 28, non per subjunctivum, ut hominibus nostris familiare est, *longum esset*, *infinitum foret*. Quo minus imiter virum eruditissimum in Cicerone de Orat. I, 46, pro, *quod et infinitum est*, *et non necessarium*, scribentem, *quod et infinitum esset*.

5. *Quid et quoties ausus sit*, etc. Hac tam abrupta et obscura oratione injecta mihi est suspicio, aliquot verba, quibus, quid Cæsar ausus esset, exprimeretur, per librarii negligentiam intercidisse. Videtur autem Velleius in transitu significasse, quod clarius narrat Sueton. Cæs. 4: « Vastante regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transiit in Asiam: auxiliisque contractis, et præfecto regis provincia expulso, nutantes ac dubias civitates retinuit in fide. » Talem ac tantam rem quum Cæsar, juvenili ambitione ductus, suscepisse videretur, Junius, qui tum Asiam obtine-

magistratus pop. rom. metu [1] suo destituere [2]; illud refe-
ratur, documentum tanti mox evasuri viri. Quæ nox 2
eam diem secuta est, qua publica civitatium pecunia
redemptus [3] est (ita tamen ut cogeret ante obsides a pi-
ratis civitatibus dari) contracta classe et privatus [4] et tu-
multuaria, invectus in eum locum, in quo ipsi præ-
dones erant, partem classis fugavit, partem mersit,
aliquot naves, multosque [5] mortales cepit [6]; lætusque 3
nocturnæ expeditionis [7] triumpho ad suos reversus est:
mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniam per-
rexit ad proconsulem Junium, (quum idem enim Asiam
eam quam obtinebat [8]) petens, ut auctor fieret sumendi
de captivis supplicii. Quod quum ille se facturum ne- 4

bat, ejus conata destituit. Atque ita hunc locum cepit Is. Casaubonus ad Suetun. l. c. quem si alii deinceps, nova interpretatione missa, sequendum putassent, haud paulo elegantius fecissent. Junium Freinshem. Supplem. Liv. XCIII, p. 847, nescio unde, M. Junium Silanum vocat, cujus certe manifestus error est in eo, quod addit, huic, quoniam ex illis, qui provincias obtinerent, Bithyniæ proximus erat, negotium datum esse, ut regnum Nicomedis in provinciam redigeret. Scimus enim ex Appian. Mithridat. p. 367, Bithyniam multo post a M. Aurelio Cotta in provinciæ formam esse redactam.

1. *Metu suo*. Ita editur Basil. bene correxit scripturam ed. pr. *motu suo*.

2. *Metu suo destituere*. Mihi rectius videtur, ut *destituere* infinite legatur. Burer. Juntæ et Vascosani correctionem, quam Aldus nepos recepit, *destituerit*, prætulerim vulgato. In editione Burmaniana annotatio ad h. l. Rhenano tribuitur, quæ alterius est, nescio cujus.

3. *Pecunia redemptus*. Exempl. vetus habet: *Pecunia redemptus est*. Burer.

4. *Privatus*. Omnino cum Oudendorpio scribendum, *privata*.

5. *Multosque mortales*. De hoc genere loquendi vide Gellium, l. XIII, c. 28. Puteanus.

6. *Multosque mortales cepit*. Sic loquitur imitatione Sallustii Jug. 20: « Multos mortales cum pecore atque alia præda capit. »

7. *Lætusque nocturnæ expeditionis*, etc. Quum Rhenanus hunc locum sine distinctione edidisset, Aldus nepos interpunxit post *triumpho*, Acidalius vero post *expeditionis*, ut ille genitivus a *lætus* pendeat, *triumpho* jungatur cum *reversus est*. Quæ ratio nobis quoque præferenda videtur. *Triumpho* ponitur pro *triumphans*. Centies apud Livium, e. g. lib. II, cap. 20: *triumphans in urbem rediit*.

8. *Quum idem enim Asiam eam quam obtinebat*. Puto legendum per parenthesim: (*tum idem enim Asiam*

gasset, venditurumque captivos dixisset (quippe sequebatur invidia inertiam[1]) incredibili celeritate revectus ad mare, prius quam de ea re ulli proconsulis redderentur[2] epistolæ, omnes, quos ceperat, suffixit cruci.

1 XLIII. Idem mox ad sacerdotium ineundum (quippe absens pontifex factus erat in Cottæ consularis locum, quum pæne puer[3] a Mario, Cinnaque flamen Dialis creatus, victoria Sullæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id[4] sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur a prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria, et merito tam infestis sibi, quatuor scalmorum navem, una cum duobus amicis, decemque servis ingressus, effusissimum Adriatici maris trajecit[5] sinum.

eam obtinebat). Rhenan. Edit. Basil. sic dedit : *is enim Asiam tum obtinebat*. Ego hæc verba nec intelligo, nec emendare possum. Quid ? si ne Velleii quidem sunt, sed glossatoris, monentis, Junium eumdem esse *magistratui P. R. qui Asiam obtinebat*, ut paulo ante dixit Velleius. Superest etiam difficultas in eo, quod Junius in Bithynia fuisse dicitur, ubi nihil dum rei populo romano erat, ut modo demonstravimus.

1. *Quippe sequebatur invidia inertiam*. Cl. Oudendorpius in margine libri conjicit : *quippe sequebatur avaritia inertiam*, forte e Plutarcho in Cæsar. p. 708, C (et in nostro Cæsare, t. III, p. 270) : Ἐκείνου δὲ καὶ τοῖς χρήμασιν ὑποφθαλμιῶντος. Equidem vulgatum teneo, quod tritam et loco valde accommodatam sententiam habet. Seneca de Tranq. an. p. 345 : « Alit enim livorem infelix inertia ; et omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere. » Eodem pertinet illud Ciceronis Philipp. X, c. 1 : « Verum esse id, quod ego semper sensi, neminem alterius, qui suæ confideret, virtuti invidere. »

2. *Redderetur epistola*. Exempl. vetus habet : *Redderentur epistula*. Opinor legendum, *epistulæ*. Burer.

3. *In Cottæ consularis locum, quum pæne puer*. Edit. pr. sic habet : *in Cottæ consularis locum pæne puer*. Editor Basil. *quum* immisit ante *in Cottæ*, non animadvertens, sic sensum existere historiæ contrarium. Omnino sequendus est Lipsius, *quum* ex ultima syllaba vocis *locum*, qua absorptum erat, egregie revocans. Quam emendationem, præter Burmannum ad h. l., vehementer probat Wessel. Obs. II, 18, qui de temporum ratione, quam in his narrandis Velleius sequitur, consulendus.

4. *Id sacerdotium*. Sic edit. Basil. correxit scripturam editionis primæ, *ad sacerdotium*, in qua locus prave sic interpungitur : « Qui omnia ab iis acta fecerat irrita amisisset, ad sacerdotium festinans in Italiam. »

5. *Effusissimum Adriatici maris tr. sinum*. Horatius, I, epistol. II, 26 :

Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum 2
navibus, quum exuisset vestem, alligassetque pugionem
ad femur, alterutri se fortunæ parans, mox intellexit
frustratum esse visum suum, arborumque ex longin-
quo ordinem antennarum præbuisse imaginem. Reli- 3
qua ejus acta in urbe, nobilissimaque [1] Dolobellæ
accusatio, et major civitatis in ea [2] favor, quam reis
præstari solet; contentionesque civiles cum Q. Catulo,
atque aliis eminentissimis viris, celeberrimæ; et ante
præturam victus maximi pontificatus petitione [3] Q.
Catulus, omnium confessione senatus princeps; et 4
restituta in ædilitate, adversante quidem nobilitate,
monumenta C. Marii; simulque revocati ad jus dig-
nitatis proscriptorum liberi; et prætura quæsturaque
mirabili virtute atque industria obita in Hispania,
quum esset quæstor sub Vetere Antistio, avo hujus
Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium
et sacerdotum patris, viri in tantum boni, in quantum

Non locus effusi late maris arbiter. Mela, l. 1, c. 1: *ubi iterum mare se effundit.* Universe Latini *effusa*, ut Græci κεχυμένα, omnia ampla et spatiosa dicunt.

1. *Dolobellæ.* Sic editio pr. hic et alibi, non *Dolabellæ*, de qua scribendi ratione Drakenborchius ad Livii Epitom. lib. CXIX.

2. *Major civitatis in ea favor.* Heinsius optime legit, *in eo*, scil. Dolobella: quod forma non vulgari dicitur pro, *in eum*, *erga eum*. Sallust. Catil. 52: *sint misericordes in furibus ærarii*; ubi vide Cortium. Valer. Max. VIII, 1, 12: « Tam vehementes judices adversus excellentissimum accusatorem, quam mites in longe inferioris fortunæ reo. » Sulpic. Sever. 1, 24: « Quum toties in domino rebelles deprehendantur; » ubi frustra est Vorstius, *in dominum* scribens. Velleius, 1, 12: « Odium ne in victis quidem deponitur; » 11, 31: « Idem hoc ante biennium in M. Antonio prætore decretum erat. » Sed otium nobis fecit Gronov. ad Senec. præf. IV, N. Q. p. 742. Vulgata Velleii lectione deceptus Freinshemius, Suppl. Liv. XCIII, p. 350, Dolabellam a Cæsare, *summo favore populi*, accusatum esse, scribit.

3. *Victus maximi pontificatus petitione*, etc. Sallust. Catil. 49: « Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema ætate, maximis honoribus usus, ab adolescentulo Cæsare victus discesserat. »

humana simplicitas intelligi potest; quo notiora[1] sunt,
minus egent stilo.

1 XLIV. Hoc igitur cos.[2] inter eum et Cn. Pompeium
et M. Crassum inita potentiæ societas, quæ urbi orbi-
que terrarum, nec minus diverso quoque tempore ipsis
2 exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius caus-
sam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provin-
ciis, quibus, ut prædiximus, multi obtrectabant, per
Cæsarem confirmarentur cos.; Cæsar autem, quod ani-
madvertebat, se cedendo Pompeii gloriæ aucturum
suam, et invidia communis potentiæ in illum[3] relegata,
confirmaturum vires suas: Crassus, ut quem principa-
tum[4] solus adsequi non poterat, auctoritate Pompeii,

1. *Quo notiora sunt*, etc. Velleii imitator, Sulpic. Sev. I, 45: « Quæ omnia notiora sunt, quam ut nostro stilo egeant. » Solinus, c. 9: « Jam Taygeta mons et flumen Eurotas notiora sunt, quam ut stilo egeant. »

2. *Hoc igitur cos* Oudendorp. ad Sueton. Cæs. 19, hoc non de *Cæsare* capit, ut cæteri interpretes, sed de *Metello*. In quo ratio fugit virum doctissimum: nam si Velleius, quæ hic tradit, ad Metelli consulatum referre voluisset, sane hunc consulatum, sicut res postulabat, in præcedentibus commemorasset. Nunc tantum cap. 40, quo remittimur ab Oudendorpio, Metellum Pompeio obtrectasse dicit. Quorsum igitur hæc verba referenda? Nempe ad initium cap. 41: « Secutus deinde est consulatus C. Cæsaris. »

3. *Invidia communis potentiæ in illum relegata. Relegata* pro *derivata*, ut Cicero loquitur Verr II, 20, vel *rejecta*, ut Liv. II, 28 Jam Burm. comparavit Velleium, II, 64: « Fortunæ, ex qua fructum tulerat, invidiam in auctorem relegabat. » Etiam *delegare* sic dicitur. Liv. V, 20: « Ipsum dictatorem fugere invidiam ex eo criminaque, eo delegasse ad senatum. » Tac. Ann. XIII, 43: « Ubi pretia scelerum adepti, scelera ipsa aliis delegent. » Vide Gronovium ad Liv. XXVIII, 42. Ut vero Cæsar potentiæ suæ invidiam in Pompeium transferebat, sic Pompeius in Cæsarem. Cicero de Off. III, 21: « Qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cujus ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia. » Seneca de Benef. V., 16. « Pompeius hanc gratiam reipublicæ reddidit, ut in possessionem ejus alios quoque induceret, quasi potentiæ suæ detracturus invidiam, si quod nulli licere debebat, pluribus licuisset. »

4. *Ut qui principatum*. Exempl.

viribus [1] teneret Cæsaris. Adfinitas etiam inter Cæsarem 3
Pompeiumque contracta nuptiis; quippe filiam C. Cæ-
saris Cn. Magnus duxit uxorem In hoc consulatu Cæsar 4
legem tulit, ut ager campanus plebei [2] divideretur,
suasore legis Pompeio; ita circiter xx civium eo de-
ducta, et jus ab his restitutum [3] post annos circiter CLII,
quam bello punico ab Romanis Capua in formam præ-
fecturæ redacta erat. Bibulus, collega Cæsaris, quum 5
actiones ejus magis vellet impedire, quam posset, ma-
jore parte anni domi se tenuit; quo facto dum augere
vult invidiam collegæ, auxit potentiam: tum Cæsari
decretæ in quinquennium Galliæ.

XLV. Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis,

vetus habet : *ut quem principatum.* Burer.

1. *Auctoritate Pompeii viribus teneret Cæsaris.* Exemplar vetus habet: *Pompei viri viribus teneret Cæsaris.* Burer.

2. *Plebei.* Dativus antiquus, a vocabulo *plebes.* Rhenanus.

3. *Jus ab his restitutum.* Huic loco nihil ad integritatem deesse putant Voss. ad h. l. Mazochius de Amphit. Campan. p. 15, et ad Tab. Heracl. p. 393, et Juvenatius V. C. de urbe Aveia, p. 101. At rectius alii, corruptela animadversa, remedium quærere instituerunt. Puteani conjectura est : *jus civitatis restitutum*, non *jus civitatis his restitutum*, ut Aldus nepos eum conjecisse scribit. Lipsii ad h. l. et Sigonii de Ant. Jur Ital. III, 4 : *jus iis restitutum.* Nobis quum Puteani ratio verissima videatur, breviter, quæ Mazochius contra illam disputat, refellamus. Ex Livio, inquit, XXXVIII, 36, apparet, Campanos ex senatusconsulto Romæ censos esse, et a senatu impetrasse, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret; et, si qui prius duxissent, ut habere eas, et ante eam diem nati, uti justi sibi liberi heredesque essent. Atqui Romæ censeri, matrimonia cum civibus romanis jungere, sunt civium romanorum. Ergo clarum est, Campanis jus civitatis non demum per legem Juliam, sed jam a. U. c. 564. restitutum esse. Enimvero ex re per senatum extra ordinem constituta nullo modo argumentari licet, Campanos tum civitatem recuperasse. Neque enim senatus civitatem dabat, sed solus populus sive per legem, sive per plebiscitum. Connubium vero qui satis certum civitatis signum esse potest, quum Canuleius trib. pl. apud Livium, IV, 3, dicat, *illud finitimis externisque dari solere.* Campanis connubium ad pristinam calamitatem levandam concessum esse, facile credimus Sigonio de Ant. Jur. Ital. II, 12; sed quod idem, quasi Livio auctore, senatus decretum, ut Campani Romæ censerentur, pro beneficio habet,

1 disertus, audax, qui neque[1] dicendi, neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosset modum; malorum propositorum exsecutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, et actus incesti reus ob initum inter religiosissima populi romani sacra adulterium; quum graves inimicitias cum M. Cicerone exerceret (quid enim inter tam dissimiles amicum esse[2] poterat?), et a patribus ad plebem transisset, legem in tribunatu tulit: Qui civem romanum indemnatum[3] interemisset, ei[4] aqua et igni interdiceretur. Cujus verbis etsi non nominabatur Ci-
2 cero, tamen solus petebatur; ita vir optime meritus de republica conservatæ patriæ pretium, calamitatem exsilii[5] tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar et Pompeius; hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter xx viros dividendo agro campano esse

tantum abest, ut ex Livio colligi possit, ut potius ejus verbis ante laudatis ex libro XXXVIII, cap. 36, prorsus repugnet.

1. *Qui neque dicendi, neque faciendi*. Ita edi jussimus de Vascosani et edit. Basil. judicio. Edit. pr. *quique dicendi, neque faciendi*, quam lectionem defendit Burmannus ex Statio Theb. I, 101: « neque enim velocior ullus Itque reditque vias, cognatave Tartara mavult. » In quo, etiamsi *cognataque* legas cum nonnullis edd. quid simile? Proferendus erat locus, ubi *que* vel *et* præcedat *neque*; in quo quærendo operam, ut opinor, perdas. Disjunctivas particulas *ve*, *vel*, *aut*, post *neque* negandi vim habere, nemo ignorat; sed nuper exorti sunt grammatici, qui conjunctivis *ac*, *et*, *que* post *neque* positis, eamdem vim tribuerent. Quorum doctrinam, ex locis mendosis ductam et conflatam, non dubitem repudiare cum Bentleio ad Horat. Epod. XVI, 6, et I Serm. 6, 68. Sed, ut ad Velleium redeam, lectionem, quam reduxi, plane confirmat Sallustius, qui Velleio ob oculos fuit, Catil. 23: « Prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat; » ubi vide Cortium (et nostrum collegam doct. Burnouf, in Sallust. pag. 42).

2. *Quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?* Imitatur Sallustium Jug. 31, p. 199 nostræ editionis: « Potestne in tam divorsis mentibus pax, aut amicitia esse? »

3. *Indemnatum*. Hoc, in tanta rei evidentia et necessitate, de Vascosani et Puteani emendatione, recepimus pro *damnatum*, quod habet edit. pr. Vide Cicer. pro Dom. 9.

4. *Ei aqua et igni*. Sic edit. Basil. ex Cicerone pro Dom. 18. Edit pr. *et aqua et igni*.

5. *Calamitatem exsilii*. Ita editor

noluisset. Idem intra biennium, sera Cn. Pompeii cura,
verum, ut cœpit, intenta [1], votisque Italiæ, ac decretis 3
senatus, virtute atque actione Annii Milonis tribuni plebis dignitati patriæque restitutus est; neque post Numidici exsilium aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est lætius; cujus domus, quam infeste a Clodio disjecta erat, tam speciose a senatu restituta est. Idem P. Clodius (in senatu [2]) sub honorifi-
centissimo ministerii [3] titulo, M. Catonem a republica 4
relegavit [4]; quippe legem tulit, ut is quæstor [5] cum jure prætorio [6], adjecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum, omni-

Basil. scripsit pro *calamitate exsilii*, quod est in edit. prima.

1. *Cupit interita.* Forte: *cupito interitu.* RHENAN. In editione prima hic locus ita exhibetur: « Sera Cn. Pompei cura, verum et cupit interita; » ex quo editor Basil. partim bene, partim secus fecit: « Sera Cn. Pompeii cura, verum, ut cœpit, interrita. » Libenter amplectimur, *ut cœpit.* Liv. XXI, 10: « Quo lenius agunt, segnius incipiunt, eo, quum cœperint, vereor, ne perseverantius sæviant. » Seneca de Ira, I, 1: « Necessitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax et intenta. » Verum pro *interita* Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 51, rectius scripsit *intenta*, ipso Burmanno, in iisdem Miscell. p. 382, non valde adversante, Oudendorpio vero ad Appulei. Met. III, p. 231, vehementer approbante. *Intenta cura* quam frequenter apud bonos scriptores occurrat, exemplis ostendunt interpretes ad Liv. XXV, 9. Ut hic *interita* et *intenta*, sic apud Appulei. Met. I, p. 60, *interior* et *intentior* confunduntur. Hujus loci certam et veram instaurationem in textum admisi, veritus, ne, si aliter in tanta rei perspicuitate fecissem, ineptæ superstitionis accusarer.

2. *In senatu.* Hæc verba e vicinis temere repetita esse, vidit J. Cujacius Obs. VII, 9. Uncis inclusimus.

3. *Sub honorificent. ministerii tit.* *Ministerium* hanc publicam curationem Catonis etiam vocant Vell. II, 38, et Valer. Max. IV, 1, 14; quod vocabulum illustrarunt Cujac. l. c. et Drakenb. ad Liv. VIII, 40.

4. *M. Cat. a r. rel.* Ex Cic. pro Sext. 28: « Non illi ornandum M. Catonem, sed relegandum putaverunt. »

5. *Quæstor cum jure prætorio.* Aurelius Victor de Vir. III, 80: « Cato quæstor in Cyprum missus ad advehendam ex Ptolemæi hereditate pecuniam, eam summa cum fide perduxit. » Utroque loco *quæstor* dicitur *proquæstor*, ut *prætor* apud alios *proprætor*: ut nihil caussæ esset, quare viri docti pro *quæstor* scriberent *quæstorius*.

6. *Quæstor cum jure prætorio*, etc. Secuti sumus edit. Basil. castigatio-

bus morum vitiis eam contumeliam meritum. Sed ille,
5 sub adventum Catonis, vitæ suæ vim intulit; unde pe-
cuniam longe sperata majorem Cato Romam retulit:
cujus integritatem laudari, nefas [1]est; insolentia pæne
argui potest, quod una cum coss. ac senatu effusa civi-
tate obviam, quum per Tiberim subiret[2] navibus, non
ante iis egressus [3]est, quam ad eum locum pervenit, ubi
erat exponenda pecunia.

XLVI. Quum deinde immanes res, vix multis vo-
1 luminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret; nec
contentus plurimis ac felicissimis victoriis, innumerabi-
libusque cæsis et captis[4] hostium millibus, etiam in Bri-
tanniam trajecisset exercitum, alterum[5] pæne imperio

nem. In edit. pr. mendose et legitur et interpungitur: « Quæstor cum jure prætorio adjecto, etiam quæstor emitteretur in insulam Cyprum. »

1. *Cujus integritatem laudari, nefas est.* Lipsius in hoc loco similem sibi visus est reperisse sententiam illi apud Tacitum Agricol. 9: « Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. » Cujus judicium sequuntur viri docti ad Plinii Paneg. 20, et Hensinger. ad Nepot. Phocion. 1; sed talis sensus quomodo ex his verbis elici queat, me non intelligere fateor. Scribendum: « Cujus integritatem haud laudari, nefas est, » ut fere Aldus nepos conjecit. Negationem *haud* a sequenti syllaba *laud* absorptam esse, facile apparet. *Integritas* est abstinentia a pecunia cypria, quam Clodius criminationibus læserat. Quo respicit Seneca, pater Contr. v, 30, pag. 359: « M. Cato Pulchrum objicientem furtorum crimina audivit. Quæ major indignitas esse potuit illius seculi, quam aut Pulcher accusator, aut reus Cato? » Vide Plutarch. in Cat. p. 781, D; ubi Cato respondet objurgationibus Clodii de gaza Cypria.

2. *Per Tib. sub.* Vereor ne illud *per* sit a mala manu, nam *subire Tiberim* est adverso fluvio navigare. Sueton. Claud. 38: *subeunti Tiberim*, etc. Burmannus.

3. *Non a. iis egr. est.* Ed. Bas. pro *is*, quod est in edit. pr. scripsit *his*, Aldus nepos *iis*. Recte. Liv. ix, 6: « Venientibus Capuam cunctus senatus populusque obviam egressi. »

4. *Cæsis ac captis.* Exempl. vetus habet: *cæsis et captis*. Burer.

5. *Alterum..... quærens orbem.* Velut Alexander M. cui unus orbis non sufficiebat. Noti sunt versus Juvenalis Sat. x, 168: « Unus Pellæo juveni non sufficit orbis: Æstuat infelix angusto limite mundi. » Velleium imitari videtur pseudo-Hegesippus, ii, 9, p. 244: « Terra ipsa infra Romanorum imperium est, super quam progressa romana virtus, ultra Oceanum alterum sibi orbem

nostro ac suo quærens orbem: victus pars [1] consulum, Cn. Pompeius et M. Crassus, alterum iniere consulatum; qui neque petitus honeste ab his, neque probabiliter gestus est. Cæsari [2] lege, quam Pompeius ad 2
populum tulit, prorogatæ in idem spatium temporis provinciæ: Crasso bellum parthicum in animo molienti, Syria decreta; qui vir, cætera [3] sanctissimus, immunisque [4] voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum. Hunc proficiscentem in Syriam [5] diris cum omi- 3
nibus, tribuni plebis frustra retinere conati; quorum exsecrationes si in ipsum tantummodo [6] valuissent, utile

quæsivit, et in Britannia ibi remota a confinio terrarum novam sibi invenit possessionem. »

1. *Victus pars consulum.* Alias, *invictum par.* RHENAN. Forte: *unicum par consulum*, pro quo Livius, ab Heinsio laudatus, l. XXVII, c. 34: *egregium par consulum. Unicus* est singularis, eximius, ut *unicus consul* apud Liv. II, 58. Nec tamen mihi displicet Lipsii conjectura: *inclytum par consulum.*

2. *Lege.* Sic ed. Bas. Ed. pr. *legem.*

3. *Cætera sanctissimus.* Ex Sallustio apud Serv. ad Æneid. III, 594: *sanctus alia.* Sulpicius Sever. Dial. III, 11: *Maximus imperator, alias sane bonus*, qui Sallustii imitatione, *alia sane bonus*, scripsisse videtur: quamvis illam ætatem *alias* pro *aliter* vel *alioqui* dixisse sciam. Vide Bentleium ad Horat. I Ep. 10, 3.

4. *Immunisque voluptatibus.* Plutarch. in ejus Vita, p. 543, B: Σώφρων καὶ μέτριος περὶ τὴν δίαιταν.

5. *Hunc proficiscentem in Syriam*, etc. In edit. pr. hic locus sine distinctione sic legitur: « Hunc proficiscentem in Syriam diris cum omnibus trib. pleb. frustra retinere conati; » sed edit. Basileens. pro *omnibus* rescripsit *ominibus*, et Aldus nepos post illam vocem interpunxit. Utrumque recte factum arbitramur: nam quod Burmannus dicit, *omina* nihil ad tribunos plebis attinere, satis refellitur disertis verbis Dionis Cass. XXXIX, p. 210: Οἱ οὖν δήμαρχοι, ἰδόντες ὅτι ἡ παῤῥησία αὐτῶν ἄπρακτος οὖσα, ἀσθενὴς πρὸς τὸ κωλῦσαί τι πραχθῆναι, ἄλλως μὲν ἡσύχαζον, ἐπεφήμιζον δὲ αὐτῷ πολλὰ καὶ ἄτοπα. Nec minus labitur in eo, quod *ominibus* cum *proficiscentem* bene jungi negat. Cicero pro Sext. 33: « Exierunt malis ominibus atque exsecrationibus duo vulturii paludati; » Phil. XII, 8: « Proficiscantur legati optimis ominibus; » Justin. XX, 2: « Faustisque profecti ominibus; » Thucydid. VII, p. 497: Ἀντὶ δ' εὐχῆς τε καὶ παιάνων μεθ' ὧν ἐξέπλεον, πάλιν τούτων τοῖς ἐναντίοις ἐπιφημίσμασιν (ominibus) ἀφορμᾶσθαι.

6. *In ipsum... valuissent.* Exquisite pro, adversus ipsum vim exer-

imperatoris damnum [1] salvo exercitu fuisset reipublicæ.
4 Transgressum Euphraten Crassum, petentemque Seleuciam, circumfusis immanibus copiis [2] equitum, rex Orodes una cum parte majore romani exercitus interemit: reliquias legionum C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor, conservavit; Syriamque adeo in pop. rom. potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos, felici rerum eventu fugaret ac [3] funderet.

1 XLVII. Per hæc insequentiaque, et quæ prædiximus tempora, amplius ccccc hostium a C. Cæsare cæsa sunt, plura capta: pugnatum sæpe directa acie, sæpe in agmi-

cuissent, efficaces fuissent. Sallust. Fragm. (pag. 339 nostræ editionis, ubi vide quæ ad hunc locum dixerit doctiss. Burnouf): « Alio modo neque valent in universos, neque conabuntur; » Liv. l. vii, c. 6: « Num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse? » Formulam explicuit, quamquam alienis admixtis, Burmannus ad Ovidium, Amor. I, Eleg. 7, 26.

1. *Utile imperatoris damnum.* Quam sint diversi hominum sensus, mirari subit. *Utile damnum* adeo placebat Freinshemio ad Taciti Annal. lib. II, cap. 85, ut illud Tacito, ubi *vile damnum* legitur, ex Velleio restitueret. Contra Lipsius in Velleio reposuit *vile damnum*: idemque in Tacito tuetur Gronovius. Ego posteriorem rationem, quod et Heinsium fecisse video, longe longeque præferam priori, tum quod *vile damnum* veriorem sententiam habet, tum quod propria et legitima loquendi forma est. Statius, a Gronovio laudatus, Theb. I, 649: *jacturaque vilior orbis.* Sic *leve*, *facile damnum*, Ovid. Metam. XIV, 197: « Quam nullum aut leve sit damnum mihi lucis ademptæ. » Virgil. Æn. II, 646: *facilis jactura sepulcri;* Liv. V, 39: *facilem jacturam esse seniorum;* XXII, 8: « Levem, ex comparatione priorum, ducere recentem equitum jacturam. » Sulp. Sev. de Vita Mart. 13: « Facilemque arboris suæ, habuere jacturam. »

2. *Circumfusis immanibus copiis.* Recepimus editor. Basil. emendationem. Editio pr. *circumfusos immanibus copiis*: nam *circumfundi* et *circumdari* etiam dicuntur, qui circumcingunt. II, 112: « At ea pars, quæ obviam se effuderat exercitui, ... circumfusa quinque legionibus nostris. » Liv. XXVI, 27: « Consuli Lævino Capuam prætereunti circumfusa multitudo Campanorum est. » Vide Heinsium ad h. l. et Oudendorp. ad Hirt. de Bello Afr. 78. *Circumfusus*, quod Burmanno placebat, jam dederat Vascosanus.

3. *Fugaret ac funderet.* Dukerus ad Flor. III, 4, 4, observat, Velleium h. l. præter suum et aliorum morem mutato ordine, scripsisse: *fugaret ac funderet*, pro, *funderet ac fugaret.* Sed Velleius hujus ordinis auctorem habet Sallustium

nibus, sæpe eruptionibus: bis penetrata Britannia: novem denique æstatibus vix ulla [1] non justissimus triumphus emeritus: circa Alesiam vero tantæ res [2] gestæ,
quantas audere vix hominis, perficere pæne nullius, 2
nisi dei [3] fuerit. Septimo ferme anno [4] Cæsar morabatur in Galliis, quum medium jam ex invidia potentiæ male cohærentis [5] inter Cn. Pompeium et C. Cæsarem concordiæ [6] pignus, Julia uxor Magni decessit; atque, omnia

suum Jug. 21: « Semisomnos partim, alios arma sumentes, fugant funduntque. »

1. *Novem denique æstatibus vix ulla*, etc. Hic locus torsit viros eruditos, quamvis in promptu sit ejus emendatio. Lege: « Novem denique æstatibus vix ullus non justissimus triumphus emeritus; » id est, omnes triumphi, quos novem æstatibus emeruit, justissimi fuerunt. *Vix ullus* ponitur pro nullus, ut apud Ov. A. A. III, 508: « Cognoscat faciem vix satis ulla suam. »

2. *Circa Alesiam vero tantæ res.* Exempl. vet. habet: « Circa Alesiam vero tantæ res gestæ, quantas, etc. » Burer.

3. *Pæne nullius, nisi dei.* Cicero Orat. 5: « Quem si imitari atque exprimere non possumus, quod idem ille vix deo concessum esse dicebat. »

4. *Septimo ferme anno.* Acidalius malit, *septimum ferme annum*, quia tempus continuum significatur. Hanc observatiunculam recentiores inprimis veterum librorum editores multis locis inculcarunt. Qua quid opus erat, quum grammaticorum princeps, Vossius de Construct. cap. 44, veteres utroque modo locutos esse, dudum demonstrarit?

5. *Ex invidia Ponti ac Camiliæ cohærentis.* Forte legendum *ex invidia Ponti, male cohærentis.* Rhenan. Exemplar vetus sic habet, ut appareat legendum: *Pontiæ Camillæ cohærentis*, etc. Burer. Edit. Basil. dedit: *ex invidia Pompeii male cohærentis.* At locus tam desperatæ sanitatis medicum postulabat Lipsium, cujus hæc est felicissima conjectura: *ex invidia potentiæ male cohærentis.* Nihil pulchrius, nihil quod sensum magis perspicuum reddat. *Male cohærere* legitima formula est, in qua *male* pro vix ponitur. Liv. XXIII, 24: « Arbores, alia in aliam, instabilem per se ac male hærentem, incidentes. » Seneca Cons. ad Marc. 11: *precarii spiritus, et male hærentis.* Contra idem Cons. ad Polyb. 34: « Cujus morte optime cohærentis romanæ pacis vincula resoluta sunt. » Qui locus simillimus est Velleiano. Lipsianam emendationem etiam Plutarchus confirmat in Cæsare, p. 719. C: Οἱ δὲ φίλοι συνεταράχθησαν (Juliæ morte) ὡς τῆς ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ τἆλλα νοσοῦσαν τὴν πολιτείαν φυλαττούσης οἰκειότητος λελυμένης. Ex Velleio forte colorem duxit Lucanus, I, 111: « nam pignora juncti Sanguinis, et diro ferales omine tædas Abstulit ad manes, Parcarum, Julia, sæva Intercepta manu. »

6. *Medium .. concordiæ pignus*,

inter destinatos tanto discrimini duces dirimente fortuna, filius quoque parvus Pompeii, Julia natus, intra
3 breve spatium obiit. Tum in gladios cædesque civium furente ambitu, cujus neque finis reperiebatur, nec modus, tertius consulatus soli Cn. Pompeio, etiam adversantium antea dignitati ejus judicio, delatus est: cujus ille honoris gloria, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maxime a C. Cæsare alienatus est; sed ejus consulatus omnem vim in coercitionem [1] ambitus exer-
4 cuit. Quo tempore Publius Clodius a Milone, candidato consulatus, exemplo inutili, facto salutari [2] reipublicæ, circa Bovillas, contracta ex occursu rixa, jugulatus est; Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii
5 damnavit voluntas. Quem quidem M. Cato palam lata absolvit sententia: quam si maturius [3] tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum, probarentque eum civem occisum, quo nemo perniciosior reipublicæ neque bonis inimicior vixerat.

1 XLVIII. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia: quum justissimus quisque et a Cæsare, et a Pompeio, vellet dimitti exercitus. Quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse ac præsidens urbi, per Afranium [4] et Petreium, consularem ac præ-

Seneca pater Controv. I, p. 77: *me fœderi medium pignus addite.*

1. *In coertionem*. Exempl. vetus habet: *in coercitionem*. Burer.

2. *Exemplo inutili, facto salutari reip.* Sic edi jussimus ex edit. Basil. correctione. Editio pr. « Exemplo inutiliter facto, salutari reip. » Velleium imitatur Sulpic. Sever. II, 30: « Licet malo exemplo, bono tamen affectu reip. ab improbis vindicandæ. » Vide Gronovium ad Liv. II, 30, et ad Tacit. Ann. l. I, c. 38, qui Ursini conjecturam, *exemplo inutili, sed facto salutari*, prætulisse videtur; sed concinnior est lectio, quam restituimus. *Inutile* pro pernicioso dici, nunc vel tirones sciunt.

3. *Quam si maturius tulisset.* Sic edit. Basil. correxit scripturam edit. primæ *qui si maturius tulisset.*

4. *Per Afrannium.* Exempl. vet.

torium, legatos suos, administrabat; et iis, qui a Cæ-
sare dimittendos exercitus contendebant, [1] adsentabatur;
iis, qui dimittendos ab ipso [2] quoque, adversabatur. Qui 2
si ante biennium [3] quam ad arma itum [4] est, perfectis
muneribus theatri et aliorum operum, quæ ei circum-
dedit, gravissima tentatus valetudine decessisset in
Campania (quo quidem tempore universa Italia vota pro
salute ejus, primo omnium civium [5] suscepit) defuisset
fortunæ destruendi ejus [6] locus; et, quam apud superos

habet: *per Africanium.* Ego legeudum puto, *Africanum*, aut certe *Afranium.* Burer.

1. *Assentabatur.* Sic II, 128: *assentatio* pro asseusione. Frontinus, lib. III, 3, c. 4: « Ille, adsentante injuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, » ubi nihil mutandum. Male Vascusanus *adsentiebatur.* — Vide Spalding. ad Quintil. III, 7, §. 25, not. 3, pag. 516 nost. edit.

2. *Ab ipsoque.* Sic habet vetus exempl. *ab ipso quoque.* Burer. Junta, quem Aldus nepos aliique secuti sunt, primus edidit: *iis, qui ab ipso, adversabatur.* Sane verbum *dimittendos*, quod et Vascosanus omisit, elegantius abfuerit.

3. *Ante biennium.* Ex fide historiæ Lipsius mallet *annum.* Raphel.

4. *Ad arma itum est. Ire in arma* alii dicunt, ut Florus, IV, 5, 2; ubi vide Dukerum.

5. *Primo omnium civium.* Vascosanus et Perizonius, Animadv. Hist. cap. 8, p. 346, scribunt: *primi omnium civium.* Optime. Sic II, 24: « Quum ad eum, primum omnium Romanorum, legati Parthorum venissent. » Post etiam pro Hirtio ægrotante publica vota suscepta esse, docet Brouckhusius ad Tibullum, I, 5, 10.

6. *Defuisset fortunæ destruendi ejus locus.* Non imiter Marklandum ad Stat. Silv. III, 4, vers. 103, verbo efficaci *destruendi* inertius *destituenti* substituentem. Seneca præf. IV, N. Q. p. 747: « Quamque diversa via magnam potentiam fortuna destrueret; » Curtius, VIII, 14: « A suis credebat magnitudinem suam destrui posse. » Tacit. Ann. II, 63: « Suaque in destruendo eo consilia extulit. » Sed quid attinet banc lectionem exemplis, quæ cumulare facile est, defendere, quum Lucan. VIII, 27, se *destruendi* legisse, Velleio imitando ostendat: « sic longius ævum Destruit ingentes animos, et vita superstes Imperio, nisi summa dies cum fine bonorum Adfuit, et celeri prævertit tristia leto, Dedecori est fortuna prior. » De Pompeio simile est judicium Ciceronis loco illustri Tuscul. Disp. I, 35; ubi vide Davisium. Juven. Sat. X, vers. 284: « Provida Pompeio dederat Campania febres Optandas: sed multæ urbes, et publica vota Vicerunt. Igitur Fortuna ipsius et urbis Servatum victo caput abstulit; » ubi non dubitanter legimus: *sed mœstæ urbes.* *Mœstus* et *multus* sæpe a librariis permutari, docet Drakenborchius ad Sil. Ital. V, 380.

habuerat [1] magnitudinem, inlibatam detulisset ad infe-
3 ros. Bello autem civili, et tot, quæ deinde per continuos xx annos consecuta sunt, malis, non alius majorem flagrantioremque, quam C. Curio tribunus plebis subjecit facem, vir nobilis, eloquens, [2] audax, suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ [3] prodigus, homo ingeniosissime
4 nequam [4], et facundus malo publico. Hujus [5] animo, voluptatibus vel [6] libidinibus, neque opes ullæ, neque cu-

1. *Quam apud superos habuerat*, etc. Similiter Florus, IV, 8, 3, de Sexto, Pompeii filio: « Magnique famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset ulterius. » *Superi* sunt homines viventes, ut viri docti ad h. l. et sæpe alibi docuerunt. Sic apud Græcos *οἱ ἄνω*. Vide Hemsterhus. ad Lucian. Dial. Sel. p. 13, qui memoriæ lapsu, Velleio *superos relinquere*, pro vita defungi, tribuit.

2. *Vir nobilis, eloquens, audax*. Eloquentiam Curionis paulo post describit: *et facundus malo publico*; ut vix dubites, quin vitium hæreat in voce *eloquens*. Legendum: *vir nobilis, opulens, audax*, etc. Formam *opulens* sumpsit a Sallustio suo, Jug. 69, (nost. ed. p. 256): « Civitas magna et opulens pœnæ cuncta, aut prædæ fuit; » ubi vide Cortium. Totum hunc locum, more suo imitatus est Sulpic. Sever. II, 46: « Ab his Priscillianus est institutus, familia nobilis, prædives opibus, acer, inquies, facundus, multa lectione eruditus, etc. »

3. *Suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus*. Solennis hac in re formula. Cicero pro Rabirio 3: « Hunc nec suæ, nec alienæ pudicitiæ pepercisse; » quod Suetonius, Caligula 36, inde sumpsit. Cicero pro Cœl. 18: « Parcat juventus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam. » Sall. Catil. 52: « Parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ suæ pepercit. » Eamdem rem alio modo expressit auctor ad Herenn. IV, 40: « Suæ pudicitiæ proditor est, insidiator alienæ; » rursus alio Seneca Præf. Controv. I, p. 66: « Expugnatores alienæ pudicitiæ, negligentes suæ. » Velleius vero inprimis respicit infamem Curionis in Antonium amorem, de quo Cicero, Phil. II, 18, et Plutarchus, Anton. p. 916. C

4. *Ingeniosissime nequam*. Idem est quod Tacitus, Ann. XVI, 18, de Petronio dicit, *erudito luxu*.

5. *Hujus animo*. Editor Basil. *cujus animo*, quod melius.

6. *Hujus animo voluptatibus, vel libidinibus*, etc. Locus non una labe maculatus *Animo*, in quo viri docti hærent, Gron. ad Sen. de Benef. VII, 11, magis erudite, quam vere, explicat de effusa largitione. Mihi venit in mentem corrigere: « Cui nimiis cupiditatibus et libidinibus, neque opes ullæ, neque voluptates sufficere possent. » Forma loquendi Sallustiana. Arusianus Mess. MS. *Nimius hac re*. Sallust. Hist. *Post ubi fiducia nimius*. Sallust. Hist. *Impotens et nimius animi est*. Sed hoc loquendi genus satis illustravimus ad II, 32, p. 106. *Opes* refer ad *cupi-*

piditates sufficere possent. Hic primo pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica; mox simulatione contra Pompeium et Cæsarem, sed [1] animo pro Cæsare [2] stetit. Id gratis, an accepto centies HS [3], fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus. Ad ultimum saluberrimas et coalescentis [4] conditiones pacis, quas et Cæsar justissimo animo postulabat, et Pompeius æquo recipiebat, discussit ac rupit; unice cavente Cicerone concordiæ publicæ. Harum præteritarumque [5] rerum ordo quum justius aliorum voluminibus [6] promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur.

ditatibus, *voluptates* ad *libidinibus*. Voces *voluptatibus* et *cupiditates* transponendas esse, tam evidens, tamque necessarium est, nt id ne Wopkensium quidem, virum latine bene doctum, sed in talibus cernendis parum acutum, fefellerit, Misc. Obs. VIII, p. 52. Hæc mihi scribenti alia de voce *animo* conjectura nascitur, priore fortasse haud deterior: « Cujus insanis cupiditatibus et libidinibus, etc. » Cicero Verr. IV, 10: « Similis istius cupiditas, hoc etiam acrior atque insanior; » pro Sull. 25: « Quis insaniam libidinum recordatur? » Senec. Ep. 39: « Quorum impotentiæ atque insanæ libidini ob hoc nunm possis ignoscere. » Calpurn. Flacc. Decl. XXIII, p. 821: « Adultera, quæ per insanam libidinem, stimulis tanti furoris exarserat. »

1. *Simulatione.... animo*. Cicero de N. D. II, 67: « Mala enim et impia consuetudo est contra deos disputandi, sive ex animo id fit, sive simulate. »

2. *Stetit*. Sic edimus cum editore Basileensi, pro *restitit*, quod est in editione prima.

3. *Centies HS*. *Sexcenties HS*. Valerius Maxim. IX, 1, 6: XXVII, *HS*. Serv. ad Æneid. VI, 621, *decies HS*. Scholiast. Lucan. ad IV, 820. Librariorum in numeris permutandis levitas facit, ut nihil certi dici possit. Vide Lips. ad h. l. et Fr. Brummerum ad Leg. Cinc. cap. VIII, p. 120.

4. *Saluberrimas et coalescentis*. Jam ante Heinsium *et* sustulerat editor Basileensis. Recte.

5. *Præteritumque*. Lege *præteritarumque*. Burm.

6. *Quum justius aliorum voluminibus promatur*. Edit. Basil. pro *justius* scripsit *justis*: quod, licet refragante Heinsio, præferam vulgato ob simillimum locum II, 119: « Ordinem atrocissimæ calamitatis, ... justis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere. » At male idem Basileens. edit. *promatur* mutavit in *promitur*. Nam *quum* sæpe ponitur subjunctivo, sequente *tum* cum indicativo. II, 13: « Equites quum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sævissent, tum P. Rutilium damnaverant; » 92: « Sentius quum alia prisca severitate summaque constantia gessisset, tum in co-

1 XLIX. Nunc proposito operi sua forma reddatur, si
prius gratulatus ero Q. Catulo [1], duobus Lucullis, Metelloque et Hortensio; qui quum sine invidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo, quieta, aut certe non [2] præcipitata, fatali ante initium bellorum
2 civilium morte functi sunt. Lentulo et Marcello coss.,
post urbem conditam annis DCCIII, et LXXVIII [3] quam tu, M. Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit.
3 Alterius ducis caussa melior [4]videbatur, alterius erat
firmior; hic omnia speciosa, illic valentia; Pompeium senatus auctoritas, Cæsarem militum armavit[5] fiducia; consules senatusque caussæ, non Pompeio, summam
4 imperii [6]detulerunt. Nihil relictum a Cæsare, quod
servandæ pacis caussa tentari posset; nihil receptum a

mitiis habendis præcipuum egit consulem. » Vide interpretes ad Livium, lib. IV, cap. 60.

1. *Si prius gratulatus ero Q. Catulo*, etc. Etiam Cic. mortem gratulatur Catulo, ad Atticum, II, 24; Hortensio, in Bruto 96.

2. *Quieta, aut certe non præcipitata.* Lipsius *præcipitata* ad *rep.* refert, ad *morte* Oudendorp. ad Lucanum, II, 106. Neuter bene. Mihi nullum dubium est, quin vox, propter soni affinitatem elapsa, hoc modo revocanda sit : « Quieta, aut certe non præcipitata civitate. »

3. *Annis* ACCIII, *et* LXXVIII *quam tu*, etc. Lege *annis* A. CC. III, *et annos* LXXVIII, *quam tu*, etc. BURER. Editor Basileensis sic scripsit : « Annis DCCIII, et anno LXXVIII, quam tu, etc. » Sed quid *anno* attinebat repetere ? Nisi forte *ante* scribere voluit, ut locum similem faceret alteri l. II, c. 66 : « Post urbem conditam annis DCCIX, ante LXXII quam tu, M. Vinici, consulatum inires. »

4. *Alterius ducis caussa melior videbatur.* Comparent elegantiæ studiosi Ciceronem pro Ligar. 6.

5. *Pompeium senatus auctoritas.. armavit.* Hunc sumpsit Sulpic. Sev. Dial. III, 12 : « Si Theognisti pertinaciam Martini armaret auctoritas. » Vide quæ annotavimus ad Rutil. Lup. I, p. 71.

6. *Caussæ, non Pompeio, summam imperii detulerunt.* Hic locus quomodo intelligendus sit, imitatione sua docet Lucanus, certatim ab interpretibus laudatus, V, 13 : « docuit populos venerabilis ordo, Non magni partes, sed magnum in partibus esse. » Eodem adde illa Catonis apud eumdem, l. II, 319 : « quin publica signa, ducemque Pompeium sequimur? nec, si fortuna favebit, Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi, Non bene compertum est : ideo me milite vincat, Ne sibi se vicisse putet. »

Pompeianis : quum alter consul[1] justo esset ferocior ; Lentulus vero salva republica salvus esse non[2] posset ; M. autem Cato moriendum ante, quam ullam conditionem civis[3] accipiendam reipublicæ contenderet : vir antiquus et gravis[4] Pompeii partes laudaret magis, prudens sequeretur Cæsaris, et illa gloriosa[5], hæc terribiliora duceret. Ut deinde, spretis omnibus[6], quæ Cæsar postulaverat, tantummodo contentus cum una legione titulum retinere provinciæ, privatus in urbem veniret, et se in petitione consulatus suffragiis populi romani committeret, decrevere[7] : ratus bellandum Cæsar, cum

1. *Alter cos.* Sic editor Basileensis. Editio prima *altero cos.*

2. *Salva rep. salvus esse non posset.* II, 91 : « Cæsare salvo, salvus esse non poterat. »

3. *Ullam conditionem civis.* Scripsit, ni fallor : *Ullam conditionem cujusvis.* Sallust. Catil. 17 : « Cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere. »

4. *Vir antiquus et gravis.* Sallust. apud Macrobium Sat. II, 9 : « Quibus rebus aliquantam partem gloriæ desumpserat, maxime apud veteres et sanctos viros ; » ubi notandum, etiam *veteres* pro *antiqui*, sive severi dici, ut apud Cicer. Act. I in Verr. 10, *tres hi homines veteres*, Asconio interprete, sunt graves et severi. Cave autem, nomen viri excidisse, suspiceris. *Vir antiquus* est unusquisque vir antiquus, vel omnes viri antiqui. Similis locus Valerii Max. IV, 3, 6 : « Licet Athenæ doctrina sua glorientur, vir tamen prudens Fabricii detestationem, quam Epicuri maluerit præcepta ; » ubi recte cepit Perizonius. Vide Misc. Obs. VIII, p. 384.

5. *Illa gloriosa.* Burmannus, hæc quo referantur, se nescire fatetur. Quasi vero constructio semper ad rationem grammaticam, nunquam ad sensum, referatur. Sexcenta exempla huic Velleiano similia quum alii, quos nominare longum est, tum inprimis Gronov. Observ. III, 2, et ad Senecam, de Clementia II, 3, collegerunt.

6. *Ut deinde, spretis omnibus*, etc. Totum hunc locum ex verissima emendatione edit. Basileensis, quam pro suam vindicat Schegkius, exhibemus. Editio prima sic habet : « Ut deinde spretis omnibus quæ Cæsar postulaverat, tantummodo contentus cum una legione titulum retinere provinciæ, privatusque in urbem venire, et se in petitione consulatus, suffragiis P. R. committere decrevere. » Librarius *privatusque* pro *privatus* scripsit, quod verba *tantummodo contentus*, etc. ad sequentia referebat, quæ cum *Cæsar postulaverat* jungenda esse, et res ipsa, et Sueton. Cæs. 29, declarant.

7 *Decrevere.* Alias *decreverit.* RHENAN. Exemplar vetus sic habet, ut legendum existimem : *committere decreverat.* BURER. Non dubium es-

exercitu Rubiconem transiit; Cneius Pompeius, consulesque, et major pars senatus, relicta urbe ac deinde Italia, transmisere Dyrrachium.

1 L. At Cæsar, Domitio legionibusque Corfinii, quæ
una cum eo fuerant, potitus, duce aliisque qui voluerant abire[1] ad Pompeium, sine dilatione dimissis,
persecutus Brundusium[2], ita ut appareret, malle integris rebus et conditionibus finire bellum, quam opprimere fugientes, quum transgressos reperisset coss. in
2 urbem revertit: redditaque ratione consiliorum suorum
in senatu, et in concione, ac miserrimæ necessitudinis,
quum alienis armis ad arma compulsus esset, Hispanias
3 petere decrevit. Festinationem itineris ejus aliquamdiu
morata Massilia est, fide melior, quam consilio prudentior, intempestive principalium armorum[3] arbitria captans, quibus hi se debent interponere, qui non parentem coercere possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio
4 tem coercere possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio
consulari[4] ac Petreio prætorio fuerat, ipsius adventus vigore ac fulgore occupatus[5], se Cæsari tradidit; uterque legatorum, et quisquis cujusque ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium[6].

1 LI. Proximo anno, quum Dyrrachium ac vicina ei

se debet quin legendum sit, *committeret*, *decrevere*. Ita bene Gryphio, Stephano et aliis editum. VOSSIUS.

1. *Qui voluerant abire*. Edit. pr. manifesto mendo: *qui venerant abire*, quod edit. Basileensis correxit.

2. *Persecutus Brundusium*, etc. Locus vitiosus, in quo, quid Cæsar persecutus sit, desideratur. Lege et interpunge: *Persecutus Brundusium iter, ut appareret, malle*, etc. Terent. Heeyr. III, 5, 4: *Viam, quam decrevi persequi*.

3. *Principalium armorum*. Qui sic ante Vellei. locutus sit, reperio neminem. Vide Schelium ad Hygin. de Castr. Roman. p. 45.

4. *Sub Africano consulari*. Exemplar vet. hab. *Africanio*, erasis *i* et *c* mediis literis: hinc legendum opinor: *Afranio consulari*, etc. BURER.

5 *Ipsius adventus vigore ac fulgore occupatus*. Pro *adventu*, quod est in editione pr., edit. Basileensis bene scripsit *adventus*.

6. *Remissi ad Pompeium*. Sic de edit. Basil. correctione restituimus. Editio pr.: *Remisit ad Pompeium*.

urbi regio castris Pompeii retinetur[1] (qui accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque, tetrarcharum[2], simulque dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, et mare præsidiis classium, ut rebatur[3], sepserat, quo
minus Cæsar legiones posset transmittere), sua et celeri- 2
tate, et fortuna C. Cæsar usus, nihil in mora habuit, quo minus et quum vellet[4], ipse exercitusque classibus perveniret, et primo pæne castris Pompeii sua jungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur; sed inopia obsidentibus[5], quam obsessis, erat gra-
vior. Tum Balbus Cornelius[6], excedente humanam fidem 3

1. *Ac vicina ei urbi regio castris Pompeio retinetur.* Exemp. vetust. habet : *Ac vicinia ei urbi regio castris Pompei*. o literæ puncto deletili superscripto, sic ȯ. Burer. *Retinetur* pro tenetur, compositum pro simplici, quod, præter Vossium ad h. l. exemplis confirmat Dukerus ad Flor. II, 20, 3. Malim tamen in hac constructione *teneretur*, ut edit. Bas. emendavit. Vascosan. *retineretur*.

2. *Regumque, tetrarcharum.* Ex. vet. habet : *regumque tetrarcharum*. Burer. Editor Basileensis copulam interposuit : *Regumque et tetrarcharum*, quæ facile a vicinis vocibus absorberi potuit.

3. *Uirebatur.* Alias, *ut rebatur*. Rhenan. Rhenani correctionem inde a Junta omnes editores receperunt.

4. *Et quum vellet.* Recte Acidalius rescripsit : *Et quo vellet. Quum* vel *quom*, ut in membranis antiquis scribi solet, sæpe cum *quo* permutari, docet Drakenb. ad Liv. XXIV, 34. Nisi potius legendum sit : « Quo minus et quum vellet, et quo vellet, ipse, etc. » Idque nunc magis placet.

5. *Sed inopia obsidentibus*, etc. Liv. XXV, 11 : « Propiusque inopiam erant obsidentes, quam obsessi. »

6. *Balbus Cornelius.* Duo L. Cornelii Balbi fuerunt, uterque Gaditanus, et civitate romana donatus, quorum alter major dicitur, alter, ex majoris fratre natus, minor. Quos, non mirum est, si recentiores confuderint, quum ne Velleius quidem eos satis accurate distinxerit. ut Putean. ad h. l. et Bailius lexico Hist. et Crit. v. *Balbe* ostenderunt. Major consul suffectus fuit a. U. c. 713. Vide Dionem Cass. XLVIII, p. 549, et tabulam Colotianam apud Grut. p. 298 Ejusdem mentio est in lapide apud Muratorium, p. 293. *Consul autem factus est ex privato*, ut Velleius ait. Quæ verba, a viris doctis mirifice vexata, sic intellige : Cons. factus est ex eo, qui nunquam rempublicam attigisset, nullos unquam honores gessisset; ut Nepos de Reg. I : « Quorum uterque privatus virtute regnum est adeptus. » Id historiæ congruit, quæ non nisi præfecturæ fabrum, qua in Cæs. exercitu

temeritate[1], ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo collocutus cos. dubitante[2] quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hispaniæ Asiæ

functus est, mentionem facit. Vide Ciceronem, oratione pro eodem, 28. Insignis de illo locus est Plin. H. N. VII, 43 : « Fuit et Balbus Cornelius major consul, sed accusatus, atque de jure virgarum in eum, judicum in consilium missus : primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum, usus illo honore, quem majores Latio quoque negaverunt. » In quo loco tentando frustra fuit Salmasius, Plin. Exerc. pag. 272. Scribendum : « Atque de jure virgarum in eum judicium in consilium missum. » *Judicium* dicit pro *judices*, ut Cicer. Verr. II, 18 : « Te ex lege Rupilia sortiri judicium debuisse. » Minor Balbus fuit quæstor Asinii Pollionis in Hispania; mox a. U. c. 734, pro consule Africæ, de Garamantibus triumphavit; nec tamen ad consulatum pervenisse videtur. Nam quod Perizonius ex marmore apud Gruterum, p. 299, hunc quoque consulem suffectum fuisse suspicatur, id vix veri speciem habet, quum ille consul non *L. Cornelius Balbus*, sed *L. Cornelius* vocetur. Triumphum ejus memoraot Fasti Capitolini; Strabo III, pag. 257; inprimisque Plinius, Hist. N. V, 5, cujus locus totus adscribendus est : « Omnia armis romanis superata, et a Cornelio Balbo triumphata : uni huic omnium externorum curru et Quiritium jure donato : quippe Gadibus genito civitas romana cum Balbo majore patruo data est. » Ne hic quidem Salmas. sequimur. Tolle præpositionem *a*, ut omnia tertio casu dicantur : « Et Cornelio Balbo triumphata, uni huic omnium externorum curru, etc.; » de quo dativo Drakenb. ad Livium, l. VI, II. Quæ quum ita sint, liquido apparet Velleium aliquid de accurata diligentia sua remisisse, et Balbum consulem cum triumphali confudisse. Hoc autem temeritatis exemplum non Balbus major, sed minor edidit, jam ante a Cæsare ad Lentulum, adhuc in Italia degentem, sollicitandum missus, ut ex Cicerone ad Atticum, VIII, 9, II, 15; IX, 6, intelligitur. Quem quum ibi convenire non potuisset, postea cum Cæsare in Græciam transiens, in ipsis Pompeii castris convenit. De quo itinere, post Cæsar. necem, fabulam prætextatam Gadibus edidit, ut Ciceroni narrat Asin. Pollio, ad Div. X, 32. Major autem Balbus non interfuit bello civili, sed Romæ mansit, Cæsaris et Lentuli negotia procurans. Ipse in epist. ad Ciceronem, quæ est inter Epistolas ad Att. IX, 6, ait : « Mihi ipse Cæsar sua concessit voluntate, ne in iis castris essem, quæ contra Lentulum aut Pompeium futura essent, quorum beneficia maxima haberem : sibique satis esse dixit, si rogatus urbana officia sibi præstitissem, etc. »

1. *Excedente humanam fidem temeritate.* II, 56 : « Quod humanam excedat fidem. » Vide Bentleium ad Manil. II, 617.

2. *Cum Lentulo collocutus cons. dubitante.* Sic editor Basileensis bene mutavit interpunctionem editionis principis : « Cum Lentulo collocutus, consule dubitante. »

natus [1], sed Hispanus in triumphum et pontificatum adsurgeret, fieretque ex privato consularis [2]. Variatum deinde præliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero, quo graviter impulsi sunt Cæsaris milites.

LII. Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ 1
Thessaliam petiit. Pompeius longe diversa aliis suaden- 2
tibus (quorum plerique hortabantur, ut in Italiam transmitteret, neque hercules quicquam partibus illis [3] salubrius fuit [4]: alii, ut bellum traheret, quod dignatione partium in dies ipsis [5] magis prosperum fieret), usus impetu suo [6], hostem secutus est. Aciem pharsalicam, et 3

1. *Non Hispaniæ Asiæ natus.* Alias, *Asiæve.* RHENAN. Mihi videtur legendum : *Non Hispaniæ suæ natus.* BURER. Editor Basil. rescripsit : *Non Hispaniæ Gadibus natus*, cujus conjecturam pro editionis pr. scriptura perperam accepit Rigaltius de Pop. fundis, pag. 199, molieos etiam alia, quæ commemorare et refellere non est tanti. Argutæ Velleii orationi satis convenit, quod Lipsianum ingenium reperit : « Non Hispaniensis natus, sed Hispanus. » De forma *Hispaniensis* videndi Is. Casaubonus ad Spartian. Hadrian. 1 ; Scip. Maffeius ad Mus. Veron. pag. 88 ; et T. Hemsterhus. ad Thom. M. p. 793. Etiam *natus* in hac lectione eleganter abundat, ut ad Rutilium Lup. II, p. 94, ostendimus. Tamen aliud latere videtur, quod acutiores me quærant. Alius alia vulnera sanare potest, nemo omnia.

2. *Ex privato consularis.* Omnino scribendum, *consul.* Librarius, quum *cos.* scriptum invenisset, ex quo *consul* facere debebat, *consularis* fecit, ut apud Livium, l. II, c. 18; ubi vide Drakenb. Perizonius quidem Syllog. Epistoll. t. IV, p. 777 : *consularis* pro *consul* dici putat apud Cicer. Philipp. I, 6; ad Div. X, 6; et Valerium Maxim. IX, 12, 5. Sed de illorum locorum integritate merito dubites. In Cicerone quidem, Phil. I, 6, *consul* pro *consularis* ex libris suis edidit cl. Ernestus.

3. *Part. illis.* An, *illius* ? BURM.

4. *Salubrius fuit. Fuit* pro *fuisset*, perfectum indicativi pro plusquam perfecto subjunctivi. Vide Jac. Frid. Heusingerum V. C. ad Ovid. Epist. XVII, vers. 170.

5. *Quod dignationi partium in dies ipsis.* Exemplar vetustum sic habet: *Quod dignationi partem indie ipsiis*; ubi ego *ipsi* legendum puto, ut ad Pompeium referatur. BURER. Sequimur editorem Basileensem, ita scribentem: « Quod dignatione partium in dies ipsis. » Sic etiam Rhenanus ediderat, nisi quod *dignationi* habet pro *dignatione*; de qua voce vide Drakenborch. ad Livium, II, 16.

6 *Usus impetu suo.* Suo consilio Pompeius Cæsarem secutus est, conflixit cum illo ad Pharsalum alieno. Quod qui minus distinguunt, temere Velleium reprehendunt, ut Fabric. ad Dionem Cass. XLI, p. 298.

illum cruentissimum romano nomini diem [1], tantumque utriusque exercitus profusum sanguinis, et collisa inter se duo reipublicæ capita [2], effossumque alterum rom. imperii lumen [3], tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda [4] hic scripturæ
4 modus. Illud notandum est : ut primum C. Cæsar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius, neque antiquius quicquam habuit, quam in omnes partes [5] (ut
5 militari et verbo et consuetudine utar) dimitteret. Proh

1. *Romano nomini diem.* Exempl. vetus habet : *romani nomini diem.* Opinor etiam *romani nominis diem* legi posse, fortassis etiam debere. BURER.

2. *Et consilio inter se duo reip. capita.* Fortasse legendum *commissa*, RHENAN. Conjicio legendum : « Et consilium inter se duo reip. capita. » BURER. Præclare editor Basileensis restituit : « Et collisa inter se duo reip. capita, » pro editionis primæ scriptura, *et consilio inter se*, etc. Statius, Theb. VI, 435 : « Ambitiosa pios collidit gloria fratres. » Græci centies ita dicunt συγκρούειν. Sed hic *collisa* elegantius dicitur ob adjunctum *capita*, metaphora ducta ab animalibus, quæ mutuo concursu capita collidunt.

3. *Effossumque alterum romani imperii lumen.* Junta consulto, an temere, edidit : *effusumque... lumen* : qui error peperit non necessarias virorum doctorum de verbo *effundere* disputationes.

4. *Enarranda.* Editor Basil. *enarrandos*, sine ulla caussa.

5. *Quam in omnes partes*, etc. Vascosan. *quam ut in omnes partes.* Editor Basil. scripsit : *quam ut omnes patres*, etc. Viri docti in vulgari locutione, *in omnes partes dimittere*, ridicule quærunt verbum militare, quod e contextu excidisse, recte viderunt Schefferus, Misc. Obs. vol. VIII, p. 460, et Burmann. ad. h. l. Sane Velleius aut hoc, aut non multum dissimili modo scripserat : « Neque prius, neque antiquius quicquam habuit, quam ut in omnes partes præcones clamantes, » parce civibus, « ut militari et verbo et consuetudine utar, dimitteret. » Res clara et perspicua est ex simillima narratione Appiani de B. C. II, p. 783 : Κήρυκας εἰς τὰς τάξεις πανταχοῦ περιέπεμπεν (i. e. *in omnes partes dimisit*), οἳ τοῖς νικῶσι ἐκέλευον ἀφειδεῖν τῶν ὁμοεθνῶν, ἐπὶ δὲ τοὺς συμμάχους μόνους χωρεῖν. Sueton. Cæs. 75 : « Acie pharsalica proclamavit, ut civibus parceretur. » Florus, IV, 2, 50 : « Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, sed docta, et ad victoriam efficax, *miles faciem feri* : altera ad jactationem composita : *Parce civibus*, » ubi vide Freinshem. *Parce* autem an illud ipsum vocabulum sit, quod Velleius militare dicit, ut Scheffero placet, in medio relinquo, satis habens, si minus verba Velleii, at sententiam restituisse.

Dii immortales! quod hujus voluntatis erga Brutum suæ postea[1] vir tam mitis pretium tulit? Nihil illa victoria 6
mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem, nisi acie consumptum, civem patria desideravit: sed munus misericordiæ corrupit[2] pertinacia, quum libentius vitam victor jam daret, quam victi acciperent.

LIII. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis 1
consularibus, Sextoque filio[3], et Favonio prætorio, quos comites[4] ei fortuna adgregaverat, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, in qua[5] fidelissimum partium suarum haberet regem Jubam, suadentibus, Ægyptum petere proposuit, memor beneficiorum, quæ in patrem ejus Ptolemæi, qui tum puero quam juveni propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in adversis 2
beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium (is jam a Mytilenis Corneliam uxorem, receptam in navem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti et Achilli[6] exciperent, hortarenturque,

1. *Post eam.* Alias, *postea.* RHEN.

2. *Corrumpit.* Alias, *corrupit.* Mox *Victoriam dare.* Alias, *victores darent.* RHENANUS. Exempl. vetus sic habet, ut legendum existimem: « Quum libentius vitam victor jam daret, quam, etc. BURER. Edit. Basileensis scripsit: « Quum libentius vitam victor daret. » Sed Burerianum *victor jam* propius accedit ad edit. pr. scripturam, *victoriam*. Similis locus II, 85: « Citius vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est. »

3. *Sextoque filio.* Lege *Sextoque filio*, ut hoc *Sexto* sit proprium nomen filii Pompeii. BURER.

4. *Quos comites.* Asteriscum et lectionem marginalem (Alias, *victores darent.*) inducito; nam et superior illa restituta, et inferior hæc lectio integra est. BURER.

5. *In qua.* Editio pr. *in quo*, quod editor Basileensis correxit.

6. *Achillæ.* Exemplar vetus habet *Achili*. Ipse, lector, conjice, utrum horum hoc loco rectius legatur. BURER. Restitui genitivum antiquum, *Achilli*, de quo, præter alios multos, Heinsius ad Ovid. A. A. I, 743, et Bentleius ad Terent. Andr. II, 2, 31. Plures hujus nominis formas esse, *Achilleus*, *Achilles*, *Achillas*, *Achilla*, ostendit Gronov.

ut ex oneraria in eam navem, quæ obviam processerat, transcenderet. Quod quum fecisset, princeps romani nominis, imperio arbitrioque Ægyptii mancipii, C.
3 Cæsare, Publio Servilio coss., jugulatus est. Hic post tres consulatus, et totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id evecti, super quod adscendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, vitæ fuit exitus: in tantum [1] in illo viro a se discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam [2] terra defuerat, deesset ad se-
4 pulturam. Quid aliud quam nimium occupatos dixerim, quos in ætate [3] et tanti, et pæne nostri seculi viri fefellit quinquennium? quum a C. Atilio [4] et Qu. Servilio coss. tam facilis esset annorum digestio [5]; quod adjeci, non ut arguerem, sed ne arguerer.

1 LIV. Non fuit major in Cæsarem [6], quam in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides; quippe quum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, utrique summo imperatorum, alteri superstiti, meritas pœnas luere suppliciis. Nusquam erat Pompeius corpore, ad-

Observ. IV, 15, pag. 238. *Achilleus* idem vocatur a Lucano X, 523.

1. *In tantum.* Lege *intantum*, conjunctim. BURER.

2. *Cui modo ad victoriam*, etc. Pari acumine de Pompeio Valer. Maxim. V, 1, 10: « In suo modo terrarum orbe nusquam sepulturæ locum habuit. » Poeta scholasticus, Anthol. Lat. t. I, pag. 200, in Pompeios: « Junxit magnorum casus fortuna virorum: hic parvo, nullo conditus ille loco est. Ite, novas toto terras conquirite mundo; Nempe manet magnos parvula terra duces. »

3. *Ætatem.* Alias, *ætate*. RHEN.

4. *C. Atilio.* Edit. pr. *C. Attilio.*

5. *Tum facilis esset annorum digestio.* Rectissime editor Basileensis pro *felix*, quod editio prima habet, *facilis* reposuit: quæ vocabula in libris scriptis non parum sæpe permutari, ostendit Dukerus ad Florum, II, 6, 38. et ad Livium, XXXI, 26.

6. *Non fuit major in Cæsarem.* Exemplar vetus habet: *Non fuit ño major in Cæsarem.* Mihi videtur legendum: *Non fuit tamen major in Cæsarem*, etc. BURER. *Non* temere repetiit librarius, ut *mox*, II, 83:

huc ubique Jubæ nomine [1]: quippe ingens partium ejus 2
favor bellum excitaverat africum [2], quod ciebat rex
Juba, et Scipio, vir consularis, ante biennium, quam
extingueretur Pompeius, lectus ab eo socer [3]: eorumque 3
copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate iti-
nerum, locorumque inopia [4], perductis ad eos legioni-
bus: qui vir, quum summum ei a militibus deferretur
imperium [5], honoratiori parere maluit [6].

LV. Admonet promissæ brevitatis fides, quanto 1
omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam
Cæsar, pervectus [7] in Africam, quam, occiso Curione,
Julianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exer-
citus. Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit [8] sua; in-

Mox autem hunc mox avunculum. Quare delevi cum Rhenano et edit. Basileensi.

1. *Adhuc ubique Jubæ nomine.* Ita editio prima. Primus *Jubæ* nomen, huc e sequentibus tractum, expulit editor Basileensis, cujus emendatio latuit Jos. Scaligerum, Animad. in R. Titii Loc. Contr. p. 114, eodem modo corrigentem. De Pompeio victo, sed adhuc superstite, similiter Lucanus, VII, 717: « Scilicet immenso superest ex nomine multum; Teque minor solo, cunctas impellere gentes Rursus in arma potes, rursusque in fata redire »

2. *Excitaverat* **africum.* Asteriscus ante *africum* oblitteretur, quum nihil desit sententiæ Velleii. BURER.

3. *Lectus ab eo sacer.* Exem. vet. habet: *lectus ab eo socer.* BURER.

4. *Locorumque inopia.* Duplici modo dicitur *locorum inopia*, primum vulgari, quum locus angustior est, quam esse debet, ut apud Livium I, 33: « Janiculum quoque adjectum, non inopia, loci sed, etc.; » deinde exquisitiore, quum locus rebus ad vitam necessariis caret. Sallust. apud schol. Juvenalis ad Sat. XV, 115: « Quod, quantum conjicio, locorum egestate, rapto vivere coacti. » Seneca ad Helv. 12: « Nec tantum conditio illos temporum, aut locorum inopia, pauperibus exæquat. » Sic apud Justin. II, 13: *multorum dierum inopia*; apud Columell. IX, 14: *temporum penuria.* Ad quod discrimen Heinsius ad h. l. animum non satis attendit.

5. *Ei ambitus deferretur imperium.* Exempl. vetust. habet: *ei a militibus deferretur imperium. A militibus* in *ambitus* depravatum est, vitio scribæ posterioris. BURER.

6. *Parare maluit.* Pro *parare* legendum videtur *parere.* BURER.

7. *Pervectus.* Scribe: *pervectus est.* Nisi malis *pervectusque* legere, et hæc omnia, deleto puncto post *exercitus*, cum sequenti periodo conjungere.

8. *Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua.* Editio pr. sic habet:

2 clinatæque hostium copiæ. Nec dissimilis ibi adversus
victos, quam in [1] priores, clementia Cæsaris fuit. Vic-
torem africani belli C. Cæsarem gravius excepit hispa-
niense (nam victus ab eo Pharnaces [2], vix quicquam glo-
riæ ejus adstruxit), quod Cn. Pompeius, Magni filius,
adulescens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile
conflaverat, undique ad eum adhuc paterni nominis
magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxi-
3 liis confluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata
fortuna est; sed nullum unquam atrocius periculosius-
que ab eo initum prælium, adeo ut plus quam dubio
Marte, descenderet equo, consistensque ante receden-
tem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in
eum servasset [3] exitum, denuntiaret militibus, vestigio
se non recessurum: proinde viderent, quem et quo loco
4 imperatorem deserturi forent. Verecundia magis quam
virtute acies restitutæ a [4] duce, quam a milite fortius.
Cn. Pompeius, gravis vulnere, inventus inter solitudi-
nes avias, interemptus est; Labienum, Varumque acies
abstulit.

1 LVI. Cæsar, omnium victor, regressus in urbem,
quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra se

Ibi primo varia fortunam expugnavit via, pro quo edit. Basil. rescripsit: *Ibi primo variam fortunam expugnavit*, quod inficetum est præ venustissima verissimaque Acidalii correctione: *Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua*, quod plane sapit Velleii ingenium. Id quum Lipsius etiam sensisset, obtulit se in talis inventi societatem, non satis, ut mihi videtur, honeste.

1. *Quam in priores.* Hæc verba mihi de glossa suspecta sunt. Certe elegantius omittuntur. — Non ausim pronunciare EDITOR.

2. *Pharnaces.* Quem quum *uno et non toto prælio*, ut ait Florus, *obtrivisset Cæsar*, scripsit: *veni, vidi, vici.*

3. *Quod se in eum servasset exitum.* Forte ex Virgil. Æn. v, 625: « Cui te exitio fortuna reservat? »

4. *Acies restitutæ sunt a duce.* Ex. vetus habet: *acies restitutæ C. A. duce*, etc. BURER. Legendum: *acies restitutæ; et a duce*, etc. *Et* pro *et*

arma tulerant, ignovit, magnificentissimis[1] gladiatorii
muneris naumachiæ, et equitum peditumque, simul
elephantorum certaminis spectaculis, epulique per mul-
tos dies dati celebratione, replevit[2] eam. Quinque egit
triumphos; gallici apparatus ex citro, pontici ex acan- 2
tho, alexandrini testudine, africi ebore, hispaniensis
argento[3] rasili constitit; pecunia ex manubiis lata paulo
amplius sexies millies HS. Neque illi tanto viro, et tam
clementer omnibus victoriis suis uso[4], plus quinque 3
mensium principalis quies contigit: quippe quum mense
octobri in urbem revertisset, idibus Martiis, conjura-
tionis auctoribus Bruto et Cassio, quorum alterum pro-
mittendo consulatum non obligaverat, contra diffe-
rendo Cassium offenderat; adjectis etiam consiliariis
cædis familiarissimis omnium, et fortuna partium ejus

quidem, ut lib. II, c. 60: « Maluitque avunculo et Cæsari de se, quam vitrico, credere. » Verbo *sunt*, quod Rheoau inseruerat, facile caremus.

1. *Magnificentissimis glad. mun.* Lege: *magnificentissimisque glad. mun.* BURER. Scribendum: *ignovit: et magnificentissimis*, etc., ut copula et hausta sit ab ultima syllaba verbi *ignovit*.

2. *Replevit eam.* Verba *replere*, *explere*, *implere*, interdum ponuntur recreandi et reficiendi potestate, quam vix quisquam recentiorum interpretum, præter Forcellinum in lex. latino nuper edito, observavit. Velleius, II, 100: « Magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiæque spectaculis animos oculosque populi romani repleverat. » Plinius, Paneg. 26: « Quamquam lætissimum oculis tuis, conspectu romanæ sobolis impleri. » Statius Theb. IV, 759: « Tu refugas vires, et pectora bello Exanimata reple; » ubi scholiastes vet. Barthii bene exponit *refic*. Nazarius Paneg. Constant. 32: « Pari studio missum ejusdem tyranni ad permulcendam Africam caput, ut, quam maxime vivos adflixerat, laceratos expleret. »

3 *Hispaniensis argento rasili.* Hispaniensis triumphi apparatum ex ebore constitisse, scribunt Quintil. VI, 3, pag. 293, et Dio Cass. XLIII, p. 369, quibus facile Velleium concilies, si verba hoc modo transponas: « africi argento rasili, hispaniensis ebore. » Sed verisimilius est, Africam ebur, quo abundabat, ad triumphum africum suppeditasse.

4. *Tam clementer... uso.* Exempl. vetus habet: *tam clementer omnibus victoribus suis uso*, etc. BURER. Ex scriptura, quam Burer. prodidit, ed. Basileensis recte fecit: *tam clementer omnibus victoriis suis uso.* Justin. lib. XXV, cap. 5: *Qui victoria mitius*

in summum evectis[1] fastigium, D. Bruto et C. Trebo-
4 nio[2], aliisque clari nominis viris, interemptus est. Cui magnam invidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega, imponendo capiti ejus Lupercalibus sedentis pro rostris insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur[3].

1 LVII. Laudandum experientia consilium est Pansæ atque Hirtii: qui semper prædixerant Cæsari, ut principatum armis quæsitum armis teneret[4]. Ille dictitans, mori se, quam timeri[5] malle, dum clementiam, quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est: quum quidem plurima[6] præsagia atque indicia Dii
2 immortales futuri obtulissent[7] periculi: nam et haruspices præmonuerant, ut diligentissime iduum Martiarum caveret diem; et uxor Calpurnia, territa nocturno visu, ut ea die domi subsisteret, orabat; et libelli conjurationem nuntiantes dati, ab eo neque protinus lecti

usus. Contra Sulpic. Severus, lib. II, cap. 23: *Cruente admodum victoria sunt usi.*

1. *Evectis.* Sic editor Basileensis scripsit. Editio prima *revectis.*

2. *C. Trebonio.* Sic edit. Basileensis. Editio prima *C. Tribonio.*

3. *Quod ab eo id repulsum erat, ut non offensum videretur.* Alias, *ita repulsum, ut non offensus.* RHENAN. Exemplar vetus sic habet, ut ita legendum videatur: *quod ab eo ideo repulsum erat, ut non offensus videretur;* nisi *offensum* (sic enim habet vetus exempl.) ad *Lupercal* referre velis. BURER. Rhenani correctionem jure recepit editor Basileensis.

4. *Ut principatum armis quæsitum armis teneret.* Sulpic. Severus, Dial. II, 6: « Sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. »

5. *Quam timeri malle. Timere* optime reponit Oudendorp. ex Sueton. Cæsare, 86: « Alii e diverso opinatum, insidias undique imminentes subire semel satius esse, quam cavere semper. » Plutarchus, in Cæs. p. 734, E: Εἰπὼν ὡς βέλτιον ἐστὶν ἅπαξ ἀποθανεῖν ἢ ἀεὶ προσδοκᾷν. Lucanus, quamvis in alia re, VIII, 576: « Letumque juvat præferre timori »

6. *Quum quidem plurima.* Exemplar vet. habet: *quum quidem plurimi*, etc. BURER.

7. *Obtulissent.* Proprie hoc verbo utitur. Servius ad Æneid. VI, 190: « Auguria aut oblativa sunt, quæ non poscuntur: aut impetrativa, quæ optata veniunt. »

erant[1]. Sed profecto ineluctabilis fatorum vis[2], cujuscunque fortunam[3] mutare constituit, consilia corrumpit[4]. 3

1 *Dati, ab eo neque protinus lecti erant.* Sic interpungitur in editione prima. Legendum suspicor : « Et libelli, conjurationem nuntiantes, delati ad eum, neque protinus lecti erant. » Cum Velleii narratione ferme convenit Dio Cass. XLIV, p. 392, ubi vide Fabricium.

2. *Ineluctabilis fatorum vis.* Ex Virgilio, Æneid. VIII, 334 : « Fortuna omnipotens, et ineluctabile fatum. » Pro quo Liv. VIII, 7 : *Inexsuperabilis vis fati*; Ovidius, Met. XV, 807 : *Insuperabile fatum*; Curt. X, 1, 6 : *Inevitabilis sors fati. Ineluctabilis* in prosa etiam dixerunt Senec. Præf lib. III N. Q. p. 706, et Arnob. VII, p. 219.

3. *Cujus quom fortunam.* Exempl. vetus habet : *Cujus cum fortunam.* BURER. Editor Basil. bene correxit : *Cujuscunque fortunam*; quod recepi.

4. *Fatorum vis.... consilia corrumpit.* Eamdem sententiam repetit, l. II, c. 118 : « Ita se res habet, ut plerumque fortuna, mutaturus deus consilia corrumpat. » Pervagata apud veteres opinio fuit, deos illis, quos perdere vellent, sanam mentem eripere, stuporem et oblivionem injicere. Lysias, adv. Andocid. p. 116: Ὁ δὲ θεὸς λήθην ἔδωκεν, ὥστε εἰς τοὺς ἠδικημένους αὐτὸς ὑποθύμασιν ἀφικέσθαι· ubi vide Marklandum. Lycurg. adversus Leocrat. pag. 213 : Οἱ γὰρ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι· quod ipse confirmat præclaris iambis Tragici, Euripidis, ut opinor : Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά, Τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλόν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει Γνώμην· ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει. Quos versus sic expressit Ovid. IV ex P. 12, 47 : « Crede mihi, miseros prudentia prima relinquit : Et sensus cum re consiliumque fugit. » De Pompeio Valer. Max. 1, 6, 12 : « Sed invictæ leges necessitatis pectus, alioqui procul ab amentia remotum, prodigia ista justa æstimatione perpendere passæ non sunt. » Appian. Mithridat. p. 397 : Καὶ ὁ βασιλεὺς μὲν οὐκ ἐπείθετο, οὔθ' ὑπὸ δέους, οὔθ' ὑπὸ ἀγνοίας, ὃ πᾶσιν ἐγγίνεται πλησιαζόντων τῶν κακῶν. Sic illum locum bene correxit P. Wesseling. ad Diodorum Siculum, XIII, pag. 566. Idem in Excerpt. Peiresc. p. 562 : Καὶ σκαιὸς ἐς πάντας ἐγίγνετο, ἀρχομένης αὐτὸν ἐπιλιπεῖν τῆς τύχης· ὥσπερ ἐστὶ πολλοὺς ἰδεῖν μεταβολῆς προϊούσης ἀλογωτέρους γιγνομένους ἑαυτῶν. Ammian. Marcell. l. XIV, c. 11 : « Utque solent manum injectantibus fatis hebetari sensus hominum et obtundi; » ubi vide interpretes. Ex hac opinione explicandus est Lucanus, quem viri docti non satis ceperunt, VII, 58 : « Hoc placet, o Superi, quum vobis perdere cuncta Propositum, nostris erroribus addere crimen ? » Sensus est : Parum est diis, quum omnia perdere constituerint, nobis errorem objecisse, mentem abstulisse, nisi etiam nos crimini obnoxios reddant. Græci, quibus ira deorum intelligentiam abstulisset, θεοβλαβεῖς dicebant, ducta significatione ex Homero, Odys. Ψ, 14 : Οἵ τε περ ἴβλαψαν· πρὶν δὲ φρένας αἰσίμη ἦσθα. Apud Latinos etiam frequens est, *deos iratos habere*, pro *stulte* agere, et contra *propitios*, pro sapere. Vide Brisson. de Form. 1, p. 100.

1 LVIII. Quo anno id patravere facinus Brutus [1] et C. Cassius, prætores erant; D. Brutus cos. designatus. Hi una cum conjurationis globo, stipati gladiatorum D.
2 Bruti manu, Capitolium occupavere, quum cos. Antonius (quem quum simul interimendum censuisset Cassius, testamentumque Cæsaris abolendum, Brutus repugnaverat [2], dictitans, nihil amplius civibus præter
3 tyranni, ita enim appellari Cæsarem facto ejus expediebat, petendum esse sanguinem) convocato senatu (quum jam Dolobella, quem substituturus sibi Cæsar, designaverat cos. fasces atque insignia corripuisset consularia [3]), velut pacis auctor, liberos suos [4] obsides in Capitolium misit, fidemque descendendi tuto interfectoribus
4 Cæsaris dedit: et illud decreti Atheniensium [5] celeber-

1. *Brutus.* Bene Heinsius Bruto reddit prænomen *M* quod in tali et temporia, et conjuratorum descriptione omitti non poterat. Vide Tunstallum, Observat. in Epistol. Cicer. et Brut p. 189.

2. *Brutus repugnaverat.* Inanes sunt ratiunculæ, quibus hoc non ad M. Brutum, sed ad Brutum proxime nominatum, sive Decimum Brutum, referendum contendit Tunstallua, de Cicer. Epist ad Brutum, pag. 206, et Observat. anglice scriptis in easdem epistolas, pag 183, quem satis refutavit Middletonus, Præf. ad easdem epistolas, p. 51. Velleius haud dubie intellexit M. Brutum, ut Plutarchus in Antonium, pag. 921, E.; in Brutum, pag. 992, B., et Appianus, de Bello civili, II, p. 814. Ac nescio, an hic quoque *M. Brutus* plene scripserit. Certe præcedentis verbi ultima litera *m* facile potuit prænomen *M.* elidere.

3. *Insignia corripuisset consularia.* Edit. pr.: *Insignia corripuisset cos.* pro quo Aldus nepos recte edidit: *Insignia corripuisset consularia.* Sallust. Catilina 18: « Ipsi fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinendas duas Hispanias mittere; » ubi vide Cortium. Aurelius Victor, de Vir. III. 70: « Ipse, correptis imperii insignibus, provinciam ingressus. » *Corripere* proprie dicuntur, qui aliena invadunt nullo jure. Vide Duker. ad Liv. XXIV, 4.

4. *Liberos suos.* Sic de uno Antonii filio dicit eum Cicerone, Phil. I, 1, quod alias etiam satis usitatum est. Vide Duker ad Flor. IV, 3, 2, et Drakenb. ad Liv. Ep. 116.

5. *Et illud decreti Atheniensium*, etc. Utitur ipsis fere Ciceronis hac de re verbis, Phil. I, 1: « Atheniensiumque renovavi vetus exemplum: græcum etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione

rimi exemplum, relatum a Cicerone, oblivionis præte-
ritarum rerum, decreto patrum comprobatum est.

LIX. Cæsaris deinde testamentum apertum est, quo 1
C. Octavium, nepotem sororis suæ[1] Juliæ, [2]adoptabat;
de cujus origine, etiam si prævenit, et [3] pauca dicenda
sunt : fuit C. Octavius, ut non patricia, ita admodum 2
speciosa equestri genitus familia, gravis, sanctus, inno-
cens, dives. Hic prætor inter nobilissimos viros creatus
primo loco, quum ei dignatio Julia genitam [4]Atiam
conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedo-
niam, appellatusque in ea[5] imperator, decedens ad
petitionem consulatus obiit, prætextato relicto filio.
Quem C. Cæsar, major ejus avunculus, educatum apud 3
Philippum vitricum, dilexit ut suum, natumque an-
nos XVIII[6], hispaniensis militiæ, adsecutum se, postea
comitem habuit, nunquam aut alio usum hospitio quam
suo, aut alio vectum vehiculo : pontificatusque sacerdo-
tio puerum honoravit ; et patratis bellis[7] civilibus, ad 4

sempiterna delendam censui; » ubi vide P. Mauutium.

1. *Nepotem sororis suæ*. Vide Dukerum, ad Liv. Ep. 116.

2. *Quo C. Octavium adoptabat*. Hoc loco usus est J. Cujacius, de adoptione per testamentum facta disputans, Observ. VII, 7.

3. *Etiam si prævenit et*, Alias, *præventis et, pauca*. RHENANUS. In edit. pr. sic interpungitur : « Etiam si prævenit et, pauca dicenda sunt. » Gesnerus, in Thes. L. L., Rhenani conjecturam secutus, *præventis* explicat, nobis, qui præventi sumus. Sed melius est, ut in re incerta, quod Heinsius reponit : *etiamsi prænitet*, vel *præniteat;* idque placet Oudendorpio, ad Appulei. Met. v, p. 360. Vascos. verba, *si prævenit et*, prorsus omisit.

4. *Atiam*. Sic Aldus nepos edidit. Editio prima *Acciam*, ut cap. 60, *Acciæ* pro *Atiæ*. De *Atia* videndus N. Heinsius ad Virgilii Æn. v, 568.

5. *In ea*. Edit. pr. *in eam*, quod editor Basileensis correxit.

6. *Annos* XVIII. Verius esse *annos* XVII disputat Oudendorp. ad Suet. Aug. 8.

7. *Patratis bellis*. Editio prima, *paratis bellis*, pro quo editor Basil. scripsit, *peractis bellis;* melius Vascosan. et Aldus nepos, *patratis bellis*, quod recepi : nam verbo *patrare* Velleius delectatur, Sallustii imitatione. Vide Duker. ad Flor. II, 15, 1, ubi eodem modo variatur. Quis

erudiendum liberalibus disciplinis [1] singularis indolem juvenis [2], Apolloniam eum in studia miserat, mox belli getici [3], ac deinde parthici habiturus commilitonem.
5 Cui ut est nuntiatum de cæde avunculi, quum protinus ex vicinis legionibus centuriones suam [4] suorumque militum operam ei pollicerentur [5], neque eam sperneudam Salvidienus et Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in urbem, omnem ordinationem et necis, et [6] testamenti
6 Brundusii comperit. Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: et quum intraret urbem, solis orbis [7] super caput ejus, curvatus æqualiter, rotundatusque, in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.

1 LX. Non placebat Atiæ matri, Philippoque vitrico,

primus in recentiores editiones *pacatis bellis* invexerit nescio: Latinos ita loqui non solere, scio Id tamen lexicographi, tamquam bene latinum, receperunt.

1. *Ad erudiendum liberalibus disciplinis*, etc. Malim: *ad erudiendam*, etc., etsi non damno vulgatum. *Indolem*, in quo Burmann. tricatur, accipe pro ingenio: quæ non intelligo, quare minus recte *erudiri* dicatur, quam *educari* a Floro I, 6, 1, cujus locum attulit Wopkensius, Misc. Obs. VIII, pag. 57. *In studia*, quod eidem Burmanno de glossa suspectum est, salvo sensu, abesse posse fateor. Probam tamen locutionem esse, ostendit Ammian. Marcell. XVI, 5: « Quum legeret libellum assidue, quem Constantius, ut privignum ad studia mittens, manu sua conscripserat. » Immo Gronov eamdem formam de conjectura reddidit Quintiliano, Declama , CCCXXXIII, pagin. 683: « Adolescentem dives pauperem impensis suis in studia Athenas misit. »

2. *Singularis indolem juvenis.* Quod post aliis etiam in mentem venit, *singularis indolis juvenem*, jam dederat Vascosanus.

3. *Belli getici.* Vide Dukerum ad Livii Epit. 117.

4. *Centuriones suam.* Edit. prima *suas*, quod edit. Basileensis correxit.

5. *Pollicerentur.* Exemplar vetus habet *pollicentur* BURER.

6. *Omnem ordinationem et necis, et testamenti.* Editor Basileensis rectissime scripsit, *omnem ordinem et necis*, etc. Livius, XL, 55: « Ordinemque omnem facinoris legatorum ministeriique sui exposuit. » Ipse Velleius, II, 119: « Ordinem atrocissimæ calamitatis conabimur exponere. »

7. *Solis orbis*, etc. Hujus ostenti, quod ambitiosius a Velleio narrari, vere judicat Casaubonus ad Sueton. Aug. 95, etiam alii scriptores men-

adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris[1]: sed asserebant[2] salutaria reipublicæ terrarumque orbis fata conditorem conservatoremque romani nominis. Sprevit ita- 2
que cælestis animus humana consilia; et cum periculo potius summa, quam tuto humilia, proposuit sequi; maluitque avunculo et Cæsari[3] de se, quam vitrico credere[4], dictitans nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, semetipsum videri indignum[5]. Hunc 3
protinus Antonius cos. superbe excipit (neque is erat contemptus, sed metus); vixque admisso in Pompeianos hortos, loquendi secum tempus dedit; mox etiam, velut insidiis ejus petitus[6], sceleste insimulare cœpit: in quo turpiter deprehensa ejus vanitas est. Aperte deinde An- 4

tionem fecerunt, quos indicat Fabricius ad Dion. Cas. XLV, p. 422.

1. *Adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris*. Mirum est, hic nominis tantum recepti, non hereditatis, quam omnes cum nomine conjungunt, mentionem fieri. Cicero ad Atticum, XV, 12: « Sed quid ætati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni consilii est. » Vide Dionem Cassium, lib. XLV, p. 421, et quos ibi laudat Fabricius. Omnino locus vitiosus est; qui ne in posterum aliis fraudi sit, ut fuit Henr. Canneg. de Nom. Rom. p. 274, hac emendatione cavemus: « Adiri nomen, invidiosamque fortunam Cæsaris. » *Fortuna* pro *fortunæ*, vel opes dici, etiam tirones sciunt.

2. *Asserebant*. Si sanum hoc verbum est, nihil aliud significare potest, quam vindicabant. Valer. Max. IV, 4, 4: « Quos pericula reipublicæ imperatores asserebant, angustiæ rei familiaris bubulcos fieri cogebant. » Scribendum etiam *orbi* pro orbis, ut Burmanno placet. Ovidius, Met. I, 761: *meque adsere cælo*. Optima tamen ætate aliter loquebantur.

3. *Et Cæsari*. Duplex in duobus verbis elegantia, primum a copula *et*, pro *et quidem* posita, deinde a pondere, quod est in nomine *Cæsari*. Cicero ad Div. II, 7: « A tribuno plebis, et a Curione tribuno; » ubi vide Manut. Liv. XXVI, 13: « Quum hostis alienigena in Italia esset, et Hannibal hostis. » Plutarch. in Sull. p. 466, C: Ἐμοὶ δὲ ἡγεμόνι Ῥωμαίων ὄντι καὶ Σύλλᾳ, τολμᾷς διαλέγεσθαι περὶ προδοσίας. Sed hanc vim nominum propriorum satis illustrarunt viri in paucis eruditi, Perizonius ad Valer. Max. VI, 5, 5, et Valckenarius Diatr. in Euripid. c. 20, p. 211.

4. *Credere*. Sic edit. Basil. scripsit pro *cedere*, quod est in edit. pr.

5. *Semetipsum videri indignum*. Lipsius in margine libri, qui est in Bibl. Leidensi, bene corrigit: *semetipsum sibi videri indignum*.

6. *Velut insidiis ejus petitus*. De his insidiis vide Is. Casaubonum ad Sueton. Aug. 10.

tonii ac Dolabellæ consulum ad nefandam dominationem erupit furor. HS septies millies [1], depositum a C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum ejusdem insertis falsis [2], civitatibusque corruptis, commentariis; atque omnia pretio temperata [3], vendente

1. *HS. septies millies* Vide P. Manutium ad Cicer. Phil. I, 7.

2. *Actorum ejusdem insertis falsis*, etc. Locus prope desperatus, cui primus omnium editor Basil. hanc medicinam facere tentavit: « Actorum ejusdem insertis falsis indubitateque corruptis commentariis; » sed adverbio *indubitate* nullus idoneus scriptor usus est: nam quod lexica ex Liv. XXXIII, 40, laudant: *quæ indubitate Lysimachi fuerint*, id sine dubio a correctore fluxit, quum priscæ editiones, teste Drakenborchio, mendose quidem, sed tamen ut appareat, aliud a Livio scriptum esse, locum ita exhibeant: *sunt quæ diu dubitare Lysimachi fuerint*. Quid alii deinceps ad Velleium sanandum attulerint, apud eos legat, qui volet. Ego mihi non temere persuasi, Velleium hoc modo scripsisse: « Actorum ejusdem, insertis falsis, vitiatique et corrupti commentarii; atque omnia pretio, etc. » De re ipsa sic Cicero Phil. V, 4: « Neque solum commentariis commentitiis, chirographisque venalibus innumerabilis pecunia congesta in illam domum est, quum quæ vendebat Antonius, ea se ex actis Cæsaris agere diceret. » Plutarch. in Anton. p. 922, C: Ἔλαβε δὲ καὶ τὰ βιβλία τὰ Καίσαρος, ἐν οἷς ὑπομνήματα τῶν κεκριμένων καὶ δεδογμένων ἦν ἀναγεγραμμένα· καὶ τούτοις παρεγγράφων οὓς ἐβούλετο, etc. Propius ad Vell. accedit Dio Cass. XLIV, p. 416: Ἀλλ' ἐπειδὴ τάχιστα ἐγκρατὴς τῶν γραμμάτων αὐτοῦ ἐγένετο, πολλὰ μὲν ἀπήλειψε, πολλὰ δὲ ἀντενέγραψεν. Reliquum est, ut bonorum scriptorum exemplis ostendamus, verbum *vitiare* aptum esse huic loco, et sæpe cum *corrumpere* conjungi. Cic. pro Sext. 54: « Comitiorum et concionum significationes, interdum veræ sunt, nonnunquam vitiatæ atque corruptæ. » Liv. l. XL, c. 55: « Falsas esse literas, et a scriba vitiatas. » Seneca apud Lactant. V, 22: « Sed corruptos et vitiosos luxuriose ac delicate patitur vivere. » Arnob. VII, p. 224: « Jam profecto cernetis viscera illa taurorum sacra.... vitiare et corrumpere statum cæli. » Sic etiam *depravare* et *corrumpere* junguntur Cicer. pro Muren. 12: « Ea jureconsultorum ingeniis pleraque corrupta ac depravata sunt. » Seneca, l. c.: « Nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit. » Plin. Paneg. 53: « Quam longa consuetudine corruptos depravatosque mores principatus parens noster reformet et corrigat; » ubi vide Swarzium.

3. *Atque omnia pretio temperata*. Non facile *temperata* cum alio verbo commutem Quod etiam T. Hemsterhusii judicium erat, in Adversariis MSS. hæc annotantis: Apud Vellei. Paterc. II, 60: *atque omnia pretio temperata*, nihil movendum puto: omnia dicit ad pretium redacta, per corruptionem et pretio repræsentato administrata. N. Heinsii *pretio temerata* ne latinum quidem arbitrer. Valer. Max. IX, 5, 3: « Pompeius

rempublicam consule. Idem provinciam D. Bruto de- 4
signato consuli decretam, Galliam occupare statuit;
Dolabella transmarinas decrevit sibi: interque naturaliter dissimillimos, ac diversa volentes crescebat odium;
eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur
insidiis.

LXI. Torpebat[1] oppressa dominatione Antonii civitas; 1
indignatio et dolor omnibus, vis ad resistendum nulli
aderat, quum C. Cæsar, XVIII annum ingressus[2], mira
ausus, ac summa consecutus, privato consilio, majorem
senatu pro republica animum habuit[3]; primumque a 2
Calatia[4], mox a Casilino, veteranos excivit paternos;
quorum exemplum secuti alii, brevi in formam justi
coiere exercitus[5]. Mox quum Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundusium ve-

in foro non erubuit P. Scipionem socerum suum legibus noxium . . . muneris loco a judicibus deposcere, maritalis lecti blanditiis statum reip. temperando.» Perizonius malit, *temerando:* ego firmatam a Codd. lectionem hoc sensu capio: dum precibus ac blanditiis uxoris, filiæ Scipionis, inductus, statum reipublicæ et leges, per quas reum condemnari oportebat, infirmat ac veluti diluit.» Hactenus ille.

1. *Torpebat . . . . civitas.* Sallust. Fragm. p. 367 nostr. ed.: « Si tanta torpedo animos oppressit,» et 400: « Verum occupavit nescio quæ vos torpedo;» Liv. XLIV, 2: « Ut obtorpuisse inops consilii videretur.»

2. XVIIII *annum ingressus.* Chishullus ad Monim. Ancyr. pag. 178, legit: XIX *annum egressus*; sed alters lectio melius convenit Velleii adulationi. Vide interpretes ad. h. l.

3. *Majorem senatu pro rep. animum habuit.* Marklandus ad Stat. Silv. V, 2, 11, legendum conjicit: *majorem ætate pro rep. animum habuit.* Enimvero si Velleius ita scripsisset, non, quod facere voluit, Augusti animum verbis auxisset, sed potius frigide laudasset. Totus contextus *senatu*, non *ætate*, postulat.

4. *Calatia.* Sic editor Basileensis bene scripsit pro *Galatia*, quod est in editione prima. *C* et *G* centies permutantur in libris et lapidibus, ut *Gallæcia*, *Callæcia.* Vide Scaligeri Indicem grammaticum in Gruteri Inscript. in *C.*

5. *In brevi in formam justi coiere exercitus.* Exempl. vet. habet: *brevi in forma justi coire exercitus.* BURER. Credo Burerio, præpositionem *in*, quam Rhenanus dedit, a veteri codice abesse. Alioqui rectum est *in brevi.* Florus, I, 1, 15: *auctis in brevi viribus*; ubi vide Dukerum, et quæ nos ad II, 24, supra pag. 86.

nire jusserat, legio Martia et Quarta, cognita et senatus
voluntate, et tanti juvenis indole[1], sublatis signis ad
3 Cæsarem se contulerunt. Eum senatus, honoratum
equestri statua, quæ hodieque in rostris posita, ætatem
ejus scriptura indicat[2] (qui honor non alii per CCC annos,
quam L. Sullæ, et Cn. Pompeio[3], et C. Cæsari conti-
gerat), pro prætore[4] una cum coss. designatis[5], Hirtio
4 et Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit. Id[6] ab eo
annum agente vicesimum, fortissime circa Mutinam
administratum est; et D. Brutus obsidione liberatus;
Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam:
consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex
vulnere mortem obiit.

1. LXII. Omnia, antequam fugaretur Antonius, hono-
rifice a senatu in Cæsarem exercitumque ejus decreta
sunt, maxime auctore Cicerone: sed, ut recessit metus,
erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit
2 animus. Bruto Cassioque provinciæ, quas jam ipsi sine
ullo senatusconsulto occupaverant, decretæ: laudati qui-
cunque his se exercitus tradidissent[7]: omnia transma-

1. *Tanti juvenis indole.* Malim: *tanta juvenis indole.* Plin. V ep. 9: « Quod in flore primo tantæ indolis juvenis extinctus est. »

2. *Indicat.* Forte rotundior esset sensus, si legeretur, *indicante.* BURMANNUS.

3. *Et Cn. Pompeio.* At de Pompeio, Velleio non credit P. Manutius, adductus his Ciceronis verbis, Phil. V, 15. « Nec vero cuiquam possumus commemorare hunc honorem (statuæ equestris in rostris) a senatu tributum judicio senatus soluto et libero. » Equidem non tam facile fidem Velleio detraham, quum verisimile sit, quod cl. Ernestus monet, Ciceron. rem oratorie auxisse.

4. *Pro prætore.* Editio pr.: *pro P. R.* Sed dudum a Puteano, aliisque recepta est verissima emendatio Sigonii ad Liv. Ep. CXVIII, et Emend. I, 17, 31: *pro prætore.*

5. *Cum coss. designatis.* Immo, magistratum gerentibus, ut demonstrant Manut. ad Cic. Phil. V, 15, et Chishull. ad Monim. Ancyr. p. 182.

6. *Id ab eo.* Pronomen *id*, quod ultima syllaba verbi *jussit* interceperat, editor Basil. restituit.

7. *Quicunque his se exercitus tradidissent.* Recte edit. Basil. *se*, quod ex vicinis vocibus natum est, ejecit. Vide Cicer. Phil. X, 6.

rina imperia eorum commissa arbitrio. Quippe M. Bru- 3
tus et C. Cassius, nunc metuentes arma Antonii, nunc
ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere,
testati edictis, libenter se vel in perpetuo exsilio victu-
ros, dum reipublicæ constaret concordia[1], nec ullam
belli civilis præbituros materiam, plurimum sibi hono-
ris esse in conscientia facti sui, profecti urbe atque Ita-
lia, intento ac pari animo[2], sine auctoritate publica,
provincias, exercitusque occupaverant, et ubicunque
ipsi essent, prætexentes esse rempublicam, pecunias
etiam, quæ ex transmarinis provinciis Romam ab quæs-
toribus deportabantur[3], a volentibus acceperant. Quæ 4
omnia senatus decretis comprensa, et comprobata sunt;
et D. Bruto, quod alieno beneficio viverer[4], decretus
triumphus[5]; Pansæ atque Hirtii corpora publica sepul-
tura honorata. Cæsaris adeo nulla habita mentio[6], ut 5

1. *Dum reip. constaret concordia.* Hoc editor Basil. dedit pro scriptura edit. prim. *dum respublica constaret concordia.*

2. *Intento ac pari animo.* Lipsius in margine libri, qui est in Bibliot. Leidensi, et Burmannus ad Sueton. Cæs. 65, scribunt: *intento ac parato animo.* Quod ex rata formula dictum vulgato prætulerim. Sallust. Cat. 27 *uti semper intenti paratique essent.* Et sic Livius et alii sæpe. Vide Drakenb. ad Liv. xxx, 10.

3. *Ab quæstoribus deportabantur.* Respicit quæstores, Apuleium et Antistium Veterem, qui Bruto, et P. Lentulum, qui Cassio pecuniam publicam dederunt. Id ex Cicerone Phil. x, 11; Lentuli epistola ad Cicer. ad Div. lib. xii, cap. 14; Plutarcho in Bruto, p. 995, C; et Appiano de B. C. iii, p. 921; iv, p. 1023, accurate demonstravit Jer. Marklandus, Animadv. in Ciceronem anglico scriptis, p. 151.

4. *Quod alieno beneficio viveret.* Amarus sareasmns, et similis illi, ii, 82: « Hanc tamen Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. » Vide Heins. ad h. l.

5. *Decretus triumphus.* Vide Gronovium ad Liv. Ep. cxix.

6. *Cæsaris adeo nulla habita mentio.* Utitur verbis Livii Epit. cxix: « Senatus Cæsaris militumque ejus mentionem non satis gratam habnit. » *Mentionem habere* pro *facere*, etiam alii dixerunt. Justin. xiii, 2: « Denique morientem nullam de eo mentionem habuisse. » Asconius in Cic. in Toga cand. p. 433: *quod is nullam mentionem rei habet.* Sulpic. Sever. Ep. ii, p. 371: *Potero illius mentionem habere sine fletu?*

legati, qui ad exercitum ejus missi erant, juberentur summoto eo milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quam fuerat senatus: nam, quum eam injuriam dissimulando Cæsar ferret[1], negavere milites, sine
6 imperatore suo ulla se audituros mandata. Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum et tollendum censebat; quum aliud diceret[2], aliud intelligi vellet.

1 LXIII. Interim Antonius, fuga transgressus Alpes, primo per colloquia repulsus[3] a M. Lepido, qui pontifex maximus in C. Cæsaris locum furto creatus[4], decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur; mox sæpius in conspectum veniens militum, quum et Lepido omnes imperatores[5] forent meliores, et multis Antonius, dum erat sobrius, per aversa castrorum[6] proruto[7] vallo

1. *Cæsar ferret.* Edit. pr. *Cæsari*, quod edit. Basil. correxit.

2. *Quum aliud diceret*, etc. Color est ex Sallustio, Catil. 10: « Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptuoi habere. »

3. *Per colloquia repulsus.* Editor Basil. præter rem scripsit: *spe colloquii repulsus;* cujus conjecturam Lipsius pro editionis primæ scriptura accepit. Intelliguntur colloquia per internuntios ultro citroque missos, ut viri docti viderunt.

4. *Pontifex maximus ..... furto creatus.* Eamdem rem sic expressit Liv. Epitom. CXVII: « In confusione rerum ac tumultu, Lepidus pontificatum maximum intercepit. » Locutionem Velleius habet a Sallust. Jug. 14: « Homines novi, qui antea per virtutem soliti erant nobilitatem antevenire, furtim et per latrocinia potius ad imperia et honores nituntur; » Liv. XLIII, 10: « Nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendæ rei, posceret. »

5. *Quum et Lepido omnes imperatores*, etc. Similis locus II, 69: « Quum et Brutus cuilibet ducum præferendus videretur, et Vatinius nulli non esset postferendus. »

6. *Per aversa castrorum.* Sic edit. Basil. bene correxit scripturam edit. pr.: *per aversam castrorum.* Liv. V, 29: « Quia nocte proditione oppidum captum liberam per aversa urbis fugam dederat; » Plin. H. N. VI, 18: « Gens hæc obtinet aversa montis Paropamisi. » Minus considerate F. Ursin. scribebat: *per aversam castrorum portam;* nam, si per portam receptus est Antonius, quid opus erat proruto vallo?

7. *Proruto vallo.* Est ex Juntæ et editoris Basil. correctione. Edit. pr. *proruta vallo.* Liv. IV, 29: « Et dictator, proruto vallo, jam in castra prælium intulerat; » ubi vid. Gron.

militibus receptus est[1] : qui titulo imperii cedebat
Lepido, quum summa virium penes eum foret. Sub 2
Antonii ingressum in castra Juventius Laterensis, vir
vita ac morte consentaneus[2], quum acerrime suasisset
Lepido[3], ne se cum Antonio, hoste judicato, jungeret,
irritus consilii, gladio se ipse transfixit. Plancus[4] deinde 3

1. *Militibus receptus est.* Heinsius malit : *a militibus recept. e.* Vulgata confirmatur ex II, 39 : « Gallias primum Domitio, Fabio, nepoti Pauli, intratas. » Quamquam ne illius quidem loci scriptura satis certa est.

2. *Vir vita ac morte consentaneus.* Locutionem habet a Cicerone Philip. IX, 6 : « Quum ejus mors consentanea vitæ fuerit, sanctissime honestissimeque actæ. » Eadem forma est in inscriptione apud Reines Cl. VII, n. 30, quam, vereor, ne falsarius aliquis ex Ciceronis verbis laudatis finxerit. Ovidius, Amor. II, 10, 38 : *Conveniens vitæ mors fuit ista suæ.* Justin. VI, 8 : « Neque ab hoc vitæ proposito mortis ratio dissensit. » Suetonius, Othon. 12 : « Mors ejus minime congruens vitæ. »

3. *Quum acerrime suasisset Lepido.* Liv. Epit. XLIX : « Rogationem M. Cato acerrime suasit. »

4. *Plancus.* Nihil illa ætas Planco vidit fœdius ac perditius : quem desultorem bellorum civilium omnes prædicant, maximum adulationis artificem Seneca, Præfatio, lib. IV, N. Q. pag. 741 ; ignavum in bello, Appianus, de Bello Civili, lib. V, p. 1114 et 1118; delicate luxuriosum, auctor epigrammatis, Anthol. Lat. t. I, pag. 305. Etsi igitur maledicere cupienti non deesse poterat materia, tamen Velleius suas caussas habuisse videtur, quare ejus nomini tam acerbe tot locis sempiternas maculas inureret. Gronovius ad Taciti Annal. I, 12, suspicatur Velleium Asinii Galli clientem fuisse, atque ejus gratiæ, non modo laudes patris, sed etiam Planci, qui patris inimicus fuerit, vituperia dedisse. Quæ sententia non uno nomine reprehendenda videtur. Quis enim credat, Velleium, tum aliis summis honoribus, tum prætura functum, se in Asinii Galli clientelam dedisse ? aut quis hominem adeo stultum fuisse putet, ut ejusdem Galli, Tiberio semper invisi, amicitiam et præsidium, magno cum capitis sui periculo, expeteret? At multus est in Asinii patris laudibus celebrandis. Immo justum debitumque insignis viri virtutibus testimonium tribuit, nec quicquam in eo laudat, cujus auctoritatem defugere debeat. Sunt alii, ne de Sejano dicam, quos multo laudarit effusius, ut Messalla Corvinus, lib. II, c. 71, L. Piso, l. II, c. 98, etc. Asinii autem Galli, cujus eum clientem facit Gronovius, ne verbo quidem meminit, quamvis ipse, II, 116, ingenue fateatur, se amicorum suorum mentioni locum in historia quæsisse. Quid igitur ? Num Velleius animi caussa sibi Plancum infamandum sumpsit ? Crediderim, ipsi cum posteris Planci, nominatim cum Planco consulari, quem Lipsius ad Tacit. Annalium lib. I, cap. 39, hujus filium fuisse putat, aliquid simultatis intercessisse, eumque patre vituperando,

dubia, id est, sua fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens [1], et nunc adjutor D. Bruti, designati cos. collegæ sui, senatuique se literis venditans, mox ejusdem proditor; Asinius

ægre filio facere voluisse. Honores Planci recensentur in monumento Caietano apud Gruterum, p. 439, 8, quod levi, vel dicam, nulla de caussa in fraudis suspicionem vocat Scip. Maffeius, Crit. Lapid. pag. 339. Ex hoc et aliunde Planci res gestas illustravit Schœpflinus Alsat. illustr. II, I, 54, dupliciter tamen errans, primum in eo, quod Plancum bis censorem fuisse scribit ex Plinio, H. N. l. XIII, c. 3: « L. Plotium, L. Planci bis consulis, censorisque fratrem, proscriptum a triumviris, etc.; » quum *bis* tantum ad *consulis*, non ad *censoris*, referatur: deinde in eo, quod Plancum cum Tiberio de Rhætis triumphasse credit. Nullum enim Tiberio ob Rhætos domitos triumphum decretum esse, vel ex Velleio intelligitur, II, 96, 97, 121, 122. Vide Oudend. ad Sueton. Tiber. 9. Quid? si triumphus *ex Rhætis*, qui in monumento Caietano memoratur, non diversus est a triumpho *ex Gallia*, a. U. c. 711, cujus Fasti Capitolini et Velleius mentionem faciunt? Nam si alius præter hunc Planci triumphus fuisset, qui in monumento, quod ejus honori proprie consecratum erat, silentio præteriri potuisset? Mecum sentit Freinshemius Suppl. Liv. 120, pag. 760, re bene perpensa, scribens: « L. Plancus triumphavit ex Gallia, Rhætis devictis. » Cæterum quam pravus Planci animus, tam rectum et elegans erat ingenium. Quo captus Cicero, eum inter eloquentiæ studiosos, qui domi suæ declamarent, facile admisit. Hieronymus Chronic. p. 155: « Munatius Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis. » Ipse Cic. ad Div. X, 3, ei *summam eloquentiam* tribuit. Exstant undecim ejus epistolæ inter Ciceronianas ad Div. X, de quibus idoneus priscæ elegantiæ arbiter, Jos. Scaliger, Animadv. in Euseb. Chron. pag. 168, sic judicat: « Quibus (epistolis) ego judico nihil absolutius esse, nihil castius, elegantius, rotundius, sine ulla putiditate et cacozelia. » *Planci* nomen, ut hoc obiter addamus, cum *Plancii* confunditur apud Porphyrionem ad Horat. Serm. I, I, 105: « Tanais spado fuit, ut quidam aiunt, Mæcenatis libertus, ut nonnulli, L. Munatii, ut nonnulli, Plancii. » Corrige: « ut nonnulli, L. Munatii Planci. »

1. *Sibi difficile consentiens.* Cicero de Off. I, I: *si sibi ipse consentiat*; pro quo alibi dicit, *si sibi ipse constet*. Lepide ac venuste Plato Gorg. p. 295, E: Οὔ σοι ὁμολογήσει Καλλικλῆς, ὦ Καλλίκλεις, ἀλλὰ διαφωνήσει ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ· quod recte explicat Olympiodorus Comment. MS.: Οὐδέποτε σαυτῷ συμφωνήσεις, ἀλλ' ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ διαφωνήσεις τυφλώττων. Hæc inconstantia aliis atque aliis modis exprimitur. Liv. IV, 2: *ne secum quidem ipse concors*; Ovid. Trist. V, 5, 35: *ipsa sibi discors*; Seneca de Brev. Vit. 2: *sibi displicens levitas*; Sulpicius Severus Dial. I, 6: « Miror, unum eumdemque hominem tam diversum a se esse potuisse. »

autem Pollio, firmus proposito, et Julianis partibus fidus, Pompeianis adversus; uterque exercitus tradidere Antonio.

LXIV. D. Brutus, desertus primo a Planco, post 1
etiam insidiis ejusdem petitus, paulatim relinquente
eum exercitu, fugiens, in hospitis cujusdam, nobilis
viri[1], nomine Cameli[2], domo, ab his, quos miserat Antonius, jugulatus est, justissimasque optime de se me-
rito viro C. Cæsari pœnas dedit. Cujus quum[3] primus 2
omnium amicorum fuisset, interfector fuit; et fortunæ,
ex qua fructum tulerat[4], invidiam in auctorem relega-
bat; censebatque æquum, quæ acceperat a Cæsare,
retinere; Cæsarem, quia illa dederat[5], perisse[6]. Hæc 3
sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus
æternas Antonii memoriæ inussit notas[7]; sed hic fulgen-

1. *In hospitis cujusdam, nobilis viri.* Hujus loci si meminisset R. Bentleius, non sollicitasset Ciceronem Tuscul. Disput. I, 48: Alcidamas quidam, rhetor antiquus in primis nobilis, scripsit etiam laudationem mortis.» Quamquam eum ab hac lectione mutanda revocare poterat ipse Cicero de Divin. I, 40: «Quo in genere Marcios quosdam fratres, nobili loco natos, apud majores nostros fuisse scriptum videmus.» Scilicet utriusque linguæ scriptores *quidam* vel de nobilissimis hominibus dicunt, si aut sibi, aut quibus scribunt, minus noti sint: quod multis exemplis demonstravit J. Perizonius, Syllog. Epistoll. t. IV, p. 778.

2. *Nomine Cameli.* Editor Basil. scripsit *Capeli*, ex Liv. Ep. CXX; ubi vide Duker. et Drakenb. Idque sequitur Muret. ad Senec. Ep. LXXXII. Ad Velleii narrationem, nominisque scripturam proxime accedit Appian. de B. C. III, p. 950, Κάμιλλον hominem vocans. Quæ nominis scriptura verior sit, non tanti est quærere.

3. *Quum primus.* Sic Junta et editor Basil. ediderunt. Editio princ. *cum primis.*

4. *Fortunæ, ex qua fructum tulerat*, etc. Non dissimilis est locus Hirtii de B. Alex. 50: «Familiares Cassii, quum in illa societate versarentur rapinarum, nihilo minus oderant eum, cujus nomine peccabant: sibique, quod rapuerant, acceptum referebant; quod interciderat, aut erat interpellatum, Cassio adsignabant.»

5. *Quia illa dederat.* Sic edit. pr. Sed præferam, quod Aldus nepos edidit: *qui illa dederat.*

6. *Peris.* Alias, *perisse* vel *perire.* Rhenan. Prius Junta recepit, posterius edit. Basil. Elegantius est *perisse*, præteritum pro præsenti. Vide Gronovium ad Senec. Troad. 1085.

7. *Ætern. Anton. mem. inussit*

tissimo et cælesti ore, at tribunus Canutius[1] continua
4 rabie lacerabat Antonium[2]. Utrique vindicta libertatis morte stetit: sed tribuni sanguine commissa proscriptio[3]; Ciceronis, velut satiato Antonio[4] pœna, finita. Lepidus deinde a senatu hostis judicatus est, ut ante fuerat Antonius.

1 LXV. Tum inter eum, Cæsaremque, et Antonium commercia epistolarum; et conditionum jacta[5] mentio, quum Antonius et subinde Cæsarem admoneret, quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent; et in quod jam emersissent fastigium; et quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur[6]; denuntiaretque, se cum Bruto Cassioque, qui jam decem et septem legionum

notas. Ex Cicerone Philip. XIII, 19, ut Acidalius vidit: « Quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriæ sempiternæ. » Vide Broukhus. ad Propertium, III, 9. 40. Velleium sic expressit poeta scholasticus Anthol. Lat. t. 1, p. 343: « Vulnere nempe uno Ciceronem conficis: at te Tullius æternis vulneribus lacerat. »

1. *Canutius.* Ex Aldi nepotis correctione. Edit. pr. *Cannutius.*

2. *Continua rabie lacerabat Ant.* Legendum: *canina rabie lacerabat Antonium*; quod epitheton et *rabies* et *lacerabat* postulant. Sallust. apud Non. Marcell. p. 60: *caninam, ut ait Appius, facundiam exercebat.* Sed in hac locutione illustranda nihil nobis reliqui fecerunt J. Cujacius Observ. IV, 40, et Jo. Savaro ad Sidon. Apoll. IV, 3. Librarius ut *continua* pro *canina* scriberet, *continuis actionibus*, quæ modo præcedunt, inductus videtur.

3. *Tribuni sang. commissa proscriptio.* Canutium non anno, quo proscriptio facta est, sed quatuor annis post periisse, docet Perizonius, Anim. Hist. c. 2, p. 51.

4. *Ciceronis, vel satiato Antonio*, etc. In edit. pr. hic locus ita legitur et distinguitur: « Sed tribuni sanguine commissa, proscriptio Ciceronis vel satiato Antonio pœna finita. » Quam scripturam distinctionemque Claud. Puteanus sic mutavit: « Sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis, velut satiato Antonio, pœna finita. » Perplacet mihi *velut*, quod etiam, II, 67, cum *vel* permutatur; at interpungendum hoc modo: « Sed tribuni sanguine commissa proscriptio, Ciceronis, velut satiato Antonio pœna, finita. » In *Ciceronis* intellige *sanguine*. Liv. XXIX, 9: « Nec satiatus virorum pœna, insepultos projecit. »

5. *Jacta mentio.* Mihi videtur leg. *facta mentio.* BURM.

6. *Brutus Cassiusque attollerentur.* Hos adversariorum sermones refellit Cicero Phil. XI, 14: « Animadverti, dici jam a quibusdam, exornari etiam

potentes[1] erant, juncturum vires suas, si Cæsar ejus
aspernaretur concordiam; diceretque, plus Cæsarem
patris, quam se amici ultioni[2] debere. Igitur[3] inita po- 2
tentiæ societas, et hortantibus orantibusque exerciti-
bus, inter Antonium etiam et Cæsarem facta adfinitas;
quum esset privigna Antonii desponsa Cæsari; consu-
latumque iniit Cæsar pridie, quam viginti annos imple-
ret[4], x kalend. octobres, cum collega Q. Pedio, post
urbem conditam abhinc annis DCCVIII[5], ante LXXII, quam
tu, M. Vinici, consulatum inires. Vidit hic annus Ven- 3
tidium[6], per quam urbem inter captivos Picentium in
triumpho ductus erat, in ea consularem prætextam jun-
gentem prætoriæ[7]: idem hic postea triumphavit.

LXVI. Furente deinde Antonio, simulque Lepido, 1
quorum uterque, ut prædiximus, hostes judicati erant,
quum ambo[8] mallent sibi nuntiari[9] quid passi essent,
quam quid emeruissent[10], repugnante Cæsare, sed frus-

nimiom a me Brutum, nimium Cassium ornari, » ubi Cicero *ornare* dicit, quod Velleius *attollere*, alii *evehere*. Tacit. Ann. III, 72: « Quum Junium Blæsum, procoosulem Africæ, triumphi insignibus attolleret. » Pacatus Paneg. 16: « Præfectus attollitur? imponendum est provinciæ caput. » Etiam simplex *tollere* sic dicitur. Horat. I. Carm. I, 8: « Certat tergeminis tollere honoribus. » Tac. Ann. IV, 8: « Ne secus, quam suom saoguinem, foveret ac tolleret. »

1. *Legionum potentes*. Liv. XXIII, 16: « Poteutes rerum suarum atque urbis; » ubi vide interpretes.

2. *Ultioni*. Sic editor Basil. correxit scripturam edit. pr. *ultione*.

3. *Igitur*. Ita conjicit Rhenanus pro lectiooe portentosa *tur*, quam habet ed. pr. Ego leg. poto *tum* vel *tunc inita potentiæ societas*; sed lectio Rhen. non usquequaque displicet. BURER. Com Basil. *igitur* recepi.

4. *Quam viginti annos impleret*. Vide interpretes ad Liv. Ep. CXVI.

5. DCCVIII. Alduauepos recte scribit, DCCXI.

6. *Ventidium*. De illo veterum loca congessit Pighius, Annal. t. III, p. 472.

7. *Jungentem prætoriæ*. Edit. pr. *prætoria*, quod edit. Bas. correxit.

8. *Quom ambo*. Exempl. vet. hab. *cum ambo*. BURER.

9. *Quum ambo mallent sibi nuntiari*. Gesnerus Thes. L. L. v. *Emereor* exponit, quum ambo magis recordarentur; sed quis unquam eo modo locutus est? Ego verbum *nuntiari* in mendo cubare puto.

10. *Emeruissent*. Alias, *demeruis-*

tra adversus duos [1], instauratum Sullani exempli ma-
1 lum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit,
quam quod aut Cæsar aliquem proscribere coactus est,
aut ab ullo [2] Cicero proscriptus est; abscisaque [3] scelere
Antonii vox publica [4] est, quum ejus salutem nemo de-
fendisset, qui per tot annos et publicam civitatis, et
3 privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, M.
Antoni [5] (cogit enim excedere propositi formam operis,
erumpens animo ac pectore indignatio); nihil, inquam,
egisti, mercedem cælestissimi oris et clarissimi capitis
abscisi numerando, auctoramentoque funebri [6] ad con-
servatoris quondam reipublicæ tantique cos. [7] invitando

sent. RHENAN. Editur Basileensis, *meruissent.*

1. *Sed frustra adversus duos.* Concinnius et magis Velleianum : *sed frustra adversos duos uno.*

2. *Aut bullo.* Forte, *aut ab illo*, vel, *ab ullo.* RHENAN. Junta et edit. Basil. receperunt, *ab illo;* rectius Lipsius, *ab ullo.*

3. *Abscisaque.* Vascosan. *abscissaque*, et mox *abscissi.*

4. *Vox publica.* Cornelius Severus, Ciceronis mortem deplorans, apud Senec. Suas. VI, p. 49 : « Publica vox sævis æternum obmutuit armis; » Lucan. I, 270, de Curione : « Vox quondam populi, libertatemque tueri Ausus. Vide cl. Burmann. Sec. ad Anthol. Lat. t. I, p. 337.

5. *Nihil tamen egisti, M. Antoni.* Velleius æque ac Plinius H. N. VII, 30, in Ciceronis laude celebranda, et morte deflenda, cum historicis, quorum excerpta dedit Seneca pater, Suasor. VI, certamen iniisse videtur. Velleium autem certatim expresserunt poetæ scholastici, Anthol. Lat. t. I, pag. 342 : « Nil agis Antoni : scripta diserta manent; » pag. 347 : « Sed nihil infanda profecit cæde tyrannus. Ingenium vivit, corpus inane perit. »

6. *Auctoramentoque funebri. Funebri* pro funesto, quod Grævius, Syllog. Epistoll. t. IV, p. 423, latine dici negabat; sed multis exemplis refellitur. Dira sacra, quæ *funesta* Lucan. VII, 167, Ovidius vocat *funebria*, Trist. IV, 4, 85. Plinius H. N. XXVI, 1 : « Ægypti peculiare hoc malum, et, quum in reges incidisset, populis funebre. »

7. *Invitando necem.* Editio prim. *irritando*, ex quo Lipsius, una litera mutata, rectissime fecit *invitando;* quod ipse Velleius confirmat loco, quem Burm. laudat, II, 67 : « Velut in dotem invitamentumque sceleris. » Cicero pro Ligar. 4 : « Ipse jubebat occidi, nullo postulante : præmiis etiam invitabat. » Virgil. Æn. V, 291 : « Hic, qui forte velint rapido contendere cursu, Invitat pretiis animos, et præmia ponit. » Plinius H. N. XIV, 28 : « Atque etiam præmio invitatur ebrietas. » At *mer-*

necem. Rapuisti tu M. Ciceroni[1] lucem sollicitam, et 4
ætatem senilem, et vitam miseriorem te principe[2], quam
sub te triumviro mortem : famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris.
Vivit, vivetque[3] per omnem seculorum memoriam ; 5
dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcunque constitutum rerum naturæ corpus[4], quod ille pæne solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem ævi sui laudem Ciceronis trahet; omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur; citiusque in mundo genus hominum * quam [5] cedet.

LXVII. Hujus totius temporis fortunam ne deflere 1
quidem[6] quisquam satis digne[7] potuit, adeo nemo expri-

cede irritare latine dici credam, ubi illud exemplis demonstratum videro.

1. *Rapuisti tu M. Ciceroni*. Edit. pr. *Rapuisti tum Ciceroni;* pro quo editor Basil. eleganter scripsit : *Rapuisti tu M. Ciceroni*, quod admisimus.

2. *Vitam miser. te principe*, etc. Colorem duxit e Sallustio Jug. 14 : « Pauci, quibus relicta anima, clausi in tenebris, cum mœrore et luctu, morte graviorem vitam exigunt ; » ubi vide Cortium. Sententia gemina dixit Seneca pater, Suas, VI, p. 38 : « Inutilis Ciceroni sua vita futura proponitur, morte gravior, detracta libertate »

3. *Vivit, vivetque*, etc. Sollennis formula. Plin. II, Ep. 1 : « Vivit enim, vivetque semper, atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabitur. » Vide Bentlei. ad Horat. II, Carm. 2, 7, et Drakenb. ad Livium, XXXIX, 40. Velleium imitatur poeta scholast. Anthol. Lat. t. I, p. 344 : « Ac, ne quid fortuna viro nocuisse putetur, Vivus in æternum docta per ora volat; » Item alius, pag. 348 : « Vivit, et ingenti pollet cum laude per orbem. »

4. *Rerum naturæ corpus*. Plato Tim. p. 527, D : Τὸ τοῦ παντὸς σῶμα, quod Cicero de Univ. 5, vertit *universitatis corpus*. Plinius H. N. II, 1, et Lactant. VII, 14, dicunt *rerum naturæ opus*. Vide cl. Marklandum ad Stat. Silv. V, 3, 200.

5. * *Qu. cedet*. Apparet hic aliquid deesse. Forte legendum est : *quam hujus nomen cadet*. RHENAN. Eadem sententia de Cicerone Seneca pater, Suas. VI, p. 37, ex emendatione Gronovii, quam hic Velleii locus confirmat : « Idem virtutis tuæ, qui finis est mortalium. »

6. *Ne deflere quidem*. Exempl. vet. hab. *nec deflere quidem*. BURER. Sunt mihi ad manum bina editionis primæ exempla, quorum alterum *ne* habet, alterum *nec*.

7. *Ne deflere quidem quisquam satis digne*. Florus, IV, 6, 4 : « Pro

2 mere verbis potest. Id tamen notandum est, fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam: adeo diffi-
3 cilis est hominibus utcunque conceptæ spei mora[1]. Ne quid ulli sanctum relinqueretur[2], velut in dotem[3] invitamentumque sceleris[4], Antonius L. Cæsarem avunculum, Lepidus Paulum fratrem proscripserant; nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater ejus
4 Plancus Plotius proscriberetur; eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi Plancique secuti erant, inter execrationem[5] civium usurpabant hunc versum: *De Germanis*[6], *non de Gallis, duo triumphant consules.*

quibus quis pro dignitate rei ingemiscat?» obi vide interpretes.

1. *Utcunque conceptæ spei mora.* Intelligit filios parentum mortem exspectantes, de quibus diximus ad Rutil. Lup. I, p. 21.

2. *Ne quid ulli sanctum relinqueretur.* Dubito, an Burmannus Velleii sententiam satis recte ceperit. Certe ejus explicatio ipsis scriptoris verbis obscurior est. Ego sic intelligo: Antonius et Lepidus proximis proscribendis exemplum aliis dederunt cognatorum, omni pietate abjecta, violandorum. Sallustius in Fragm. apud Bimardum Diss. I, in Muratorii Inscript. pag. 3: «Neque sanctum aut nefandum quicquam fuit iræ barbarorum;» quod imitatur Tacitus Hist. III, 51: «Tantum victoribus adversus fas nefasque irreverentiam fuisse.» Neque Antonius et Lepidus coacti, ut vir clarissimus scribit, sed sua voluntate, saltem non nimis inviti, proximos proscripserunt, ut idoneis testimoniis demonstravit J. Perizonius, Animadv. Hist. c. III, p. 139.

3. *Velut in dotem.* Sic correxit editor B sil. quod fugit Freinshem. ad Flor. IV, 6, 4. Editio pr. habet: *vel in dotem. Vel* et *velut* etiam, II, 64, permutantur.

4. *Invitamentumque sceleris.* Forte elegantem locutionem sumpsit a Livio, II, 42: «Largitiones temeritatisque invitamenta horrebant;» ubi vide Drakenborch.

5. *Inter exsecrationem.* Recte Heinsius addit copulam: *et inter exsecrationem*

6. *De Germanis.* L. Paulum Lepidi triumviri germanum, non adoptione fratrem fuisse, ostendit Perizon. Animadv. Hist. cap. III, p. 124; Plotium Plancum, Planci consulis germanum fratrem, Wesseling. Observ. II, 21, p. 235. Plotium etiam in proscriptis commemorat Appian. de B. C. IV, p. 961, de quo hoc singulare narrat Valer. Max. VI, 8, 4: «Adjunxit se iis cladibus L. Plotius Plancus, Munatii Planci consularis et censorii frater. Qui quum a triumviris proscriptus in regione salernitana lateret, delicatiore vitæ genere, et odore unguenti, occultam salutis custodiam detexit;» ubi editorum

LXVIII. Suo præteritum loco referatur : neque enim persona umbram actæ rei capit[1]. Dum in acie pharsalica Africaque[2] de summa rerum Cæsar dimicat, M. Cælius[3], vir eloquio animoque Curioni simillimus, sed in utroque perfectior, nec minus ingeniose nequam, quum in modica quidem servari posset[4] (quippe pejor illi res 1

socordia *Minucii* pro *Munatii* in textu reliquit. Valerii narrationem confirmat Plinius H. N. XIII, 3, ex eoque Solinus, cap. 46 : « L. Plotium, L. Planci bis consulis, censorisque fratrem, proscriptum a triumviris, in salernitana latebra unguenti odore proditum constat. » Luxuries hominis etiam notatur epigramm. veteri Anthol. Lat. t. I, p. 305. Cæterum Burm. Secundus V. C. ad Anthol. Lat. t. I, p. 423, lusum ambiguum in voce *Germanis* bene comparat cum simili Ciceronis Phil. XI, 6 : « Lumen et decus illius exercitus pæne prætorii, C. Annium Cimbrum, Lysidici filium, Lysidicum ipsum, quoniam omnia jura dissolvit; nisi forte jure Germanum Cimber occidit; » ubi Ernestus noster, historiam, ad quam alludatur, se ignorare confessus, Cimbrum, cædis in Germano factæ reum fuisse, et male absolutum, suspicatur. At, quomodo Cicero intelligendus sit, jam ostenderat Quintil. lib VIII, cap. 3 : « Cimber hic fuit, a quo fratrem necatum hoc Ciceronis dicto notatum est, *Germanum Cimber occidit.* »

1. *Neque enim persona umbram actæ rei capit.* Rara loquendi forma, cujus exemplum nec ipse reperi, nec ab aliis repertum scio. De sensu, accesserim Gesnero, Thes. L. L. v. *Umbra*, sic interpretanti : « Non talis est persona Cælius, ut taceri ejus acta possint; *umbra* hic est obscuratio, silentium de illo. » Eodem redit, quamvis minus simplex, Burmanni explicatio.

2. *Africa.* Acuta et vera Lipsii emendatio : *circaque.*

3. *M. Cælius.* Hujus insignia oratoris vitam accurate enarravit, ejusque Epistolis præmisit P. Manutius. Nomen ejus sæpe in *Cæcilii* abiit, ut apud Plinium H. N. VII, 49 : « M. Cæcilius Rufus et C. Licinius Calvus eodem die geniti sunt, oratores quidem ambo, sed tamen dispari eventu; » ubi Harduinus pravam scripturam inepte defendit ex ejusdem, XXVII, 2 : « Hoc fuit venenum, quo interemptas a Calpurnio Beatia oxores M. Cæcilius accusator objecit. » Utroque enim loco scribendum : *M. Cælius.* Priore quidem sic corrigendum viderat Colerus ad Valer. Max. IV, 2, 7, quod, ut sexcenta alia, Harduinum fugit. Idem error est in Prisciano, VI, p. 678 : « Cæcilius : Nullæ nationi tot, tantas, tam continuas victorias, tam brevi spatio datas arbitror, quam vobis. » Quod fragmentum quum ex oratione ad Quirites sumptum sit, non ambigam corrigere, *Cælius;* qui ab eodem Prisciano etiam laudatur, XIII, p. 960. Plura de hac nominum permutatione Drakenborch. ad Liv. Ep. III; et nos ad Jul. Rufinian. de Fig. Sent. et Eloc. p. 211.

4. *Quum in modica quidem servari posset.* Hæc est editionis primæ lec-

familiaris quam mens erat), in prætura novarum tabula-
2 rum auctor exstitit, nequiitque senatus et auctoritate
coss.[1] deterreri, accito etiam Milone Annio, qui non
impetrato reditu, Julianis partibus infestus erat, in urbe
seditionem, haud magis occulte[2] bellicum tumultum
movens, primo summotus[3] a republica, mox consulari-
bus armis, auctore senatu, circa Thurios[4] oppressus est.
3 Incepto pari[5], similis fortuna Milonis fuit; qui Comp-
sam[6] in Irpinis oppugnans, ictusque lapide, tum P.
Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas de-

tio, pro qua edit. Basil. quem nullæ salebræ morabantur, audacter hyperbolicam, et ab historiæ scriptore alienam, locutionem posuit: *quum ne a diis quidem servari posset*. Invenit tamen, qui ejus conjecturam sequerentur, Ursinum ad h. l., P. Manutium in Cælii Vita, paulo ante laudata, aliosque plures. Forte Vell. scripsit: *quum in otio ac quiete servari non posset*. Tale quid etiam Freinshemio in mentem venisse videtur, qui Suppl. Liv. III, p. 602, hunc locum respiciens, ita scribit: « Nisi forte homo ingeniosissime nequam æris alieni magnitudine, ut alii multi, ad res novandas impulsus est, quod servari se posse in otio desperabat. » *Otium* et *quietem* Velleius etiam jungit, I, 7; Sall. Jug. 66: « Vulgus cupidum novarum rerum, quieti et otio adversum. » Ita si legamus, hic locus eamdem sententiam habet, quam alter, II, 49: « Quum Lentulus salva republica salvus esse non posset. »

1. *Senatus et auctoritate coss.* Ed. Basil. copulam transposuit: *senatus auctoritate et coss.* Sed frequens est talis vocum trajectio. Sueton. Ner. 15: « Triumphalia ornamenta, etiam quæstoriæ dignitatis, et nonnullis ex equestri ordine tribuit; » ubi vide Oudendorp. Bene autem Lips. *cos.* scripsit, ut unus consul Servilius intelligatur.

2. *Haud magis occulte*. Forte: *aut magis occulte*. Rhenan. Mihi (quantum ex vetusto codice conjicere potui) legendum videtur: « In urbe seditionem, magis autem occulte bellicum tumultum movens, etc. » Burer. Nihil verius Lipsii emendatione, *in agris*, quam Burmannus bonis rationibus confirmat. Si *haud* est in veteri codice, legerim: « In urbe seditionem, at in agris occulte bellicum, etc. » *Haud* et *at* non raro confunduntur.

3. *Summotus a rep.* Cæsar de B. C. III, 21: « Senatusque Cælium ab republica removendum censuit. » Vide Gronovium ad Liv. V, 11.

4. *Thurios.* Editio prima *Turios*.

5. *Incepto pari*. Non in dativo, sed ablativo, absolute dictum sumo, pro, quum par inceptum esset, ut cepit etiam Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 60. Itaque post *pari* minorem distinctionem, quam editio prima habet, revocavi.

6. *Compsam*. Vide quæ notavimus ad lib. I, cap. 14, p. 34, not. 4.

dit; vir inquies[1], et ultra fortem temerarius[2]. Quatenus autem aliquid ex omissis peto, notetur immodica et intempestiva libertate usos adversus C. Cæsarem, Marullum Epidium, Flavumque Cæsetium[3] tribunos plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, pæne vim dominationis expertos. In hoc tamen sæpe lacessiti principis ira excessit[4], ut censoria potius contentus[5] nota, quam animadversione dictatoria, summoveret eos a republica testareturque, esse sibi miserrimum, quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas. Sed ad ordinem revertendum est.

LXIX. Jam et Dolabella in Asia C. Trebonium consularem, cui succedebat[6], fraude deceptum, Smyrnæ

1. *Vir inquies.* L. II, c. II: « Impotens, semperque inquietus; » ubi forte scrib. *inquies;* cui formæ librarios sæpe notiorem *inquietus* substituisse, decet Oudend. ad Appul. Metamor. II, pag. 128; l. II. c. 77: « In quo tamen animus inquies manere non potuit. » Sallustius, Fragm. « Ingenium inquies atque indomitum; » ubi vide Cortium. Arusianus Mess. *Elocutionum* libello MS.: « Inquies illius. » Sallust. Histor. IV. « L. Hostilius Dasianus, inquies animi. » Inde, præter Velleium, sumpserunt alii Sallustii imitatores, Sulpic. Sev. II, 46; Septimius de B. Tr. II, 24; et Hegesipp. IV, 6. Vide Gronovium Observ. in Script. Eccl. 16, p. 176. Pro *inquies*, Velleius, II, 23, dixit, *quietis impatientissimus.*

2. *Ultra sortem temerarius.* Ex. vetus habet: *ultra fortem temerarius.* BURER. *Ultra fortem temerarius* est magis temerarius, quam fortem decet; at fortis nunquam temerarius est. *Ultra sortem temerarius* cum Lipsio explicari potest, magis temerarius, quam exsulis sorti convenit. Mihi, ut verum fatear, neutra lectio placet. De vi præpositionis *ultra*, qua Velleius delectatus est, præter interpretes ad h. l. vide Dukerum ad Flor. II, 7, 9.

3. *Cæse etium.* Alias, *Sæsetium.* RHENAN. Exempl. vetus habet: *Cæsetium*, etc. BURER.

4. *In hoc.... ira excessit. In hoc* non sexto, sed quarto casu pro *huc* sumendum. Livius, VIII, 33: « Quo ultra iram violentiamque ejus excessuram fuisse? » IX, 26: « Eoque ira processit, ut Romæ quoque, etc. »

5. *Contentus.* Exempl. vet. habet, *contemptus.* BURER.

6. *Cui succedebat.* H. Norisius ad Cenotaph. Pis. Diss. II, §. 4, p. 278, Velleium erroris postulat, quod Dolabellam, cui Syria, non Asia, provincia obvenisset, Trebonio in Asia successisse scripsit. Etiam Lipsio hæc non satis accurate tradita videbantur. Sed librarii error non debet in Velleium conferri; is enim sine dubio scripserat: *cui succensebat.*

occiderat, virum adversus merita Cæsaris ingratissi-
mum, participemque cædis ejus, a quo ipse in consu-
2 lare provectus fastigium fuerat; et C. Cassius, acceptis
a Statio Murco[1] et Crispo Marcio[2], prætoriis viris, im-
peratoribusque[3], prævalidis in Syria legionibus, inclu-
sum Dolabellam (qui præoccupata Asia in Syriam per-
venerat) Laodiciæ, expugnata ea urbe[4], interfecerat[5],
ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter
cervicem daret; et decem legiones in eo tractu sui juris
3 fecerat[6]. Et M. Brutus C. Antonio, fratri M. Antonii,
in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium[7] volentes

1. *A Staio Murco*. Alias, *Sexto*. Rhenan. Rhenanus in fraudem inductus videtur corrupta lectione Appiani de B. C. l. iv, pag. 1000: Καὶ Σέξτιον Μοῦρκον ὑπὸ Καίσαρος αὐτοῖς σὺν τρισὶ τέλεσιν ἐπιπεμφθέντα, etc.; ubi Noris. ad Cenotaph. Pis. Diss. ii, §. 3, pag. 274; Wesseling. Obs. i, 13; et Fabric. ad Dion. Cass. xlvii, p. 510, bene corrigunt: Στάτιον Μοῦρκον. *Staius* pro *Statius* etiam est apud Velleium, ii, 72, 77; quod mendum sustulerunt Vascosanus et F. Ursinus. Frustra autem Norisius l. c. negat, familiam *Staiam* inter Romanos reperiri: nam *Staius*, tribunus, est apud Tacit. Ann. iv, 27, t. i, p. 434 nostræ edit. alii plures in Muratorii inscriptionibus.

2. *Crispo Marcio*. De eo vide Fabricium ad Dion. Cassium, l. xlvii, pag. 510.

3. *Imperatoribusque*. Edit. pr. *imperatoribus*, *qui*. Editor Basil. *qui* delevit; sed lenius est remedium edit. Boohommel.: *imperatoribusque*.

4. *Laodiceam expugnata ea urbe*, etc. Exempl. vetus habet: *Laodicia expugnat*. Burer. Ut hic vetus codex *Laodicia* habet pro *Laodicea*, sic contra, ii, 87, *Alexandrea* pro *Alexandria*. Quam duplicem in urbium nominibus scripturam exemplorum vi illustrarunt Heinsius ad Virgil. Æn. i, 201, et Drakenborch. ad Liv. xxxi, 43.

5. *Ea urbe fecerat*, etc. Forte leg. *interfecerat*, vel *confecerat; ita tamen, ut ad ictum*. Rhenan. Hunc locum cum multis fœdisque maculis ita exhibet edit. prima: « Laodiceam expugnata ea urbe fecerat, ita tamen ut adjectum servi sui, etc. » Nos, Rhenani Vossiique emendationes secuti, veram lectionem in textu expressimus. Vascosan. edidit: *Laudicia expugnata interfecerat*.

6. *Sui juris fecerat*. Hanc locutionem sumpsit Sulpic. Sever. ii, 17: « Per omne imperium, quod sui juris effecerat; » Lucan. vii, 55: « qui tot simul undique gentes Juris habere sui vellet. » Vide Gronov. ad Livium xxix, 31, et Duker. ad eumdem, xxxii, 33.

7. *Voluentis legiones*. Exemplar vetus habet: *volentis legiones*, sicque leg. Burer.

legiones extorserat : sed Antonium bello [1] lacessierat ;
Vatinium dignatione obruerat ; quum et Brutus cuilibet
ducum præferendus videretur, et Vatinius nulli nomini
non esset postferendus [2] ; in quo deformitas corporis cum 4
turpitudine [3] certabat ingenii, adeo ut animus ejus dig-
nissimo domicilio inclusus [4] videretur ; eratque septem

1. *Sed Ant. bello lacess.* etc. Hunc locum ex editoris Basil. restitutione exhibuimus. Edit. pr. habet pravam et lectionem et interpunctionem : « Sed Antonium bello lacessierat Vatinius, dignatione obruerat. »

2. *Nulli nomini non esset postferendus. Nomini* in textum venit ex variante scriptura sequentis *non*, atque adeo delendum. Quod tam perspicuum est, ut nemini, præter Aldum nepotem, in mentem venisse mirer. Simile mendum olim insidebat Ciceroni, Parad. IV, 1 : « Cum ferro pulsis magistratibus, senatus nomen in rep. non erat ; » sed Grævius, *non* sublato, vim et elegantiam illi loco reddidit. *Nulli homini* dedit Vascosan.

3. *In quo deformitas cum turpitudine.* Exempl. vetust. habet : « In quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii. » BURERIUS. Seneca, de Const. Sap. 17 : « Vatinium hominem natum et ad risum, et ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem, memoriæ proditum est. In pedes suos ipse plurima dicebat, et in fauces concisas. Sic inimicorum, ... et inprimis Ciceronis urbanitatem effugit. » Quod a Seneca scriptum esse, magnopere miror. Tantum enim abest, ut Vatinii deformitas Ciceronis urbanitatem effugerit, ut is potius crebra dicta in ejus strumam jecerit, apud Plutarch. in Cicer. p. 865, B ; ad Att. II, 9, pro Sext. 65 ; in Vatin. 2, 16 ; quorum locorum postremum male a Scaligero ad Catull. Carm. 53, sollicitatum, nec bene a Grævio declaratum, unus recte cepit Manutius. Ejusdem ventrem obesum et projectum ridet Cicero in Vatin. 4 ; pedes podagra contusos Augustus, apud Macr. Sat. II, 4, p. 334. Cæterum hunc Velleii de Vatinio locum festivum vocat Manutius ad Cic. in Vatin. 1.

4. *Animus ejus dignissimo domicilio inclusus.* Ut Velleius turpi animo turpe corpus, velut dignum domicilium, tribuit, sic veteres quidam pulchram animam in pulchro corpore habitare censuerunt. Socrates, teste Maximo Tyrio, Diss. XXV, p. 303, et XXVII, p. 331, pulchros juvenes captabat, et in corporis pulchritudine cernebat οἱονεὶ μελλούσης ἀρετῆς ἄνθος, καὶ προοίμιον κάλλους ἀραιοτέρου. Huc respexit Eumenius, Paneg. Constantin. 17 : « Non frustra doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, et ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illos cælestis spiritus intrarit habitator. » Quem locum imitando expressit alter ex eadem ætate orator, Pacatus, Paneg. 6 : « Non frustra plane opinione sapientium, qui naturalium momenta caussarum subtilius sciscitati, arcanis cælestibus nobiles curas intulerunt, augustissima quæque species plurimum

5 legionibus validus; et lege Pedia, quam cos. Pedius, collega Cæsaris, tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aqua ignique damnatis interdictum [1] erat. Quo tempore Capito, patruus meus, vir ordinis sena-
6 torii, Agrippæ subscripsit in C. Cassium. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat; Brutus Lycios devicerat; et inde in Macedoniam exercitus trajecerant: quum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret; neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturius destituerit [2], quam Brutum et Cassium.

creditur trabere de cælo. Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium, sive quum venerit, fingit babitaculum pro babitu suo, sive aliud ex altero crescit, etc. » Inscriptio Benevent. apud Jo. de Vita, p. 54: « Nam fuit eximia specie miroque decore. Mens inerat vere corpore digna suo. » Locutionem, *corpus animi domicilium*, philosophia proprism esse, docet H. Grot. ad II ad Corinth. v, 1.

1. *Aqua ignique damnatis interdictum erat.* Vocem *damnatis*, ex glossa natam, bene expunxit P. Delbenius apud Aldum nepotem.

2. *Veluti fatigata maturius destituerit.* Hunc locum, ob singularem elegantiam, a Velleio mutuatus est Lucanus, II, 727: « lassata triumphis Destituit fortuna tuis. » Hæc enim meliorum MSS. lectio, cui scioli *descivit*, *recessit*, et alia substituerunt. Nec est necesse cum Bentleio scribere: « lassata triumphos Destituit fortuna tuos; » quamvis Velleius id confirmare videatur: nam *destituit* absolute ponitur, ut v, 297: « quando pietasque fidesque Destituunt. » Vetus autem opinio fuit, fortunam, ubi nimium indulsisset, fatigari solere, et tandem deficere; quam primus sic expressit Euripides in Stobæo Grotii, pag 433: Οὐ χρή ποτ' ὀρθαῖς ἐν τύχαις βεβηκότα Ἕξειν τὸν αὐτὸν δαίμον' εἰσαεὶ δοκεῖν· Ὁ γὰρ θεός πως, εἰ θεόν σφε χρὴ καλεῖν, Κάμνει ξυνὼν τὰ πολλὰ τοῖς αὐτοῖς ἀεί· ubi interpretes κάμνει, non *fastidit* vertere debebant, sed *lassatur*, *fatigatur*, *deficit*. Justin. lib. XII. 8: « Ne fortunam suam nimia onerando fatiget; » ubi vide J. F. Gronov. Seneca, Agam. 89: « Sidunt ipso pondere magna, Ceditque oneri fortuna suo; » Curt. VIII, 3: « Fortuna indulgendo ei nunquam fatigata; » Plinius, H. N. VII, 40: « Ut alia non sint, certe ne lassescat fortuna metua est; alter Plinius, Paneg. 61: « Nec unquam in hoc opere, aut animus tuus, aut fortuna lassetur. » Non dissimilis sententia est in Florilegio MS. Biblioth. Leidensis: Ἡ τύχη, καθάπερ μοχθηρὸς ὁδοίπορος, πολλάκις ἐκ μέσης εὐτυχίας ἀναλύειν

LXX. Tum Cæsar et Antonius trajecerunt exercitus in Macedoniam, et apud urbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu, cui Brutus præerat, impulsis hostibus, castra Cæsaris cepit; nam ipse Cæsar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio[1] medico, ne in castris remaneret, manifesta denuntiatione[2] quietis territo. Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum ac male mulcatum[3], in altiora se receperat loca[4]. Tum Cassius ex sua fortuna eventum collegæ æstimans, quum dimisisset evocatum, jussissetque nuntiare sibi, quæ esset multitudo ac vis hominum, quæ ad se tenderet, tardius eo nuntiante, quum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium[5], neque pulvere facies aut 1

2

εἴωθεν, ὥσπερ ἐξ ὁδοῦ· ubi pro ἀναλύειν scribendum καταλύειν.

1. *Ab Artorio medico.* Veterum scriptorum de eo loca diligenter indicavit Fabricius ad Dionem Cass. XLVII, p. 520. Smyrnenses ejus memoriæ hunc titulum posuerunt: Μάρκον Ἀρτώριον Ἀσκληπιάδην θεοῦ Καίσαρος σεβαστοῦ ἰατρὸν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος τῶν Σμυρναίων ἐτίμησαν ἥρωα πολυμαθίας χάριν. In quem singularem, etsi nulla exquisitiore eruditione commendabilem, libellum scripsit Carolus Patinus. Eamdem inscriptionem repetit Scip. Maffeius Mus. Veron. pag. 55. Ad hunc ipsum Artorium R. Chandlerus V. C. Inscript. pag. 57, refert lapidem, a se Athenis repertum, cum hac inscriptione: Ὁ δῆμος Μάρκον Ἀρτώριον εὐεργεσίας καὶ εὐνοίας ἕνεκα. Verum quum ille titulus nullum medici indicium habeat, non huic, sed alteri nescio cui, dedicatus videtur. *M. Artorius*, a medico diversus, occurrit apud Gruter. p. 130, 1, et Murator. p. 258, 1.

2. *Manifesta denuntiatione.* Sic bene scripsit Heinsius. Edit. prima *manifeste*; ex quo Vascosan. male *manifestæ*.

3. *Male mulcatum.* Est ex Puteani correctione. Editio pr. ut semper in hoc verbo erratur: *male multatum.*

4. *In altiora receperat loca.* Edit. Basil. bene *se*, quod exciderat, revocavit: *in altiora se receperat loca.* Vide Burm. ad h. l. Frustra Vossius vulgatum defendit ex mendoso loco Valer. Flacci, V, 102: *altius in ventos recipit ratis*; ubi cum doctissimo Herelio, Epist. Crit. p. 70. scribendum: *altius in ventos rediit ratis.*

5. *Cursu ad eum tendentium.* Sallustius, Jug. 91: « Pedites cursu tendere ad Capsam jubet. » Ex quo clarum est, Heinsium, *cursus* legentem, non emendasse hunc locum, sed corrupisse. Adde Burmann. ad hunc locum.

signa denotari[1] possent; existimans hostes esse, qui irruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto præbuit. Deciderat Cassii caput,
3 quum evocatus advenit, nuntians Brutum esse victorem; qui quum imperatorem prostratum videret: « Sequar, inquit, eum, quem mea occidit tarditas; » et ita
4 in gladium incubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus, et victus acie, quum in tumulum[2] nocte ex fuga se recepisset, impetravit a Stratone Ægeate, familiari suo, ut manum morituro commoda-
5 ret sibi; rejectoque lævo super caput brachio[3], quum mucronem gladii ejus dextera tenens, sinistræ admovisset mammillæ, ad eum ipsum locum, qua cor emicat, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus expiravit protinus.

1 LXXI. Messalla[4], fulgentissimus juvenis, proximus

1. *Denotari.* Rariore significatione dicitur pro noscitari, cognosci. Cic. Acad. II, 18: « Sapientem, quum ei res similes occurrant, quas non habeat denotatas, retenturum assensum. »

2. *In tumulum.* Sic Vascosan. et editor Basil. scripserunt, pro *in tumultum*, quod est in editione pr.

3. *Rejectoque lævo super caput brachio.* Burmann. Misc. Obs. VIII, p. 389, scribit: « Nisi ἀκυρολογίαν Velleii noscerem, emendationem Heinsii, *erecto*, probarem: nam *rejicimus* proprie illa, quæ a nostro corpore arcemus et repellimus, etc. » Vellem, vir doctissimus vel unum ἀκυρολογιῶν, quas jactat, exemplum in scriptore, quem ego proprietatis verborum studiosissimum fuisse reperio, indicasset: nam quod Velleium verbo *rejicere* contra veterum consuetudinem usum dicit, non meminerat, illud sæpe poni pro reclinare, reflectere. Terent. Andr. I, I, 109: « Rejecit se in eum, flens quam familiariter; » Curt., X, 5: *fatigata membra rejecit.* Appulei. Met. II, p. 86: « Et statim rubore suffusus, rejecto capite restiti. » Hic autem *rejecto* a Velleio scriptum esse, ipsa natura rei docet. Brachium enim non, nisi ejus rejectione, vel reclinatione, imponi capiti potest.

4. *Expiravit. Protinus Messalla.* Perplacet mihi interpunctio Jo. Schefferi, Misc. Obs. IX, pag. 170, *protinus* non ad *Messalla*, etc., sed ad *expiravit* referentis. Idque sequi non dubitavi, præsertim confirmatum a Plutarcho in Bruto, p. 1009, B: Ἐκεῖνον δὲ ῥύμῃ προσβαλόντα τὸ στέρνον καὶ διώσαντα, συντόμως ἀποθανεῖν· et ab ipso Velleio, II, 120:

in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, quum essent, qui eum ducem poscerent, servari beneficio Cæsaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius: nec aut Cæsari quicquam ex victoriis suis fuit lætius, quam servasse Corvinum; aut majus exemplum hominis grati ac pii, quam Corvinus in Cæsarem fuit. Non 2
aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit: tum Catonis filius cecidit; eadem Lucullum, Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit; nam Varro[1] ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius[2], Juliæ Augustæ[3] pater, 3
et Varus Quintilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit; Varus autem liberti, quem id facere coegerat, manu, quum se insignibus honorum velasset, jugulatus est.

LXXII. Hunc exitum M. Bruti partium, septimum 1

« Ut protinus pariter sanguinis cerebrique profluvio expiraret. »

1. *Varro*. Forte hic fuit M. Terentius Varro, quem in proscriptis nominat Dio Cass. XLVII, p. 499, qui agnomine quodam, sed quod Dio tacet, a Romanorum doctissimo, et altero, tribuno pleb., distinguebatur. Popma ad h. loc., eumque secutus Rupertus ad Valerium Max. p. 308, agnomen *Luculli* fuisse conjiciunt; sed mihi non persuadent.

2. *Drusus Livius*. De eo Oudendorpius ad Sueton. Tib. 3.

3. *Juliæ Augustæ*. Ita per anticipationem vocat *Liviam*, ut post alios notavit Spanhemius de U. et P. N. Diss. XI, p. 275. Pulchre observat Is. Casaub. ad Suet. Aug. 101, *Juliæ* nomen multo crebrius in lapidibus et nummis, quam in scriptorum libris, reperiri; ex eoque suspicatur, *Juliam* in libris, ut magis obnoxiis corruptelæ, sæpe in *Liviam* abiisse. Quæ non vana est suspicio. Quippe librarii apud Plin. ut hoc utar, H. N. VII, 13; X, 55; XIV, 6, et aliis locis, *Juliæ Liviam* substituerunt, antiquissimis tantum libris, in quibus sunt Leidenses, veram lectionem retinentibus. Illud autem monstri simile est, repertos esse viros eruditos, qui contra tot veterum testimonia, quæ Puteanus ad h. l. Lipsius ad Tac. Ann. I, 8, et Spanhemius l. c. collegerunt, prope impudenter negarent, Liviam Juliæ nomen gessisse. In quo errore etiam Harduinus, ubique apud Plinium *Liviam* edens pro *Julia*, versatus videtur; sed eos erudite refutavit Bimardus ad Jobertum de Re Numar. t. II, pag. 275. — Flavius Josephus

et xxx annum agentis, fortuna esse voluit : incorrupto animo ejus in diem[1], quæ illi omnes virtutes unius te-
2 meritate facti[2] abstulit. Fuit autem dux Cassius melior quanto vir Brutus : e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium; in altero major vis, in altero virtus; qui si vicissent, quantum reipublicæ interfuit, Cæsarem potius habere, quam Antonium principem, tantum retulisset habere Bru-
3 tum, quam Cassium. Cn. Domitius, pater L. Domitii, nuper a nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis viri, avus hujus Cn. Domitii, clarissimi juvenis, occupatis navibus, cum magno sequentium consilia sua comitatu, fugæ fortunæque se commisit,
4 semetipso contentus duce partium. Statius Murcus[3], qui classi et custodiæ maris præfuerat, cum omni commissa sibi parte exercitus[4] naviumque, Sex. Pompeium, Cn. Magni filium, qui ex Hispania revertens,
5 Siciliam armis occupaverat, petit[5]. Ad quem et e Brutianis castris[6], et ex Italia, aliisque terrarum partibus,

Liviam ubique Ἰουλίαν appellat nec audiendus Scaliger, Animad. Euseb. 2053, qui hoc nomen librario mendo attribuit. Editor.

1. *Corrupto animo ejus in diem.* Suam Velleio manum restituit Jac. Tollius ad Auson. p. 309, corrigens : *incorrupto animo ejus in diem. In* sæpe absorptum est a verbo præcedenti. In tanta rei perspicuitate, *incorrupto* pro *corrupto* in textum admisi.

2. *Unius temeritate fecit.* Alias, *facti*. Rhenan. Recepi Rhenani correctionem, *facti*, pro nihili lectione *fecit*, quæ est in edit. pr. Eam confirmat Valerius Max. vi, 4, 5, loco simillimo : « M. Brutus suarum prius virtutum, quam patriæ parentis parricida (uno enim facto et illas in profundum præcipitavit, et omnem sui nominis memoriam inexpiabili detestatione perfudit), ultimum prælium initurus, etc. »

3. *Statius Murcus.* Ed. pr. *Staius Murcus.* Vide quæ notavimus ad ii, 69. In eadem editione male interpungitur : « Semetipso contentus duce. Partium Staius Murcus, etc.; » quod editor Basil. mutavit.

4. *Parte exercitu.* Alias, *exercituum*. Rhenan. Melius editor Basil. *exercitus*. Errant autem viri docti, qui *navium*, non *naviumque*, in editione pr. esse dicunt.

5. *Petit.* Editor Basileensis *petiit.*

6. *Ad quem et e Brutianis castris.*

quos præsenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant: quippe nullum habentibus statum[1] quilibet dux erat idoneus; quum fortuna non electionem daret, perfugium ostenderet[2]; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret[3].

LXXIII. Hic adulescens erat studiis rudis, sermone 1
barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitator
celer[4], fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis: quem senatus, pæne totus adhuc e 2
Pompeianis constans partibus, post Antonii a Mutina

Alias, *quin et*. RHEN. Lectio Velleii bene habet Vet. cod. dabat: *atque me Te brutianis castris*, etc. BURER.

1. *Nullum habentibus statum*. II, 2: « Promulgatis agrariis legibus, omnium statum concutientibus. » *Status* in utramque partem dicitur de conditione vitæ vel fortunæ, etiam a Cicerone, ut Ernestus in Clav. h. v. ostendit. Itaque sæpe promiscuæ ponuntur *status* et *fortuna*, ut apud Justin. III, 1; XI, 15.

2. *Perfugium ostenderet*. Editor Basil. temere *sed* inculcavit: *sed perfugium ostenderet*, quasi particula adversativa non multo elegantius abesset. Dici vix potest, quoties etiam librarii, ubi forte oratio non satis cohærere videretur, talia supplementa inserserint. Seneca de Benef. 1, 5: « Non potest beneficium manu tangi: animo cernitur; » ubi librario codicis Vossiani necessarium visum est *sed* immittere: *sed animo cernitur*. Similis interpolatio sine dubio corrupit alium locum Senecæ, Ep. CVIII, p. 535: « Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, sed philosophiam oderat, ad pristinam consuetudinem redii. » Legendum: « Patre itaque meo rogante, qui calumniam timebat, non philosophiam oderat, ad pristinam, etc. Vide præter Burm. ad h. l. criticos, quos laudat Oudend. ad Cic. de Inv. 1, 41.

3. *Temp. fug. stat. pro portu for.* Proverbii species. Seneca, de Otio Sap. 32, p. 582: « Alii petunt illam: nobis hæc statio est, non portus. »

4. *Cogitator celer*. Alias, *cogitatione*. RHENANUS. Vox *cogitator* his occurrit in glossis veteribus: Βουλευτικὸς, *cogitator*, et Λογιστικὸς, *cogitator*; nec eam Velleio eripi volebat Hemsterhusius in Adversariis MSS. Mihi tamen blanditur Rhenani emendatio, *cogitatione celer*, vel potius Schefferi, Misc. Observ. IX, p. 170, *cogitatu celer*. Rarior forma *cogitatu* facile in *cogitator* depravari potuit. Appulei. Met. IV, pag. 245: « Divinato et antecapto meo cogitatu. » Sulpic. Sever. Epist. II, 26: « Malitiæ et nequitiæ cogitatu pectus emunda. » Immo *cogitatione* vel *cogitatu* non solum membrorum æqualitas postulat, sed etiam alter locus, II, 118: « Juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio. »

fugam [1], eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque trans-
marinas provincias decreverat, revocatum ex Hispania,
ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius
prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, et oræ
3 maritimæ præfecerat. Is tum [2], ut prædiximus, occupata
Sicilia, servitia fugitivosque in numerum exercitus sui
recipiens, magnum modum legionum effecerat [3]; perque
Menam et Menecraten, paternos libertos, præfectos
classium, latrociniis ac prædationibus infestato mari,
ad se exercitumque tuendum rapto utebatur, quum eum
non depuderet, vindicatum armis ac ductu patris sui
mare infestare piraticis sceleribus [4].

1. *Post Antonianam fugam.* Ex. vetustum sic habet : *post Antonii A muti iam f.gam.* Quid bic legendum conjiciam nescio, nisi si cui, *post Antonii a Mutina fugam*, legendum videatur. BURER. Verissima est Bureri correctio, quam jure receperunt Junta, editor Basil. et post eos alii. Sed Velleius tempus restitutionis Pompeii, et præfecturæ ipsi demandatæ, non satis distinguere videtur. Restitutum esse, ante Antonii a Mutina fugam, ex Cicerone Phil. v, 15; XIII, 4. 5; et Dione Cass. XLV, p. 425, intelligitur : præfectum esse oræ maritimæ, post ejusdem a Mutina fugam, ex Dione, XLVI, p. 479; quamquam Appianus etiam de B. C. IV, p. 1020, utramque rem in idem tempus conjecit.

2. *Is tum.* Sic Vascosan. et editor Basileensis correxerunt scripturam editionis primæ *Istum.*

3. *Magnum modum legionum effecerat.* II, 96 : « Modum virium alio loco explicabimus; » Curt. VI, 4 : « Pomorum quoque ingens modus nascitur; » Sulpic. Sev. l. I, c. 37 : « Auri atque æris ex præda immensum modum retulit. » Alia dedit Drakenb. ad Liv. Ep. 58. Pro *legiones efficere*, Velleius, II, 109, dicit *exercitum facere;* quod, miror, a Seneca Epist. CXIV, pag. 564, inter Sallustii singularia referri, quum omnes omnium ætatum scriptores, Græcorum exemplo, ita locuti reperiuntur. Vide Gronov. ad Liv. XXIII, 25, et Cort. ad Sall. Fragm. p. 998.

4. *Piraticis sceleribus.* Lips. acute legendum vidit : *piraticis celocibus.* Livius, XXXVII, 27 : « Apparuit inde, piraticas celoces et lembos esse. » Tamen virum egregium non dicam vox, sed forma vocis, qua Velleius usus est, fefellit : nam haud dubie scribendum : *piraticis celetibus.* Plinius H. N. VII, 57 : « Cymbam Phœnices invenerunt, celetem Rhodii. » Placidi Glossæ MSS. *Celotes*, *veloces.* Corrige : *celetes*, *celoces.* Glossæ Isidori : *cetes*, *oves*, *aves;* ubi Grævius pro *cetes* in MS. reperit *celes.* Glossographus, ni fallor, scripsit : *celetes*, *celoces*, *naves.* Adde Gellium, X, 25; Isidor. Origg. XIX, 1, et Salmasium ad Jus atticum et rom. p. 698. Utrumque vocabulum,

LXXIV. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, 1
Antonius transmarinas obiturus provincias [1] substitit;
Cæsar in Italiam se recepit, eamque longe quam spe-
raverat tumultuosiorem reperit. Quippe L. Antonius 2
cos. vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quæ
interdum [2] in illo erant, expers, modo apud veteranos
criminatus Cæsarem, modo eos, qui juste divisione
prædiorum [3], nominatisque colonis [4] agros amiserant,
ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat. Ex 3
altera parte uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre præter
corpus gerens, omnia armis tumultuque miscebat: hæc

celox et *celes*, græcum est, nec nisi forma differt. Photius Lexico MS. Κέλης· τὸ λῃστρικὸν πλοῖον. Ut Velleius dixit *mare infestare celetibus*, sic Cic. apud Non. Marcell. p. 125: « Mare habere infestum myoparone. » Qui locus si Heinsio in promptu fuisset, non, puto, poeticum verbum *incestare* Velleio obtrusisset. At Vossius non his parvis et agilibus, sed gravioribus navibus mare a Pompeio infestatum dicit. Ridicule. Quasi vero ad piraticam faciendam quadriremes accommodatæ essent, leves agilesque naves non essent. Atqui *celes* celeritate, unde nomen invenit, omnes naves vincebat. Etymol. M. p. 350, 7: Ἐπακτροκέλης· συντίθεται ἐκ τε κέλητος καὶ ἐπακτρίδος· πλοῖα δὲ ἦν βραχέα λῃστρικά· ἡ μὲν ἐπακτρὶς, εἰς τὸ κατάγειν (Sic lege e MS. Leidensi) τὰ συλώμενα· ὁ δὲ κέλης, εἰς τὸ διώκειν καὶ φεύγειν· κουφότατος γὰρ ἦν. Sed Vossium aberrantem in viam reducere poterat Plutarchus, Anton. p. 930, A: Σέξτου δὲ Πομπηΐου .... Ἰταλίαν πορθοῦντος λῃστρίσι ναυσὶ πολλαῖς, ὧν Μηνᾶς ὁ πειρατὴς καὶ Μενεκράτης ἦρχον. Cæterum sententiam Velleianam sic expressit Lucanus, VI, 421: « Qui mox Scyllæis exsul grassatus in undis, Polluit æquoreos siculus pirata triumphos. »

1. *Substitit.* Hæret Burmannus in loco facili. Non substitit Antonius in Asia, ut ipse suspicatur, sed apud Philippos in Macedonia, ut contextus docet. Ex Macedonia abiit in Græciam, inde demum in Asiam. Itineris ratio clara est ex Plutarcho in Anton. 925, et Dione Cass. XLVIII, pag. 528.

2. *Interdum.* Male pro *interim* accipit Acidalius, quem refellunt Gruterus ad h. l. et Dukerus de latin. Jurisconsultis vet. pag. 377.

3. *Juste divisione prædiorum.* Non ita Velleius frontem perfricuerat, ut hanc prædiorum divisionem *justam* diceret; nec contra *injustam* dicere, quod Lipsio placebat, Augusti adulatio sivit. *Jussa* autem *divisione*, quod Heinsius conjicit, dignius est poeta, quam prosæ orationis scriptore. His incommodis medebimur, si non ita magna literarum mutatione legamus: *instituta divisione prædiorum.* Vascosan. *justa divisione.*

4. *Nominatisque colonis.* Scriben-

bellis sedem Præneste ceperat [1] : Antonius pulsus undique viribus Cæsaris, Perusiam se contulerat; Plancus, Antonianarum adjutor partium, spem magis ostende-
4 rat [2] auxilii, quam opem ferebat Antonio. Usus Cæsar virtute et fortuna sua, Perusiam expugnavit; Antonium inviolatum dimisit; in Perusinos magis ira militum, quam voluntate sævitum ducis; urbs incensa, cujus initium incendii [3] princeps ejus loci fecit Macedonicus, qui subjecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit.

1 LXXV. Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod, professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat T. Claudius Nero, prætorius et pontifex, T. Cæsaris pater, magni vir [4] animi, [5] doctissi-

dum: *nominatisque coloniis.* Frontinus de Colon. p. 138: « Sicut ante colonias nominatas exquisita sunt, exsequi oportet. »

. 1. *Bellis sedem Præneste ceperat.* Si *bello* scriptum esset, nihil mutarem: de quo dativo vide quæ notavi ad Rutil. Lup. I, p. 38. Nunc cum editore Basil. malim: *belli sedem.* Litera *s* ex sequenti voce adhæsit.

2. *Spem magis ostenderat.* Exempl. vetustum videtur habere: *spe magis ostenderat*, etc. BURER.

3. *Cujus initium incendii.* Cum Velleio convenit Appianus de B. C. V. p. 1112, a Vossio laudatus: Κίστιος δέ τις αὐτῶν ὑπομαργότερος, ἐν Μακεδονίᾳ πεπολεμηκὼς, καὶ ἐκ τοῦδε Μακεδονικὸν αὑτὸν ὀνομάζων, ἐνέπρησε τὴν οἰκίαν, καὶ ἑαυτὸν ἐς τὸ πῦρ ἐνέβαλε, καὶ ἄνεμος τὴν φλόγα ὑπολαβόντος, etc.

4. *Magni vir animi.* Exempl. vetustum habet: *magni viri animi.* BURERIUS.

5. *Doctissimique ingenii.* Quum nemo veterum, quod sciam, hunc Claudium Neronem, cujus vitam breviter enarravit Mantius ad Cic. ad Div. l. XIII, c. 64, ab eruditione laudarit, vereor, ne vitium traxerit vulgata scriptura. Legendum conjeci, *promptissimique ingenii;* ut II, 118: « Manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio; » Livius, V, 3: « Non promptus ingenio tantum, sed usu etiam exercitatus; » Tacitus, Ann. I, 23: « Qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promptum ingenium. » *Promptus* etiam nude et simpliciter ad ingenii præstantiam referri, Manut. ad Cic. Verr. IV, 17, docet. Cicero ad Div. II, 18: « Tres fratres summo loco natos, promptos, non indisertos. » Aliis locis *prompti* dicuntur parati ad aliquid audendum. Quas significationes, tam inter se diversas, subtilis ille proprietatis latinæ judex, Gronovius, præter consuetudinem suam confudit ad Justin. XXII, 2, ad Tacit. Ann. I, 12; IV, 17.

mique ingenii; id quoque adventu[1] Cæsaris sepultum atque discussum est. Quis fortunæ mutationes[2], quis 2
dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? quis non diversa præsentibus, contrariaque exspectatis aut speret aut timeat? Livia, nobilissimi et fortissimi 3
viri, Drusi Claudiani filia[3], genere, probitate, forma Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad deos[4] sacerdotem[5] ac filiam[6], tum fugiens, mox futuri sui, Cæsaris

1. *Id quoque adventu*, etc. Imitatur Ciceron. pro Leg. Manil. 11: « Quod bellum adventu Pompeii sublatum ac sepultum est. »

2. *Quis fortunæ mutationes*, etc. Hæc tragice narrari, non male judicat Harduinus ad Plin. VII, 45.

3. *Drusi Calidiani filia.* Quamquam exempl. vetus sic habeat, tamen *Drusi Claudiani filia*, legendum esse, ex sequentibus constat. BURER. *Claudiani* pro *Calidiani* inde a Junta et Aldo nepote omnes editores receperunt. De eo vide Lips. ad Tacit. Ann. V, 1. Plenum ejus nomen fuisse *Marcus Livius Drusus Claudianus*, ostendit Fabrettus ad Inscr. p. 438.

4. *Transgressi ad deos.* Editt. Juntæ et Aldi nepotis, per operarum errorem, *transgressi ad eos*; unde nata est correctio Lipsii ad Tacit. Ann. XIII, 2, Vossii ad h. l. et Freinshemii, Ind. Curtii v. *Dicandi.* Pro *transgredi ad deos*, Velleius, II, 1, dixit, *excedere ad deos.* Ita alii quoque de iis, qui in deorum numerum referuntur, loqui solent. Cic. Tusc. Disp. I, 14: *Abiit ad deos Hercules*; Septimius de B. Tr. I, 14: *post discessum Herculis ad deos.* Vide P. Wesseling. ad Diod. Sic. I, p. 24.

5. *Sacerdotem.* Hoc veterum testimoniis confirmant Lips. ad Tacit. Ann. I, 10, Excurs. C., et Spanhem. de U. et P. N. Diss. XI, p. 275. Eodem pertinet lapis vetus, quem edidit Gorius ad Columbar. lib. et serv. Liviæ, p. 143: « Divæ Aug. L. Cnidus ab ornamentis sacerdotalibus. » Quum Caligula Antoniæ aviæ omnes, quas Livia cepisset, honores contulisset, ea quoque facta est *Augusti sacerdos.* Inscriptio apud Gruter. p. 236, 9: « Antoniæ Augustæ Drusi, sacerdoti Divi Augusti, etc. » Vid. Sueton. Calig. 15, et ibi Grævius.

6. *Ac filiam.* De hac adoptione Tacit. Ann. I, 8: « Livia in familiam Juliam, nomenque Augustæ, adsumebatur. » Sueton. Aug. 101: « Liviam ferre nomen suum jussit. » Dio Cass. LVI, pag. 843: Ἱέρειάν τε τὴν Λιουΐαν, τὴν Ἰουλίαν τε καὶ Αὐγοῦσταν ἤδη καλουμένην, ἀπέδειξαν. Sic illum locum, a Spanhemio l. c. perperam tentatum, commoda transpositione restituit Reimarus. At Ursino ad h. l. absurdum, et Torrentio ad Sueton. l. c. ab honestate remotum videtur, uxorem Liviam mariti Augusti *filiam* dici. Est etiam vir eruditus, qui eadem de caussa in Velleio legere malit: *sacerdotem ac Juliam*, de quo Liviæ nomine diximus ad II, c. 71. Enimvero hæc non nostris moribus judicanda sunt, sed romanis;

manus, bimum[1] hunc Tiberium Cæsarem, vindicem romani imperii, futurumque ejusdem[2] Cæsaris filium, gestans sinu, per avia itinerum vitatis militum gladiis, uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, et cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.

1 LXXVI. Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo[3] avum meum; quippe C. Velleius, honoratissimo inter illos CCCLX judices[4] loco a Cn. Pompeio

quibus quæ adoptabatur, filis adoptantis fiebat. Nec ullo modo sollicitanda est Velleii lectio, *filium*, quam lapides et numi sartam tectamque præstant. Lipsius ad Tacit. Ann. I, 14, laudat inscriptionem apud Gruter. pag. 234, 2: « Juliæ Aug. Divi filiæ, matri Ti. Cæsaris Aug. principis et conservatoris, et Drusi Germanici, M. Cornelius Proculus, pontifex Cæsarum. » Quem lapidem cum insigni varietate repetit Muratorius, pag. 222, 4: « Juliæ Aug. Drusi filiæ, matri Ti. Cæsaris Aug. principis et conservatoris, et Drusi Germanici, geni..... is orbis, M. Cornelius Proculus, pontifex Cæsarum; » ubi *Drusi* pro *Divi* profectum est ab imperito descriptore, non concoquente Liviam Augusti filiam. Lacuna autem lapidis sic explenda: *genitrici orbis*. Quo titulo Livia etiam ornatur in numis apud Ant. Augustinum de Numism. ant. Dial. VIII, p. 126. Tristan. Comm. Hist. t. I, p. 123, aliosque. Jam numi veteres non minus, quam lapides, *filiæ* nomen confirmant. Duo sunt apud Mediobarbum Imperator. Numism. p. 53; alter cum hac inscriptione: « Julia Augusta Aug. filia, genetrix orbis; » alter cum hac: « Divæ Juliæ Augusti filiæ. » Eosdem aut similes viderunt Lipsius ad Tacit. l. c. et Vossius ad h. l. Putabat quidem Reinesius, Var. Lect. I, 21, p. 87; non Liviam, sed Juliam, Tiberii conjugem, his numis designari; sed ejus errorem castigarunt Rupertus Epist. XXXIV, ad Reines. p. 222, et Spanhem. de U. et P. N. Diss. XI, p. 273.

1. *Nus bimum*. Forte, *tum bimum*. RHENAN. Exempl. vetustum sic habet, ut legendum existimem: « Cæsaris arma, cujus bimum hunc Tiberium Cæsarem, etc. » BURER. Edit. Basil. scripsit, *vix bimum*; quod in plerasque editiones receptum. Vascos. istud corruptum *nus* abjecit. Repone: « Tum fugiens, mox futuri sui, Cæsaris manus, bimum hunc, etc. » Hanc correctionem eo libentius in textum admisi, quo minus a me impetrare poteram, ut truncatam editionis prim. lectionem, *arma*, *nus*, iterum exhiberem.

2. *Futurumque ejusdem*. Acidalius copulam *que* trajicit ad *ejusdem*; sed vide quæ notavimus ad II, 67.

3. *In eo non fraudabo*. Edit. Bas. *in*, quod, ut sæpe, præcedens *m* peperit, recte delevit. — Attamen Ruhnkenius quod vituperat non ausus est delere; jam Acidalius τὸ *in*, Apuleiani sermonis forma, ad ornatum abundare dixerat, et tolli vetaverat. EDITOR.

4. CCCLX *judices*. Hunc loc. expli-

lectus, ejusdem, Marcique Bruti, ac Ti. Neronis[1] præfectus fabrum, vir nulli secundus, in Campania, digressu Neronis a Neapoli, cujus, ob singularem cum eo amicitiam, partium adjutor fuerat, gravis jam ætate et corpore, quum comes esse non posset[2], gladio se ipse transfixit. Inviolatam excedere Italia Cæsar passus Ful- 2
viam, Plancumque, muliebris fugæ comitem; nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retenta in potestate Antonii Venetia, magnis speciosisque rebus circa Altinum, aliasque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, quem digressum e Brutianis castris post cædem ejus prædiximus, et propriæ classis[3] factum ducem, consiliis suis illectum[4], ac fide data, junxit Antonio. Quo facto, 3
quisquis æquum se præstiterit, sciat non minus a Pollione in Antonium, quam ab Antonio in Pollionem esse collatum. Adventus deinde in Italiam Antonii præparatusque contra eum[5] Cæsaris, habuit belli metum: sed pax contra Brundisium[6] composita. Per quæ tempora 4

cat Manutius ad Cic. ad Div. VII, 2.

1. *Ti. Neronis*. Secuti sumus Aldum nepotem, sic emendantem scripturam vitiosam edit pr., *Tyronis*.

2. *Quum esse non posset*. Exempl. vetustum habet: *comes esse non posset*. Burer. Pro scriptura edit. pr. *quum esse non posset*, editor Basil. scripsit: *quum eum sequi non posset*. Quanto blandius est remedium Aldi nepotis, vel Puteani: *quum comes esse non posset?* *Cum* a sequentis vocis *comes* similitudine extritum esse, facile apparet. Vascosanus *quum*, quod ante *comes* elapsum erat, ante verba *in Campania* posuit.

3. *Propriæ classis*. Exempl. vet. habet, *properæ cl*. Vide num legendum videatur: *properæ cl*. Burer.

4. *Consiliis suis illectum*. Est ex editoris Basil. correctione. Edit. pr. *consiliis suis electum*.

5. *Præparatusque Cæsaris contra eum*. Exempl. vetustum habet: *præparatusque contra eum Cæsaris*. Bureruis. Editor Basil. male, *paratus*.

6. *Sed pax circa Brundusium*. Exempl. vetus habet: *sed pax contra Brundisium*. Burer. Ego præfero Rhenani correctionem, *circa*. Dio Cass. XLVIII, p. 547: Συνθέμενοι οὖν ταῦτ' ἐν τοῖς στρατοπέδοις τοῖς περὶ τὸ Βρεντέσιον. *Circa* et *contra* centies confunduntur. Vide interpretes ad hunc locum, et Drakenborchium ad Livium, lib. XXXVII, cap. 15.

Rufi Salvidieni[1] scelesta consilia patefacta sunt: qui natus obscurissimis initiis, parum habebat[2] summa accepisse[3], et proximus a Cn. Pompeio, ipsoque Cæsare ex equestri ordine consul[4] creatus esse, nisi in id ascendisset, e quo infra se[5] et Cæsarem videret[6] et rempublicam.

1 LXXVII. Tum expostulante consensu populi, quem gravis urebat infesto mari annona, cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita: qui haud absurdo[7], quum in navi Cæsaremque et Antonium cœna exciperet, dixit: in Carinis suis se cœnam dare[8]; referens hoc dictum ad

1. *Rufi Salvidieni.* Editio prima, *Ruffi Salv.*

2. *Parum habebat summa accepisse.* Ex Sallustio, Jug. 31: « Hæc talia facioora impune suscepisse, parum habnere; » obi vide Cortium.

3. *Summam accepisse.* Alias, *summum.* RHENAN. Beoe Acidalius pro *summam acc.* qood est in edit. pr. scripsit, *summa accepisse*, ut II, 61: *mira ausus, ac summa consecutus.* Aliorom dubitatiooibus satisfecit Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 62.

4. *Ex equestris ordinis cos.* Ex. vetustum babet: *ex equestri ordinis cons.* etc. BURER. Edit. Basil. recte scripsit: *ex equestri ordine;* quod explicat Dio Cassios, a Lipsio laudatus, XLVIII, p. 550: Ἐς τοσοῦτον δὲ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος προήχθη, ὥστε αὐτόν τε ὕπατον, μηδὲ βουλεύοντα, ἀποδειχθῆναι. Brutus quidem Epist. XVI, de Salvidieno, tamquam de senatore, loquitur; sed hioc etiam cl. Marklandus, Animadvers. in Ciceronem anglice scriptis, p. 166, ooq dubium argumentum, quo illarum epistolarum fidem convelleret, cepit.

5. *Ni simul ascendisset, e quo infra se.* Exempl. vet. sic habet; *nisi in is ascendisset equo infra se*, etc. Legendum suspicor: *nisi in iis ascendisset quo infra se*, etc. BURER. Editor Basil. editioois primæ scripturam, *ni simul ascendisset, e quo infra se*, sic mutavit: *ni simul ascendisset, æque infra se.* Verum vidit Puteaous: *nisi in id ascendisset, e quo infra se*, etc. II, 15, p. 117, ex emendatione nostra: « Quæ per eos in id ipsum pervenisset fastigiom, ex quo homioes ejosdem et gentis et sanguinis, ut externos alienosque, fastidire posset. »

6. *Infra se.... videret.* Id est, despiceret. Seneca, Thyest. 365: « Qui, tuto positus loco, Infra se videt omoia. »

7. *Haud absurdo.* Alias, *absurde.* RHENAN. II, 83: *haud absurde Coponius inquit.* Ex Sallustio, Catil. 25: *ingenium ejus haud absurdum*; unde etiam hanc formulam duxit Tacitus, Aon. XIII, 45.

8. *In Carinis suis se cœnam dare.* Veoustum jocum eodem modo refert Aurel. Victor de Vir. III, 84: « Pace facta, epulatus in navi cum Antonio et Cæsare, non inveouste ait: Hæ sunt meæ Carinæ; quia Romæ in

loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit, Siciliam Achaiam- 2
que[1] Pompeio concedere; in quo[2] tamen animus inquies manere non potuit; id unum tantummodo salutare (adventu suo[3]) patriæ attulit, quod omnibus proscriptis, aliisque, qui ad eum ex diversis caussis fugerant, reditum salutemque pactus est. Quæ res et alios clarissimos 3
viros, et Neronem Claudium, et M. Silanum, Sentiumque Saturninum[4], et Aruntium, ac Titium restituit reipublicæ; Statium[5] autem Murcum, qui adventu suo classisque celeberrimæ vires ejus duplicaverat, iusimu-

Carinis domum ejus Antonius tenebat; » item Dio Cass. XLVIII, pag. 555: Ἐπειδὴ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ τὴν πατρῴαν τὴν ἐν ταῖς Καρίναις κατεῖχε, ... ἀποσκώψας τρόπον τινὰ ἥδιστον, ἐν ταῖς Καρίναις αὐτοὺς ἑστιᾶν ἔφη. At Plutarch. Ant. p. 930, B, quod in hoc dicto acutum et facetum est, male narrando frigidum et plebeium fecit: Ἐρομένου δὲ αὐτὸν Ἀντωνίου, ποῦ δειπνήσουσιν, ἐνταῦθα, ἔφη. δείξας τὴν στρατηγίδα ναῦν οὖσαν ἑξήρη· πατρῷος γὰρ οἶκος αὕτη Πομπηΐῳ λέλειπται. Nimirum græcus homo vim ambigui, quod est in latina voce *carinæ*, non satis cepit, ut Fabricius etiam judicat ad Dionem l. c. *Suas Carinas* Pompeius dixit, quod ejus ædes paternæ pars essent Carinarum. Quam pronominis potestatem, hoc loco non prætermisso, explicat Gronovius ad Plinium, H. N. XXXI, 2.

1. *Achaiamque*. Per Achaiam intellige totam Græciam. EDIT.

2. *In quo . . . . manere*. Scilicet fœdere, quam elegantem locutionem illustravit Gronovius ad Statium, VI Theb. 630. BURM.

3. *Adventu suo*. Quo adventu? Neque enim Pompeius in patriam venit. Suspecta sibi hæc verba esse, in libri margine notaverat Oudendorp. Ego non dubito, quin delenda sint. Scilicet hic quoque accidit, quod mille aliis locis, ut librarius temere aberraret ad verba seqq. *adventu suo, classisque celeberrimæ*, et mox, errore animadverso, rediret quidem quo oportebat, sed tamen perperam scripta, ne codex litura fœdaretur, relinqueret. In tanta rei perspicuitate hæc verba uncis inclusi.

4. *Et M. Syllanum, Sentiumque Saturninum*. Exemplar vetustum sic habet: « Et M. Silanum Sentium Q. Saturninum et Atruncium ac Titium. » Vide, an legendum sit: et *Atruncium Actitium*; nam e codice vetusto nihil certi conjici potuit. BURER. Rhenanus edidit: « Et M. Syllanum, Sentiumque Saturninum, et Atruntium, ac Titium restituit reip. » Editor Basil. optime reposuit *Aruntium*; at pessime Junta pro *ac Titium*, *Actium*; cujus error in plures editiones propagatus est. De M. Titio accurate Norisius ad Cenotaph. Pisan. Diss. II, 16, §. 9.

5. *Statium*. Edit. pr. *Staium*, ut supra, cap. LXXII, 4.

latum falsis criminationibus, quia talem virum collegam officii Mena et Menecrates [1] fastidierant, Pompeius in Sicilia interfecerat.

1 LXXVIII. Hoc tractu temporum Octaviam, sororem Cæsaris, M. Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam, Antonius in transmarinas provincias: quas magnis momentis [2] Labienus, ex Brutianis castris

1. *Et Menocres*. Alias, *Menecrates*. RHENAN. Exempl. vet. habet: *et Menotrades*. BURER.

2. *Quas magnis momentis concusserat*. Acidalius ad h. l. et Schulting. ad Quintilian. Decl. XIV, 12, *momentis* explicant motibus; Burmannus, præliorum eventibus, qui efficerent, ut Labienus superior fieret. Enimvero tam insolens vocis notio idoneis exemplis confirmanda erat: nunc nihil, nisi quod alienum sit, affertur. Velleius autem, ut ego arbitror, non explicandus est, sed corrigendus. Num scribendum? *quas magnis emolumentis.... concusserat*. Vox *emolumentum* ex iis est, in quibus sæpe hæserint viri eruditi, etiam Burmannus, illam explanare conatus, ad Vell. I, 17. *Emolimentum* sive *emolumentum*, ab *emoliri* derivatum, primum significat molitionem difficilis rei, atque adeo ipsam difficultatem, ut apud Cæsarem de Bell. Gall. I, cap. 34; deinde id, quod emoliendo efficitur, effectum, profectum, efficaciam. Quam potestatem, age, exemplis planam faciamus, ipsumque Velleium vocis, qua delectatus est, interpretem adhibeamus. I, 17: « Congregatio ingeniorum et in studium par, et idem emolumentum. » Hoc I, 16, aliis verbis ita exprimit: « Clari operis capacis ingenia in similitudinem et temporum et profectuum semetipsa ab aliis separaverunt. » Ut hoc loco *emolumentum* et *profectum*, sic alibi *emolumentum* et *effectum*, tanquam vocabula eandem rem significantia, inter se permutat. II, 105: « Anni ejus æstiva, usque in mensem decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ; » II, 114: « Hiems emolumentum patrati belli contulit; » II, 115: « Illa æstas maximi belli consummavit effectus; » Justin. l. IX, c. 1: « Ad cujus belli emolumentum egregie pertinere ratus; » Plinius H. N. XVIII, 4: « Et nos miramur ergastulorum non eadem emolumenta esse, quæ fuerint imperatorum? » XXVIII, 14: « Si et coagulum addatur, majoribus emolumentis fiat; » Gellius, X, 22: « Qui emolumenta veræ philosophiæ ignorant; » XI, 13: « Quæ vis, quodve emolumentum ejus sententiæ foret; » pro quo mox dicit: *quid efficiant verba hæc*; ubi vide Gronovium, vocis vim breviter quidem, sed docte, declarantem; XIII, 8: « Quod mores et emolumenta philosophiæ in linguæ verborumque artes converterent; » imp. Antoninus, l. II, Cod. de Execut. rei judic. « Rem judicatam præses provinciæ, etiam pignoribus captis ac distractis, ad emolumentum perduci jubebit; » pro quo idem imp. l. III, eod. dicit: *res ad effectum perducatur*. Quod ad vocis orthographiam attinet, Gesnerus Thes.

profectus ad Parthos, producto eorum exercitu[1] in Syriam, interfectoque legato Antonii[2] concusserat; qui virtute et ductu Ventidii una cum Parthorum copiis, celeberrimoque juvenum[3] Pacoro, regis filio, extinctus
est. Interim Cæsar per hæc tempora, ne, res disciplinæ 2
inimicissima, otium corrumperet militem, crebris in Illyrico Delmatiaque expeditionibus, patientia periculorum bellique experientia durabat exercitum. Eadem 3
tempestate Calvinus Domitius, quum ex consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi, comparandique antiquis, exempli[4] auctor fuit: quippe primipili centurionem nomine Vibilium[5], ob turpem ex acie fugam, fusti percussit[6].

L. L. scribi volt *emolimentum*; sed forte otraqoe scribendi ratio usitata fuit, ut in *monumentum* et *monimentum*. Nostri quidem libri satis coostanter habent *emolumentum*. Hæc scripseram, quum, iterum locum considerans diligentius, notionem vocis, modo explicatam, non satis verbo *concuss rat* convenire sentio. Præferam igitur, ut simpliciua et verius: « Quas magnis molimentis .. concusserat. » Sisenna apud Non. Marc. p. 142: « Contra magno cum molimento ac perpetoo sono procedunt. » Seneca, Cons. ad Marc. 11: « Numquid ut corpus concidat, res magni molimenti est? » — Vide Quintilianum, l. III, c. 8, §. 7, vol. I, p. 522, nost. edit., et ibi Spalding. notam.

1. *Producto eorum exercitu.* J. Arn. ad Aur. Vict. de Vir. ill. 2, malit *perducto*. Recte. De horum verborom discrimine vide ad II, 106.

2. *Legato Antonii.* L Decidio Saxa. Acron ad Horat. III Carm. 6, 9: « Bis autem Parthos victoriam retulisse dixit, quia et ante Crassum, et post Decium Sextum cum exercitibus sois occiderunt. » Paulo rectius schol. Cruquianus: « Post Didinm Saxam legatum Antonii cum exercitu ceciderunt » Scrib.: *Decidium Sax*. Reliqua de eo dedit Nor. ad Cen. Pis. Diss. II, 16, §. 5.

3. *Celeberrimoque juvenum.* Sæpe in animum venit mihi *acerrimoque juvenum*; Liv. XXXVII, 7: « Ti. Sempronius Gracchus, longe tum acerrimus juvenum; » Florus, IV, 4, 1: « Contra adoptionem acerrimi juvenis susceperat bellum; » sed, quum *celeber* inter voces sit Velleio inprimis frequentatas, nihil affirmare audeo.

4. *Comparandique antiquis, exempli.* Plinius, VII Ep. 33: « Cui sæcolo exemplum simile antiquis contigisset; » Vellei. II, 92: « Quod ego factum cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor. »

5. *Nomine Iubillium.* Exemplar vet. habet, *nom. Vibillium*. Burer.

6. *Fuste percussit.* Exempl. vetustum, *fusti percussit*. Burer. In altero editionis primæ exemplo legitur

1 LXXIX. Crescente in dies et classe, et fama Pom-
peii, Cæsar molem belli ejus suscipere statuit. Ædifi-
candis navibus, contrahendoque militi [1] ac remigi,
navalibusque adsuescendo certaminibus atque exercita-
tionibus, præfectus est M. Agrippa, virtutis nobilis-
simæ [2], labore, vigilia, periculo invictus, parendique,
sed uni, scientissimus [3], aliis sane imperandi cupidus,
et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta
2 conjungens [4]. Hic in Averno ac Lucrino lacu speciosis-
sima classe fabricata, quotidianis exercitationibus mili-
tem remigemque ad summam et militaris et maritimæ
rei perduxit scientiam. Hac classi [5] Cæsar, quum prius
despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam,
auspicatis reipublicæ ominibus duxisset eam [6] uxorem,
3 Pompeio Siciliæque bellum intulit. Sed virum humana
ope invictum, graviter eo tempore fortuna concussit:
quippe longe majorem partem classis circa Veliam Pa-
linurique promontorium, adorta vis Africi laceravit ac
distulit; ea patrando bello mora fuit, quod postea dubia,

fuste, in altero *fusti*. Similem in una eademque editione varietatem jam notavi ad II, 67. — Tacitus, Annal. III, 21: « decumum quemque fusti necat, » ubi vide notam, ed. nost. pag. 311. EDIT.

1. *Contrahend. militi ac remigi.* Sic edit. Basil. correxit scripturam edit. pr. *contrahendoque milite ac remige.*

2. *Virtutis nobilissimæ.* Repone: *vir virt. nobil.* Nullum vitii genus in Vell. frequentius. Contrario errore, II, 44, *viri viribus* pro *viribus.*

3. *Parendique, sed uni, scientissimus.* Convenit Dio Cassius, LIV, pag. 759: Ὅσον τε γὰρ τοὺς ἄλλους ἀρετῇ κατεκράτει, τοσοῦτον ἐκείνου ἐθελοντὴς ἡττᾶτο.

4. *Consultisque facta conjungens.* Imitatur, ut solet, notissima illa Sallustiana, Catil. 1: « Nam et, prius quam incipias, consulto: et, ubi consulueris, mature facto opus est; » ubi vide interpretes. Eadem loquendi forma repetitur locis, ab Acidalio indicatis, II, 110, 118.

5. *Hac classi.* Vascosan. et editor Basileensis, *Hac classe.*

6. *Duxisset eam uxorem.* Pronomen *eam* non debebat viros doctos offendere, quod sexcentis locis abundare, post toties repetitas criticorum admonitiones, nemo nescit. Terent. Eun. V, 4, 6: « Virginem, quam amabat, eam confeci sine molestia. » Vide interpretes ad Liv. XXV, 27.

et interdum ancipiti fortuna gestum est. Nam et classis 4
eodem loco vexata est tempestate, et ut navali primo
prælio apud Mylas ductu Agrippæ pugnatum prospere,
ita inopinato classis adventu[1], gravis sub ipsius Cæsaris
oculis circa Tauromenium accepta clades, neque ab ipso
periculum abfuit: legiones, quæ cum Cornificio erant
legato Cæsaris, expositæ in terra, pæne a Pompeio op-
pressæ sunt. Sed ancipitis fortuna temporis[2] matura vir- 5
tute correcta; explicatis quippe utriusque partis classi-
bus, pæne omnibus exutus navibus Pompeius Asiam
fuga petivit[3], jussuque M. Antonii, cujus opem petierat,
dum inter ducem et supplicem tumultuatur[4], et nunc
dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio jugu- 6
latus est. Cui in tantum duravit hoc facinore contractum
odium, ut mox ludos in theatro Pompeii faciens, exse-
cratione populi, spectaculo, quod præbebat, pelleretur.

1. *Inopinato classis adventu.* Revoca vocem elapsam: *Inopinato classis adversæ adventu.* Omissum est *adversæ* ob similes fere syllabas in *adventu.* Idem etiam Heinsio io meotem venisse video.

2. *Sed ancipitis fortuna temporis*, etc. Malim: *Sed ancipitis fortuna temporis mature virtute correcta*, quamvis vulgatum non damoem, ob II, 125: « Sed hæc omoia veteris imperatoris matoritas brevi sopiit ac sustulit. » Locutio *fortunam corrigere* sumpta est a Sallust. Jug. 94: *Sic forte correcta Marii temeritas.*

3. *Asiam fuga petivit.* Livii Epit. cxxix: « Victus deinde Pompeius io Siciliam profugit. » Sed ibi quoque legendum, *in Asiam profugit*, ot Livius cum aliis scriptoribus, quos Drakenborchius laudat, consentiat.

4. *Dum inter ducem et supplicem tumultuatur.* Exquisite pro, dum per animi perturbationem ioter ducem et supplicem fluctuat, ut ait Seoeca Epist. IV, dum iocertus est, docem agat, ao supplicem. *Tumultus* sæpe dicitor de animi æstu. Horat. II Carm. 16, 10: « neque coosularis Summovet lictor miseros tumultus Mentis. » Seneca pater, Cootr. IV, pag. 289: « Coofusum adolescentem subito, et taoto tumultu parum sibi constitisse. » Seoeca filius, Œdip. 328: « Quid fari queam Inter tumultus mentis attonitæ vagus? » Silius Ital. x, 373: « Quos ioter motus animi, vanosque tumultus, » ubi vide Drakenborch. Boethius de Consolat. Philos. I, p. 952: « Quooiam plurimus tibi affectuum tumoltus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt. » Eamdem animi agitationem sic expressit Sallustius, Jug. 25: « Metu atque lubidine divorsus agitabatur. »

1 LXXX. Acciverat, gerens contra Pompeium bel-
lum, ex Africa Cæsar Lepidum cum XII semiplenis le-
gionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque ulla vir-
tute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exer-
citum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non
ipsius, sed Cæsaris auctoritatem ac fidem, sibi junxerat:
2 inflatusque amplius XX legionum numero, in id furoris
processerat, ut inutilis in aliena victoria comes[1], quam
diu moratus erat, dissidendo in consiliis Cæsari[2], et
semper diversa his, quæ aliis placebant, dicendo, totam
victoriam[3] ut suam interpretaretur[4], audebatque denun-
3 tiare Cæsari, excederet Sicilia. Non ab [5]Scipionibus,
aliisque veteribus romanorum ducum[6], quicquam au-
sum patratumque fortius, quam tunc a Cæsare: quippe
quum inermis et lacernatus esset, præter nomen nihil
trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quæ jussu

1. *Ut inutilis alienæ victoriæ comes*. Exemplar vetustum habet: *ut inutilis in alienæ victoriæ comes*. Suspicor legendum: *ut inutilis in aliena victoria comes*, etc. BURER. Heinsius *in* cum Rhenano tollit. Ego Burerium sequor.

2. *Dissidendo in consiliis Cæsaris*. Acidalius pro *Cæsaris*, quod editio prima habet, recte scribit *Cæsari*; quod recepi.

3. *Totam victoriam*. Exempl. vet. habet, *totam victoriam*. BURER.

4. *Totam victoriam ut suam interpretaretur*. Edit. pr. *interpretabatur*, quod ed. Basil. correxit. Forte etiam scrib. *auderetque* pro *audebatque*.

5. *Scipionibus*. Respicit periculosum Scipionis Africani iter, cum duabus tantum quinqueremibus ad Syphacem susceptum, de quo Livius, lib. XXVIII, cap. 17.

6. *Veteribus romanorum ducum*. Græci, etiam in prosa oratione, præsertim ubi res aliqua in varias formas dividitur, adjectivis genitivos substantivorum jungunt; de qua constructione vide T. Hemsterhusium, ad Lucian. Timon. pag. 117. Hanc rationem Latini interdum sequuntur, frequentius tamen poetæ, quam solutæ orationis scriptores. Sallustius, Catil. 53, *effœtæ parentum*, ut quidem locum vexatum exponit Cortius. Plinius, Hist. Nat. VIII, 48, *lanarum nigræ*; XI, 50, *canum degeneres*; Florus, III, 2, 4. *impiger fluminum*; Aurelius Victor, Epit. 48, *benigni principum*; Arnobius, V, pag. 160, *intestes sacerdotum*. Sed hunc græcismum viri docti satis illustrarunt, quamvis sæpe aliena admiscentes, velut Burmannus ad h. l. affert *quorum pleraque*, et Drakenborch. ad

hominis pravissimi tela in eum acta erant[1], quum lacerna ejus perforata esset lancea, aquilam legionis rapere ausus est. Scires quid interesset inter duces: armati iner- 4
mem secuti sunt; decimoque anno, quam ad in dissimillimam vita sua potentiam[2] pervenerat Lepidus, et a militibus, et a fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentium ad Cæsarem turbam latens[3], genibus ejus advolutus est: vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata[4], quam tueri non poterat[5], diguitas.

Liv. xxx, 9, *ultimos militum*, quorum diversa est ratio

1. *Tela in eum acta erant.* Male edit. Basileens. *acta* in *jacta* mutavit. Nam *agere tela* non minus recte dicitur, quam *adigere.* Scribonius Largus, 201: « Quum vulnus ita actum est, ut os lædatur, vel frangatur; » Silius Ital. l. xii, c. 240: « Et fugientis agit costis penetrabile telum. » Forte hæc forma reddenda Ciceroni, pro Quint. 2: « Quum etiam telum adversarius nullum jecerit; » ubi quum MSS. et editiones veteres, teste cl. Ernesto, pro *jecerit* habeant *legerit*, a Cicerone *egerit* profectum videri possit. Ita *actus* pro jactus, vel ictus. Statius Theb. ii, 9: « capulo nam largius illi Transabiit costas cognatis actibus ensis. » Sic legendum esse, non *ictibus*, manifestum est ex imitatione Virgilii, Æn. ix, 431: « sed viribus ensis adactus Transabiit costas. » Plura Gronovius ad Senec. Agam. 432, et interpretes ad hunc locum.

2. *Ad in dissimillimam vita sua potentiam.* Alias, *vitæ suæ*. RHENAN. Alias sic legitur: *quam ad in (diis simillima vita) potentiam pervenerat.* Nunc videat lector, utra lectio rectius legatur. BURERIUS. Apparet, dubiam fuisse veteris codicis scripturam, quam aliter legerit Rhenanus, aliter Burerius. Junta edidit: *ad indissimillimum vitæ suæ potentiam.* Melius, abjecto *in*, Vascosan. et edit. Basileens. *ad dissimillimam vitæ suæ potentiam*. Sic, ii, 41: « Dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum. » Sed ne hoc quidem animum explet. Lege quam proxime ad depravatæ scripturæ vestigia: *ad indignissimam vita sua potentiam;* id est, ad potentiam, quæ ejus vitam non decebat. Cicero, in Pison. 23: « L. Flaccus, vir tua legatione indignissimus; » Justinus, xi, 15: « Tam indignam illo fastigio mortem lacrimis prosecutus est. » Sed ipse Velleius, ii, c. 91, omnium optime emendationem nostram confirmat: *mortem dignissimam vita sua obiit.*

3. *Inter ultimam .... turbam latens.* Seneca, Thyest. 133: « Liceat in media mihi Latere turba. »

4. *Spoliata ..... dignitas.* Similis locutio Hirtii, l. viii de B. G. 5: « qui omnem honorem et dignitatem Cæsaris exspoliarent, » ubi v. Davis.

5. *Quam tueri non poterat.* Exemp. vetustum habet, *quam intueri non*

1 LXXXI. Subita deinde exercitus seditio (qui ple-
rumque contemplatus frequentiam suam[1], a disciplina
desciscit; et quod cogere se putat posse, rogare non sus-
tinet) partim severitate, partim liberalitate discussa
2 principis. Speciosumque per id tempus adjectum sup-
plementum campanæ coloniæ: ejus relicti erant pu-
blici[2]; pro his longe uberiores reditus duodecies HS. in
Creta insula[3] redditi, et aqua promissa[4], quæ hodieque
singulare et salubritatis instar, et amœnitatis ornamen-
3 tum est. Insigne coronæ classicæ, quo nemo unquam

poterat. Burer. Rhenanus *in*, quod ex præcedenti litera *m* natum est, jure delevit.

1. *Qui plerumque contemplatus frequentiam suam.* Hoc loco usi sunt, illam militum consuetudinem illustrantes, Lipsius, ad Tacit. Annal. I, 25, et Gronov. Observ. III, 10, pag. 119.

2. *Ejus relicti erant publici.* Edit. Basileensis vocem *relicti* non intelligens, *reditus* a Velleio scriptum putabat. Lipsius etiam, quamquam sententiam pulchre vidit, tamen in hac voce hæsit. At vero Mazochius, de Campan. Amphiteatr. p. 39, et Wesselingius, Observ. II, 20, recte docuerunt, *relicta* in re agraria dici non assignata, non divisa, quæ communi coloniæ servirent. In *relicti* viri docti intelligunt *agri*. Quæ ellipsis quum durior et sine exemplo sit, malim plene legere: *Agri ejus relicti erant publici*. Ac facile ultima vocis *coloniæ* syllaba *agri* intercipere potuit. Mazochius, l. c. p. 62, pro *publici* mallet *plurimi*; sed nihil opus est mutatione, nec ipse multum conjecturæ tribuit.

3. *In Creta insula.* Nominatim in regione Cnosia, ut tradit Dio Cass. XLIX, pag. 579, ubi vide Fabric. italicis autem populis possessiones non modo in regionibus, quas incolebant, sed etiam in remotissimis datas esse, docet Is. Casaubonus, ad Sueton. Aug. 46, quem interpretes ad h. l. et Mazochius, l. c. pag. 61, compilarunt.

4 *Et aqua promissa.* Jac. Martorellus de Theca Calamar. pag. 543, *promissa*, ex prima verbi significatione, interpretatur procul missa, longius prolata. Sed quis unquam *aquam promittere* hoc sensu dixit? Trahit ille quidem ad hanc potestatem verba inscriptionis apud Gruterum, pag. 163, 9: « Opus pilarum vi maris collapsum, a divo patre suo promissum, restituit. » Sed hoc quam ineptum sit, disputare nihil attinet. Rectius igitur Heinsius, cui illam verbi vim satis notam fuisse, ex ejus notis ad Silium Ital. III, 534, intelligitur, hoc loco scribendum censuit: *et aqua permissa*. Gellius, VII, 20: « Ob aquam a Nolanis sibi non permissam. » Cæterum hanc *aquam Juliam* Campaniæ, cave, confundas cum *aqua Julia* urbis Romæ, de qua Front. de Aquæduct. pag. 40, et ibi Polenus, ut nonnullos fecisse video

Romanorum donatus erat[5], hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Cæsar reversus in urbem, contractas emptionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se usibus destinare professus est; templumque Apollinis[1], et circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est.

LXXXII. Qua æstate Cæsar tam prospere [2] Libium 1
in Sicilia bene fortuna in Cæsare et republica militavit ad Orientem: quippe Antonius cum XIII [3] legionibus

5. *Quo nemo unquam Romanorum donatus erat.* Vide Dukerum ad Liv. Ep. 129. Si certis testimoniis probari posset, quod Oudendorp. ad Suet. Aug. 25, suspicatur, aliam fuisse coronam navalem vulgarem, aliam classicam, Agrippæ datam, omnis hac de re pugna inter veteres scriptores esset sublata.

1. *Templumque Apollinis.* Editor Basileensis, sine caussa, *Apollini.*

2. *Libium.* Alias, *Lepidum.* RHEN. Rhenanus ambiguitate vocis *alias*, qua conjecturas suas, non veteris codicis lectionem, significare solet, viros doctos induxit, ut nubem pro Junone, id est, scripturam *Lepidum* pro sincera et e codice ducta amplecterentur. Ego, quum sæpe locum conclamatum, nullo emolumento, in omnes partes versassem, tandem vi sententiæ et orationis Velleianæ indole ad veram sum Velleioque dignam lectionem deductus. Lege: « Qua æstate Cæsar tam prospere sepelivit in Sicilia bellum, fortuna in Cæsare et rep. mutavit ad Orientem. » *Sepelire bellum* est extinguere, finire. II, cap. 75: « Bellum adventu Cæsaris sepultum atque discussum est; » 89, « Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa; » 90. « Sepultis bellis civilibus; » 129: « Magni etiam terroris bellum africum consiliis ejus brevi sepultum est. » Valerius Maxim. VI, 9, 5: « Quo minus virtute civile bellum ingenti motu oriens, sepeliret. » *In Cæsare et rep.* ponitur pro, in Cæsarem et remp., vel erga Cæsarem et remp., modo loquendi Velleiano, de quo diximus ad I, 12, pag. 50, et II, 46, p. 221. Mox *fortuna militat in Cæsarem* insolens orationis forma est, et vix in poeta ferenda. At *fortuna mutavit* exquisite dicitur pro, fortuna mutata est. Livius, XXIX, 3: « Tantum fortunam mutasse, ut, qui modo ipsi exercitum, etc. » *Mutare* passiva significatione Vellei. dixit, Sallustium suum imitatus, Jugur. 38, ubi vide Cortium. Aliorum exempla plena manu dederunt Juretus ad Ambros. adversus Symmach. p. 330, et Dukerus ad Liv. II, 52. Cæterum hic locus comparandus cum altero, II, 97: « Dum in hac parte imperii omnia geruntur prosperrime, accepta in Germania clades sub legato M. Lollio. »

3. *Cum* XIII *legionibus.* Alii scriptores, *cum* XVI *legionibus.* Quem nu-

ingressus Armeniam [1], ac deinde Mediam, et per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obvium.
2 Primoque duas legiones, cum omnibus impedimentis tormentisque et Statiano legato amisit; mox sæpius ipse, cum summo totius exercitus discrimine, ea adiit pericula; quibus servari se posse desperaverat; amissaque non minus quarta parte militum, captivi cujusdam, sed Romani, consilio ac fide servatus [2]; qui clade Crassiani exercitus captus, quum fortunam, non animum mutasset [3], accessit nocte ad stationem romanam, prædixitque, ne destinatum iter peterent [4], sed diverso sylvestrique
3 pervaderent. Hoc M. Antonio atque illius [5] legionibus saluti fuit: de quibus tamen totoque exercitu haud minus pars quarta, ut prædiximus, militum; calonum, servitiique desiderata tertia est; impedimentorum vix ulla superfuit Hanc tamen Antonius fugam suam [6], quia vivus exierat; victoriam vocabat; qui tertia æstate rever-

merum in Velleio reponi vult Freinshemius, ad Florum, IV, 10, 10.

1. *Ingressus Armeniam*. Sic cum editore Basileensi scripsimus. Editio prima, *egressus Armeniam*.

2. *Servatus*. Edit. Basil. *est servatus*. Sed aliis etiam locis *est*, ubi esse debebat, omissum, ab auctore, nescio, ao librariis, e. g. II, 55, 76, etc.

3. *Quum fortunam, non animum mutasset*. Exempl. vetustum habet: *cum fo tuna non animum mutasset*. Burer. Secuti sumus Rhenani correctionem, multo elegantiorem veteris codicis scriptura. Eadem forma Sall. Fragm. p. 423 oostr. ed.: « Ma æ se unlequeres, opes, noo ingeoium mihi mutabant. »

4. *Ne destinatum iter peterent*. Proba locutio, *iter petere*. Cic. pro Plancio, 40: « Iter a Vibone Brundusium terra petere cootendi; » ubi Ernestus meus quærit: *iter terra petere aliquo*, qualis forma dicendi? At sic locutus est Ovidius, III ex P. 2, 79: « Quove parum fausta puppe petistis iter? » Livius, XLIV, 2: *quod iter petiturus esset ignarus*, qui eodem cap. etiam dixit *viam petere*, ubi plura Gronov. et Drakenb.

5. *Hoc M. Antonio, atque illius legionibus*. Editio pr.: *hoc M. Antonio acto, illis legionibus*. Pro *acto* editor Basil. scripsit *atque*; pro *illis* Vossius *illius*. Utrumque recepimus.

6. *Hanc tamen Antonius fugam suam*, etc. Ob oculos habuit Sallust. a Grutero laudatum, Jug. 98: « Ipsi duces feroces, quia non fugerent, pro victoribus agere; » ubi vide Wass. — Vide etiam doctiss. Burnouf, in nostro Sall. p. 309.

sus in Armeniam, regem ejus Artavasden, fraude deceptum, catenis, sed, ne quid honori deesset, aureis vinxit.
Crescente deinde et amoris in Cleopatram incendio, et 4
vitiorum, quæ semper facultatibus, licentiaque et assentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre constituit; quum ante, novum se Liberum Patrem appellari[1] jussisset, quum redimitus hederis, coronaque vela-

1. *Novum se Liberum Patrem appellari.* Turpem consuetudinem, quæ hominibus deorum nomina tribueret, superbia peperit, Græcorum adulatio confirmavit. Antiquissimum ejus rei exemplum est apud Apollodorum, I, 7, p. 25: Ὁ μὲν γὰρ Κῆυξ τὴν γυναῖκα ἔλεγεν Ἥραν· ἡ δὲ, τὸν ἄνδρα Δία. Eadem narrat Eustathius ad Il. I, pag. 776. Athenienses, sive per adulationem, sive per jocum, Periclem *Olympium*, Aspasiam *Junonem* vocarunt. Scholiastes Platonis ineditus ad Menex. p. 403, E: Ὁ δὲ Κρατῖνος Ἀσπασίαν καὶ Ἥραν καλεῖ, ἴσως ὅτι καὶ Περικλῆς Ὀλύμπιος προσηγορεύετο. Iidem, teste Posidonio apud Athen. V, p. 212, D Mithridaten νέου Διονύσου nomine ornarunt. Vide Wesseling. ad Diodorum Sic. Excerpt. pag. 613. At semetipsos adulandi impudentia superarunt, Demetrium Poliocerten, ut Demochares apud Athen. VI, p. 253, C, narrat, μόνον θεὸν ἀληθινὸν dicentes. Hæc adulatio a Græcis transiit ad Alexandrinos et Romanos; sed nunquam magis se profudit, quam tempore imperatorum romanorum, ut ex multis lapidibus et nummis, in quibus imperatores titulo *novi Jovis*, *Martis*, *Liberi Patris*, etc. celebrantur, apparet. De Caligula Athenæus, IV, p. 148, D: Οὐ μόνον ὠνομάζετο νέος Διόνυσος, ἀλλὰ καὶ τὴν Διονυσιακὴν πᾶσαν ἐνδύνων στολὴν προῄει. Ex quo profecit Eustathius, ad Homer. l. c. Lapis apud Gorium, Inscript. Florent. t. I, p. 22: Ἀρχιερεὺς Μάρκου Αὐρηλίου Ἀντωνίνου σεβαστοῦ, τοῦ νέου Διονύσου. Adde Tristanum Comm. Histor. t. I, p. 715, et Murator. Inscript. p. 219, 4; 221, 8; 236, 2. Similiter imperatorum uxores *novæ Vestæ*, *Junonis*, *Cereris*, *Veneris*, *Dianæ*, etc. nomen ferunt. Lapis apud Maffeium Mus. Veron. p. 475: *Junoni Faustinæ Augustæ sacrum*; Marmor Oxon. n. 46, p. 76: Ἰουλίαν σεβαστὴν, Ἑστίαν, νέαν Δήμητρα. Museum Florentin. t. VI, pag. 43: « Pro salute Juliæ Augustæ matris Aug. et castrorum, Cereris novæ; » Appuleius Met. IV, p. 314: « Quum novam me Venerem ore consono nuncuparent. » Vide, præter interpretes ad hunc locum, Fabrettum, de Columna Trajana, p. 250; Cuperum, ad Marmor. antiq. pag. 263, et Gorium, Præf. ad Columbar. libert. Liviæ, pag. 23. Nec tamen reginæ *novæ deæ* appellatæ sunt exemplo dearum, ut Burmann. putat ad Ovid. Ep. XVI, 332. Nam νέα Δηὼ, quam laudat ex inscriptione Regillæ, non est Proserpina, sed Sabina, Hadriani uxor, ut Spanhem. ad Callim. H. in Cer. 133, demonstravit. Principum autem vanitas sibi maxime in Liberi Patris nomine placebat, ut, quod bene vidit Plutar-

tus aurea[1], et thyrsum tenens, cothurnisque succinctus[2], curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriæ.

chus in Demetrio p. 889, F, sese tam terribiles in bello, quam amabiles in pace significarent. Cæterum Antonii insaniam, præter Velleium, notarunt Socrates Rhodius apud Athen. IV, p. 148, B, Eustath. ad Hom. l. c. et alii, quos laudat Fabricius, ad Dionem Cass. XLVIII, pag. 555, et L, pag. 607

1. *Coronaque velatus aurea.* Si coronam hederaceam gessit, auream quomodo gerere potuerit, non intelligo. Erunt fortasse, qui verba, *redimitus hederis*, non de corona, sed de *redimiculo* accipiant, quod inter Bacchi ornamenta refertur in lapide apud Gruterum, p. 67, 2: « T. Vibius Zoticus, VIvir Augustalis, Liberum Patrem eum redimiculo aurific. et thyrso, et cantharo, etc. poni jussit; » Lucianus, Baccho, pag. 76: Βοτρύοις ἐστεφανωμένον, μίτρᾳ τὴν κόμην ἀναδεδεμένον, ἐν πορφυρίδι, καὶ χρυσῇ ἐμβάδι. Sed hoc si concedam, illud quæro, quis unquam in prosa oratione *corona velari* pro coronari dixerit? Ne multa; sine ulla dubitatione legendum: *crocotaque velatus aurea. Crocotam* Baccho propriam fuisse, multis exemplis intelligitur. Aristophanes Ran. 46: Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην· ubi scholiastes: κροκωτὸς, Διονυσιακὸν φόρημα. Eodem respicit Pollux, IV, c. 117: Ὁ δὲ κροκωτὸς, ἱμάτιον. Διόνυσος δὲ αὐτῷ ἐχρῆτο. Callixenus Rhodius apud Athen. V, p. 198, D: Ἄγαλμα Διονύσου δεκάπηχυ, ... χιτῶνα πορφυροῦν ἔχον διάπεζον, καὶ ἐπ' αὐτοῦ κροκωτὸν διαφανῆ. Cui loco similis est ille Plinii, Hist. Nat. XXXVI, 5, p. 728: « Ex quibus unus Liberum Patrem palla velatum Veneris præfert; » ubi *palla* est *crocota*. Eadem veste utebantur Bacchi comites, bacchantes, et οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται, sive histriones. Lucianus, l. c. de Sileno: Νάρθηκι ὑπερειδόμενον, ἐπ' ὄνου τὰ πολλὰ ἐποχούμενον, ἐν κροκωτῷ. Philostr. de V. Apoll. IV, 21, p. 159; de Atheniens. Dionysia agitantibus: Κροκωτοὶ δὲ ὑμῖν, καὶ ἁλουργία, καὶ κροκοβαφία τοιαύτη πόθεν; item saltantes. Duris Samius ap. Athen. IV, pag. 155, C.: Καὶ ἐνδυόμενον αὐτὸν κροκωτὸν, καὶ ὑποδούμενον Σικυώνια, διατελεῖν ὀρχούμενον· Polyænus, V, 3, 3: Κροκωτὸν ἐνδὺς Ταραντῖνον, περιβαλλόμενος ηὔλησεν, ἐκιθάρισεν, ὠρχήσατο. Ubi verbum ἐνδὺς, quod e glossa in textum venit, expungendum videtur. Vide Perizonium ad Ælian. V. H. VII, 9, et Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. 83. *Crocota* et *corona* etiam confunduntur in Virgil. Cir. 252, ubi Jos. Scaliger verissime legit: « Quæ prius in tenui steterat succincta crocota, » pro vulgata scriptura: « Quæ prius in tenui steterat, succincta corona. » Hanc lectionem postulat adjunctum *tenui*, quod proprie de *crocota* dicitur, ut paulo ante apud Callixen. κροκωτὸς διαφανής. Melius quidem crocota convenit mulieri in publicum prodeunti, quam in thalamo degenti, ut recte monet priscæ eruditionis in Germanis vindex, cujus amicitia gloriamur, C. G. Heynius. Nec tamen mirum videri debet, si, quæ aliis mulieribus vestis forensis, regis filiæ domestica fuit. Scaligeranam correctionem etiam probavit Salmas. ad Tertull. Pall. p. 329.

2. *Cothurnisque succinctus.* Re-

LXXXIII. Inter hunc apparatum belli, Plancus non 1
judicio recta legendi, neque amore reipublicæ aut Cæ-
saris (quippe hæc semper impugnabat), sed morbo prodi-
tor [1], quum fuisset humillimus assentator reginæ [2], et
infra servos cliens, quum Antonii librarius, quum obs-
cœnissimarum rerum et auctor et minister, quum in 2
omnia et in omnibus venalis [3], quum ceruleatus et nudus,
caputque redimitus arundine, et caudam trahens, geni-
bus innixus, Glaucum saltasset [4] in convivio [5], refrigera-

pone, *cothurnisque subnixus*. Horatius, de A. P. 280: « Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno; » Ovidius, Amor. III, 1, 31, de tragœdia: *pictis innixa cothurnis*: ubi vide Heins. Plin. IX Ep. 7: « Hanc tragœdiam appellare soleo, quod quasi cothurnis, illam comœdiam, quod quasi socculis, sustinetur. »

1. *Morbo proditor*. Imitatur Ciceronem pro Cluent. 65: « Mulier jam non morbo, sed scelere furiosa; » ubi Græyius laudare neglexit Gronovium, hanc vocis vim luculenter explicantem, ad Senecam, de Beneficiis, l. I. c. 14.

2. *Humillimus assentator reginæ*. Adjunctum *humillimus*, et quod sequitur, *infra servos cliens*, postulant, ut legatur: *humillimus assectator reginæ*. Cicero, Verr. II, 11: « Quum ab eo quidam vetus assectator non impetraret, etc.; » Tacit. Ann. XI, 21: « Sectator quæstoris, cui Africa obtigerat; » ubi vide præstantissimum Ernest. *Asseclam* alii vocant. Juvenal. Sat. IX, 48: « Vos humili adseculæ, vos indulgebitis unquam Cultori? » qui locus emendationem nostram egregie confirmat. Glossæ MSS. *Assecla*, *buccelarius*, *scurra*. Glossæ editæ: *adsecula*, *παράσιτος*. In hoc famulatu Plancus judex lectus est sponsionis, qua Cleopatra Antonium provocavit, solam se centies HS. una cœna absumpturam, ut narrant Plin. H. N. IX, 35, et Macrobius, Sat. II, 13, pag. 370.

3. *In omnia et in omnibus venalis*. Edit. Basil. et Lipsius, deleto altero *in*, commode legunt: *in omnia et omnibus venalis*. Heinsius etiam *et* tolli volebat: quod etsi elegantius abesse fateor, tamen hic teneo ob similem locum, II, 110: « Omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata. » Julianus, l. II, §. 3, D. de Jure codicilli: « Quum, per omnia et in omnibus, absentis vel quiescentis loco habetur. »

4. *Glaucum saltasset*. Plancus, ni fallor, saltando effinxit Æschylli Γλαῦκον Πόντιον, de qua tragœdia opportuniore loco dicemus. Ex ea sumpta videntur, quæ de Glauco narrat Ovid. Met. XIII, 904, seqq. cujus hi versus cum Velleio comparandi: « Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam, Cæsariemque meam, quam longa per æquora verro, Ingentesque humeros et cærula brachia vidi, Cruraque pinnigero curvata novissima pisce. » Vell. loco usus est Jos. Mercerus ad Aristænet. I, Ep. 26.

5. *In convivio*, *refrigeratus*, etc.

tus, ab Antonio, ob manifestarum rapinarum [1] indicia,
transfugit ad Cæsarem; et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur [2], dictitans, id probatum a Cæsare, cui ille ignoverat: mox autem hunc
3 avunculum [3] Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir prætorius [4], gravissimus pater, Silii socer, quum

Hic locus aliquid obscuritatis traxit ab editionis primæ interpunctione : « Glaucum saltasset, in convivio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. » Recte Lips. minorem distinctionem posuit post *in convivio*, quippe Plancus in convivio saltavit. Sed eadem opera interpungere debuerat post *refrigeratus*, ut verba *ab Antonio* ad *transfugit* referrentur. *Refrigeratus* interpretor, frigide spectatus, frigide exceptus, ut saltationem suam parum placere sentiret. Atque ita Is. Casaubon. in Sueton. Claud. 41, accepit *refrigeratus a semetipso*; Gesnerus in Quint. v, 7, p. 211 : *aliquo urbane dicto refrigerandus*, qui tamen in Thes. L. L. Vellei. num *refrigeratus* minus recte ad frigus amicitiæ refert cum Lipsio, explicans : frigide tractatus, ut sentiret, se non amplius gratiosum esse.

1. *Ob manifestorum rapinarum indicia*. Aliam caussam, quare Plancus Antonium reliquerit, tradunt Plutarchus, Anton. p 942, E, et Dio Cassius, L, pag. 605.

2. *Clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur*. Imitator Sulp. Sev. II, 40 : « Quin etiam synodum Nicænam pro se interpretantes. »

3 *Hunc mox avunculum*, etc. Exemp. vetustum sic habet : « Mox autem hunc, mox avunculum Titius imitatus est, etc. BURER. Sic *non* perperam repetitur lib. II, cap. 54, Lipsius bene scripsit *M. Titius*, quod prænomen, similiter ac præcedenti litera *m* interceptum, Bruto restituimus II, 58.

4. *Coponius*, *vir prætorius*, etc. Exempl. vetustum habet : *Coponius vir. E. prætorius*, etc. BURER. Hic locus non sine gravi macula legitur in edit. pr. : « Haud absurde Coponius, vir prætorius, gravissimus pater, Silii socer. » Quam scripturam edit. Basileens ita mutavit : « Haud absurde Coponius, vir prætorius gravissimus, P. Silii socer. » Præclare *P. Silii* pro *pater Silii* legendum vidit. Idque confirmat Oudendorp. ad Sueton. Aug. 71. Librarii error natus est ex nota *P*, modo *Publius*, modo *pater* significante. Sed quid in illo *E.*, quod Burerius in veteri codice reperit, latere dicamus? Schegkius conjicit : *vir e prætoriis*. At, sic Velleium loqui, non memini. In antiquis lapidibus, tamquam apud Gruterum, p. 311, 1, *V. E.* significat *vir egregius*, vel *excellens* Sed neutra vox ob sequentem superlativum huic loco satis apta. Præterea Velleius, ni fallor, verba hoc ordine collocasset : *Coponius*, *prætorius*, *vir g uvissimus*, etc Quid? si legamus : « Haud absurde Coponius, prætorius, vir eminentissimus et gravissimus, P. Silii socer. » Certe voce *eminentissimus* Velleius frequentius utitur, quam scriptorem tam elegantem deceat.

recens transfuga, multa ac nefanda[1] Plancus absenti Antonio in senatu objiceret: « Multa, inquit, mehercules fecit Antonius, pridie quam tu illum relinqueres. »

LXXXIV. Cæsare deinde et Messala Corvino coss. 1
debellatum apud Actium; ubi longe ante quam dimicaretur, exploratissima Julianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator, illa 2
marcebant omnia[2]; hinc remiges firmissimi[3], illinc inopia adfectissimi; navium hæc magnitudo, modicane[4] celeritate, adversa illa species terribilior[5]; hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui transfugiebant[6]. Denique in ore atque oculis Antonianæ classis 3
per M. Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata[7], bis ante ultimum discrimen classis

1. *Nefanda*. Nescio, quid in mentem venerit editori Basileens. ut huic voci substitueret *miranda*.

2. *Illa marcebant omnia*. Exemp. vetustum habet: *illam arcebant omnia*. Sed perinde *m* ab *arcebant* detractum, atque præcedenti dictioni est additum: ac, si quis studiosissime id fecerit. Odoratur hic etiam inscitia librariorum non intelligentium ea quæ scribebant. Burer. Vascosan. *in illa marcebant*.

3. *Hinc remiges firmissimi* Sic Lipsius verissime correxit edit. pr. scripturam: *hinc reges firmissimi*.

4. *Modicave*. Exempl. vetust. habet: *modicane celeritate*, etc. Burer. Sensus perspicuus est; sed in verbis aliquid scabri. Edit. pr.: « Navium hæc magnitudo, modicave celeritate; » pro quo edit. Basil. dedit: « Navium hinc magnitudo modica, sed celerior. » Ego, Heinsii prope in omnibus conjecturam secutus, totum locum ita constituo: « Navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa; illa species terribilior. » Similis locus, II, 49: « Hic omnia speciosa, illic valentia. . . . . . . illa gloriosa, hæc terribiliora duceret. » Vascosan. *modica celeritate*.

5. *Specie et terribilior*. Forte, *erat terribilior*. Rhenan. Exemp. vetust. sic habet, ut mihi legendum videator: *adversa illa species terribilior*. Burer. Junta et Vascos. ediderunt: *adversa illa specie terribilior*. Edit. Basil. *ex adverso illa specie terribilior*. Vide notam præcedentem.

6. *Aliqui transfugiebant*. Exemp. vetustum habet: *aliquid transfugiebat*, etc. Burerius. Prætoli, quod Rhenanus dedit. Litera *d* in *aliquid* nata est ex sequenti *t*; tum, ut syntaxis constaret, pluralis in singularem mutatus.

7. *Corinthus occupata*, etc. In ed. pr. male interpungitur: « Corinthus occupata bis, ante ultimum discrimen, etc., » quod edit. Basil. bene

hostium superata. Rex Amyntas[1] meliora et utiliora secutus (nam Deillius, exempli sui tenax[2], ut a Dolabella

mutavit. Nam Livius quoque, Ep. CXXXII, *pugnas navales* numero multitudinis commemorat: ubi vide Drakenborchium.

1. *Amyntas.* Hoc nomen editor Basil. restituit. Editio pr. *Myntas.* De hoc Galatiæ et Lycaoniæ rege quæ dici poterant, dixit Noris. ad Cenot. Pis. Diss. II, 10, pag. 209. Ejus filius Pylæmenes memoratur in marmore apud Chishul. ad Monum. Ancyr. pag. 168.

2. *Nam Deillius, exempli sui tenax*, etc. Hunc locum ed. pr. monstrose depravatum exhibet: « Nam de illius exemplis vitæ naxuta Dolabella ad Cæsarem. » Pro quo editor Basil. summa temeritate et contra historiæ fidem, scripsit: « Inde illius exemplo vir audax Dolabella, virque clarissimus, etc. » Quam tamen conjecturam, velut præclaram, arripuit, et pro sua venditavit Ursinus. Nec feliciora sunt Schegkii et Acidalii commenta, quæ, ut lectorum fastidio occurram, prætereo. At vero Lipsius, vir magnus, etiam in arte critica, quicquid Burmannus in Præf. ad Syllog. Epistol. dicat, Lipsius igitur hunc locum divinitus restituit, non literis mutandis, sed male distractis apte conjungendis: « Nam Deillius exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cassium. » Cujusmodi emendationes, utile est, adolescentibus critices studiosis ad imitandum proponi; quod in Græcis fecit Valckenarius noster, Diatrib. in Euripid. cap. XXV. Fundus Lipsianæ correctionis est Seneca pater, Suasor. p. 7: « Bellissimam tamen rem Deillius dixit, quem Messala Corvinus (in libro, puto, *de Familiis romanis*) desultorem bellorum civilium vocat, quia ab Dolabella ad Cassium transiturus, salutem sibi pactus est, si Dolabellam occidisset, et a Cassio deinde transivit ad Antonium; novissime ab Antonio transfugit ad Cæsarem. » In eo tamen non imiter Lipsium, quod verba *ad Cæsarem* velut huc tracta e vicinia delet, aut mutat. Quæ, tantum abest, ut supervacua aut corrupta sint, ut potius manifestum lacunæ judicium præbeant. Nam Velleius haud dubie scripserat: « Nam Dellius exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cassium, a Cassio ad Antonium, ita ab Antonio transiit ad Cæsarem. » Fateor quidem, verba *ad Cæsarem* hoc modo bis in eadem periodo poni. Sed tot verba interjecta facile medentur vel delicatissimo aurium fastidio. *Dellius* autem scripsimus, non *Deillius*. Sic eum vocat Horatius, non minus hujus nebulonis, quam Planci, quod uterque Augusti gratia florebat, insignis adulator, II, Carm. 3, 4. Sic, præter Plutarchum et Dionem, Josephus A. J. XIV, 15, p. 729, ex quo *Dellius* pro *Gellius* Pseudo-Hegesippo, I, 30, restituit Gronov. Obs. in Script. Eccles. c. 34, p. 268. Dellium historicum dicit Plutarchus in Anton. p. 943, D, quod Antonii parthicam expeditionem literis mandarat. Id nos docet unus Strabo, XI, p. 794, ex certa Casauboni emendatione: Ὥς φησὶ Δέλλιος, ὁ τοῦ Ἀντωνίου φίλος, συγγράψας τὴν ἐπὶ Παρθυαίους στρατείαν αὐτοῦ, ἐν ᾗ παρῆν καὶ αὐτὸς, ἡγεμονίαν ἔχων. Hanc historiam græce, an latine scripserit, tametsi incertum est, a Vossio tamen inter his-

ad Cæsarem) virque clarissimus, Cn. Domitius, qui solus Antonianarum partium, nunquam reginam nisi nomine salutavit[1], maximo et præcipiti periculo transmisit ad [2] Cæsarem.

LXXXV. Advenit deinde maximi discriminis dies, 1
quo Cæsar Antoniusque productis classibus, pro salute
alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavere. Dex- 2
trum navium Julianarum cornu M. Lurio[3] commissum, lævum Aruntio[4], Agrippæ omne classici certaminis arbitrium; Cæsar ei parti destinatus, in quam a fortuna vocaretur, ubique aderat. Classis Antonii regimen Publicolæ, Sosioque[5] commissum. At in terra locatum

toricos græcos refertur, IV, 15. Pæne exciderat, errorem castigare Torrentii ad Horat. l. c., Dellium, desultorem bellorum civilium, a Dellio historico diversum statuentis. Adde Lipsium ad Tacitum Ann. l. 1, c. 6. — *Naxuta*. Opinor legi debere, *natura*. BURER.

1. *Nisi nomine salutavit*. Suetonius, Vespasian. 15: « Qui et reversum se ex Syria solus, privato nomine Vespasianum salutaverat; » ubi vide interpretes.

2. *Transmisit ad Cæsarem*. Lips malebat, *transmisere ad Cæsarem*, ut Amyntas etiam comprehendatur. Sed centies duobus pluribusve nominibus singularibus jungitur verbum singulare. Exempla sunt apud Drakenborch. ad Liv. XXXVII, 29.

3. *M. Lurio*. Edit. pr. *M. Lario*, quod correxit Ursinus ad h. l. et de Famil. Ro. p. 161. Discrepat a Velleio in hac re narranda Plutarchus, Anton. pag. 946, A.

4. *Aruntio*. Editio pr. *Adruntio*, in qua hoc nomen semper corruptum est, ut II, 77, in *Atruntium*, II, 86, in *alarunt*. Hic illud restituit editor Basileensis.

5 *Publicolæ, Sosioque*. Editio pr. turpi mendo, *Pulico Læsosioque*, quod ab editore Basileensi sublatum. E Velleio emendandus est Plutarch. Anton. p. 945, F: Ἀντώνιος μὲν, τὸ δεξιὸν κέρας ἔχων καὶ Ποπλικόλας· Κοίλιος δὲ, τὸ εὐώνυμον· ἐν μέσῳ δὲ Μάρκος Ὀκτάβιος, καὶ Μάρκος Ἰνστῆιος. Pro Κοίλιος scribe Σόσιος. Quod nomen quam varie scribatur a librariis, Oudendorpius, ad Suetonium, Aug. 17, ostendit. C. Sosius, consul a. U. c. 722, et legatus Antonii, multis rebus gestis nobilitatus, post pugnam actiacam veniam ab Augusto impetravit, ut narrant Velleius, II, 86, et Dio Cassius, LI, p. 633, LVI, p. 836. At idem Dio, L, p. 614, Sosium in prælio navali, quod cum Aruntio ante pugnam actiacam inierat, periisse tradit, hoc nomine reprehensus a Lipsio ad h. l. et Noris. ad Cenot. Pis. Diss. II, 16, p. 284. Sed quis eruditum scriptorem tam repugnantia scripsisse credat? Alii igitur duo Sosios in partibus Anto-

exercitum Taurus Cæsaris, Antonii regebat Canidius
3 Ubi initum certamen est, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites; in altera nihil præter milites. Prima occupat fugam Cleopatra; Antonius fugientis reginæ, quam pugnantis militis sui, comes esse maluit; et imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor
4 exercitus sui factus est. Illis, etiam detracto capite[1], in longum fortissime pugnandi duravit constantia; et desperata victoria, in mortem dimicabatur. Cæsar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere[2] cupiens, clamitansque et ostendens, fugisse Antonium, quærebat, pro
5 quo, et cum quo pugnarent? At illi, quum diu pro absente dimicassent duce, ægre summissis armis[3] cessere victoriam; citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis, ut ea precarentur, persuasum est; fuitque in confesso, milites optimi imperatoris, imperatorem
6 fugacissimi militis functum officio. Quis dubitet[4], suo, an Cleopatræ arbitrio, victoriam temperaturus fuerit, qui ad ejus arbitrium direxit fugam? Idem locatus in terra fecit exercitus, quum se Canidius præcipiti fuga rapuisset ad Antonium.

nianis fuisse suspicantur, ut Lipsius ad hunc locum, Puteanus ad II. 86, et Fabric. ad Dion. loco cit. Atqui alterius Sosii ne vestigium quidem in horum temporum historia reperitur. Nobis igitur culpa in librarios relegand videtur, qui in Dione L, p. 614, Σόσσιον scripserint, ubi ipse auctor alium legatum Antonianum, cujus nomen ignoramus, et in hac monumentorum penuria semper ignorabimus, memorarat.

1. *Detracto capite.* Sic Vascosan. et edit. Basil. emendaverunt scripturam editionis pr. *detrectato capite*,

2. *Verbis mulcere.* Sallust. apud Priscian. IX, p. 871 : « Dein lenita jam ira, postero die liberalibus verbis permulcti sunt. »

3. *Summissis armis.* Vide H. Valesium ad Ammian. Marc. XXVI, 7.

4. *Videbit e suo.* Alias, *viderit.* RHENAN. Mihi melius placet ut legatur : *ut dubites suone, an Cleopatræ*, etc. BURER. Locus varie tentatus. Repone : « Quis dubitet, suo, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerit ? » Id simplicissimum est, et proxime accedit ad edit. pr. vestigia : « Videbit e suo, an Cleo-

LXXXVI. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, ex quo in quem statum pervenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? 1
Victoria vero fuit clementissima; nec quisquam interemptus est: paucissimi [1], et hi, qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus sui, aut in campis philippiis, si sic licuisset [2], victoriæ suæ facturus fuerit [3] (modum). At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate [4] celeber- 2

patræ... temperaturus fuerat.» Itaque recepi.

1. *Nec quisquam interemptus est: paucissimi*, etc. Edit. Basil. scripsit: *nec quisquam interemptus, nisi paucissimi*. Verior est emendatio nostra: « Nec quisquam interemptus est, paucissimis exceptis, qui ne deprecari quidem pro se sustinerent. » Heinsius etiam legit: *ne deprecari quidem*. Clementiam suam erga victos cives ipse Augustus prædicat in Monimento Ancyrano p. 172: « Victorque omnibus supplicibus civibus peperci. »

2. *Si sic licuisset* Vascosanus *sic* expungit, me non invito.

3. *Victoriæ suæ facturus fuerit.* Videtur deesse *modum*. Et hic, ut videtur, multa desunt. RHENAN. Mihi sic legendum videtur: « Quem autem initio triumviratus sui, aut in campis philippiis, si licuisset, victoriæ suæ facturus fuerit triumphum. » BURER. Pro *philippiis* edit. Basileens. dedit *philippicis*. Sed vide quæ notavimus ad I, 5, p. 13. Mox Rhenanus bene *modum* supplet. Sallust. Catil. 24: « Ubi ætas tantummodo quæstui, neque luxuriæ modum fecerat; » ubi vide Cortium. Alioquin etiam *finem* supplere possis. Sallust. Jug. 31: « Utrinsque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit; » Liv. XLII, 23: « Ipsum nullum, præterquam suæ libidinis arbitrio finem, facturum; » Seneca, Troad. 786: « Magnus sibi ipse non facit finem dolor. »

4. *At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate*, etc. Monstrum lectionis habet edit. pr.: « Ad solinm alarunt, in prisca gravitate celeberrimi fides. » At vulnus tam grave, et ab ipso Lipsio pro desperato habitum, Claudius Puteanus incredibili felicitate sanavit: « At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate celeberrimi, fides. » Comparent critices studiosi hanc palmariam emendationem cum illa Lipsiana, quam tantopere laudavimus II, 84, pag. 208, in eaque non magis sagacitatem, qua Puteanus verum invenit, quam modestiam, qua crisin proposuit, mirentur; discant denique hoc exemplo, ne in locis quidem depositis esse desperandum, quum hic etiam fortuna partes suas agat, et sæpe, quod alter longa meditatione frustra quæsiverat, alteri offerat non quærenti. Hunc L. Aruntium, qui a. U. c. 732 consul fuit, viri docti sæpe confundunt cum filio, consule a. U. c. 759, ut Lipsius ad

rimi, fides, mox [1], diu clementia luctatus sua, Cæsar
3 servavit incolumem. Non prætereatur Asinii Pollionis
factum et dictum memorabile; namque quum se post
Brundisinam pacem [2] continuisset in Italia, neque aut
vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore
ejus Antonii animum, partibus ejus se [3] miscuisset, ro-
4 gante Cæsare, ut secum ad bellum proficisceretur ac-
tiacum: « Mea, inquit, in Antonium majora merita
sunt, illius in me beneficia notiora: itaque discrimini
vestro [4] me subtraham, et ero præda victoris [5]. »

1 LXXXVII. Proximo deinde anno [6], persecutus regi-
nam Antoniumque Alexandream [7], ultimam bellis civi-

Tacit. Ann. l. 1, c. 12. Sed, quomodo distinguendi sint, præter Puteanum ad h. l. erudite docet Fr. Brummerus ad Leg. Cinc. cap. 7, pag. 84. Arruntius per duplex r ubique scribi vult N. Faber ad Senec. Contr. III, p. 223. Sed promiscue scribi, lapides apud Grut. et alios ostendunt.

1. *Mox, diu clementia luctatus sua, Cæsar.* *Luctari* cum dativo et ablativo sæpe struunt poetæ. Vide interpretes ad Silium Ital. IV, 592, XIV, 454. Id si in prosæ orationis scriptore durius videatur, scribe cum Lipsio: *cum clementia luctatus sua*, ut II, 63: « Plancus diu, quarum esset partium, secum luctatus; » 115: « Cum difficultate locorum luctatus. » *Cum*, quod librarii per c scribere solent, facile excidere potuit ante vocem ab hac litera incipientem, *clementia*. Sensus est: Cæsar diu, quid ageret, dubitavit, hinc clementia ad veniam dandam, illinc ira ad ulciscendum stimulante. Appositus locus Senecæ, de Clement. II, 1: « Quæ vox bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit. »

2. *Nam quum se post brundusinam pacem.* Exempl. vetus habet: *Namque quum se post brundisinam*, etc. Burer.

3. *Se immiscuisset.* Ex. vetustum habet, *se miscuisset*. etc. Burer.

4. *Discrimini vestro.* Recepimus Acidal. correctionem. Edit. pr. *discrimine vestro*, quod Burm. frustra defendit ex Virgilio, Æn. VI, 465: *Teque adspectu ne subtrahe nostro*; ubi *adspectu* est dativus antiquus.

5. *Et ero præda victoris.* Hoc velut ex legitima formula dicitur. Liv. XXXII, 21: *Quid aliud quam præda victoris erimus?* Valer. Max. V, 6, 7: « Quum urbs nostra nihil aliud, quam præda victoris esse videretur; » Justin. XLI, 1: « Parthi, veluti vulgus sine nomine, præda victorum fuere; » Seneca, Medea 517: « nos confligere inter nos sine; Sit pretium Jason; » ubi hoc Velleii loco usus est Gronovius. Eamdem sententiam ita exprimit Lucanus, IX, 241: « Dominum, quem clades cogit, habebo. »

6. *Proximo anno.* Ex vet. hab.: *Proximo deinde anno*, etc. Burer.

7. *Alexandriam.* Exempl. vetus habet, *Alexandream*. Burer. Vide

libus imposuit manum. Antonius se ipse non segniter
interemit, adeo ut multa desidiæ crimina morte redime-
ret[1]; at Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide,
morsu sane ejus[2], expers muliebris metus, spiritum red-
didit. Fuitque et fortuna et clementia Cæsaris dignum, 2
quod nemo ex his, qui contra eum arma tulerant, ab
eo, jussuve ejus, interemptus. D. Brutum Antonii in-
teremit crudelitas; Sex. Pompeium, ab eo[3] devictum,
idem Antonius, quum dignitatis quoque servandæ de-
disset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus et Cassius, 3
ante quam victorum experirentur animum, voluntaria
morte obierunt; Antonii Cleopatræque quis fuisset exi-
tus, narravimus; Canidius timidius decessit, quam pro-
fessioni ejus, qua semper usus erat[4], congruebat.

LXXXVIII. Ultimus autem ex interfectoribus[5] Cæ- 1

interpretes ad h. l. et quæ notavimus ad l. II, c. 69.

1. *Multa desidiæ crimina morte redimeret*. Elegans locutio, in qua *redimere* est pensare. Vide, præter interpretes ad h. l., Gronovium ad Senec. Suasor. p. 47, et Swarzium ad Plinii Paneg. 28.

2. *Morsu sane ejus*. Exemp. vetus habet: *inlata aspide in morsu sane ejus*, etc. Burer. Certa nobis videtur Acidalii ratio, verba ita transponentis: « Morsu ejus, sane expers muliebris metus, spiritum reddidit; » II, 88: « Vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis; » 93: « Juvenis sane, ut aiunt, ingenuarum virtutum. » *Sanies*, quod nonnulli Velleio obtrudunt, poetis usitatum est pro veneno, non item solutæ orationis scriptoribus. *In* ante *morsu*, volentibus omnibus, qui, quoties ex sequenti *m* natum sit, sciant, ejecimus.

3. *Ob eodem victum*. Exempl. vet. habet, *ab eodem victum*. Burer. Recepimus Acidalii correctionem, *ab eo devictum*.

4. *Professioni ejus, qua semper usus erat* Hunc locum non intellexit Wopkens. Misc. Obs. VIII, pag. 67. *Professio* dicitur pro militaris vitæ instituto, ut apud Valerium Max. III, 3, 4, pro philosophia; Scribonium Larg. 200, pro medicina; Quintilianum, I, 4, 2, pro grammatica, et universe pro quavis arte, quam quis profitetur.

5. *Ultimus autem ex interfectoribus*, etc. Wesselingius, Observ. I, 26, non Cassium Parmensem, sed P. Turullium, ultimum ex interfectoribus Cæsaris, pœnam dedisse disputat. Nec tamen ejus rationes apud me tantum ponderis habent, ut id, quod Velleius tradit, in dubium vocandum putem. De hujus Cassii rebus gestis videndus Appianus, de Bello Civ. V, p. 1072. Eumdem, ingenio et

saris, Parmensis Cassius morte pœnas dedit, ut dederat (primus) Trebonius[1]. Dum ultimam bello actiaco,

poetica facultate clarum, cum Cassio Severo, oratore, qui sub Augusto et Tiberio vixit, temere confundunt Vossius, de Poetis latinis, c. 2, p. 237, et Burmannus ad Quintilianum, v, 11. Ad ejus laudem pertinet locus Horatii, 1. Ep. 4. 3: « Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat; » ubi eruditum scholium est Acronis: « Hic aliquot generibus stilum exercuit: inter quæ opera elegiaca et epigrammata ejus laudantur. Hic est, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus militum militavit, quibus victis, Athenas se contulit. Q. Varius ab Augusto missus, ut eum interficeret, studentem reperit, et perempto eo, scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt, Thyesten Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas tragœdias. » Alius scholiastes MS. in codice Franeqn. teste cl. Burm. Sec. Anthol. t. 1, p. 98, ad eumdem versum notaverat: *Hic Epicurus fuit et poeta*, ubi scribe: *Hic epicureus fuit*, etc. Cassium enim Parmensem imperite confundit cum altero Cæsaris interfectore, C. Cassio Longino, quem epicureum fuisse scimus ex Cicerone ad Div. xv, 16, et Plutarcho in Bruto, p. 1001, A. Ad Parmens. quoque cum Massono, Vit. Horat. pag. 156, referam alterum locum Horatii 1 Serm. 10, 60: « amet scripsisse ducentos Ante cibum versus, totidem cœnatus: Etrusci Quale fuit Cassi rapido ferventius amni Ingenium, capsis quem fama est esse librisque Ambustum propriis; » ubi ejusdem Acronis scholium est multum dissimile priori: « Cassium, malum poetam, rapido amni, qui multa purgamenta secum trahit, comparat qui multos versus in parvo momento scripserat nullius utilitatis. Ideo post ejus mortem decrevit senatus, ut libri cum corpore exurerentur. » Quot verba, tot errores. Nam primum non talis hic comparatio est, qualis in Callimacho H. in Apoll. 108: Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, etc. Nec Horatius laudi, quam altero loco Cassio dedit, quicquam detrahit, sed tantum fervidi ingenii in versibus fundendis celeritatem, et inde natam librorum multitudinem reprehendit. Deinde grammaticus turpi errore huc trahit, quod de Cassio Severo, oratore, legerat in Suetonio, Calig. 16: « Cassii Severi scripta senatusconsultis abolita. » Verumtamen ne illud quidem, quod Acron superiore scholio narrat, credibile videtur, poetam Varium (quod hominum genus mitissimum esse solet) ad alterum poetam, Cass. Parmensem, interficiendum ab Augusto missum esse. Tale negotium tribunis aut centurionibus mandari solebat. Quum igitur sub Augusto Varus, a Virgilio cultus, dux copiarum fuerit, ut Servius ad Virgilium, Ecl. ix, 35, testatur, huic Cassii trucidandi ministerium delegatum suspicor, et totam fabulam de Cassio per Varium interfecto, ex perpetua confusione nominum *Varus* et *Varius* fluxisse. Cæterum Plinius, H. N. l. xxxi, c. 2, laudat Cassii Parmensis epistolam ad M. Antonium; aliam ad Augustum Suetonius, August. 4, quam, miror, a viro doctissimo non diversam statui ab illa ad Antonium, quamvis in hac ipsum Augustum alloquatur: *Materna tibi farina*, etc.

1. *Ut dederat Trebonius.* Exempl,

alexandrinoque Cæsar imponit manum, M. Lepidus, juvenis forma quam mente melior, Lepidi ejus, qui triumvir fuerat reipublicæ constituendæ, filius, Junia Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Cæsaris consilia inierat. Tunc urbis custodiis 2
præpositus C. Mæcenas, equestri, sed splendido genere natus[1], vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exomnis, providens, atque agendi sciens[2]; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens[3]; non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus : quippe vixit angusti clavi[4] pæne contentus;

vet. habet : *Tribonius*. BURER. Scribendum de Aldi nepotis, an Puteani, conjectura : *ut dederat primus Trebonius*; idque probarunt Vossius de Poet. Lat. cap. 2, p. 237, et Massonus, Vita Horat. p. 155. Hæc emendatio quum tam certa et perspicua sit, ut sine stupore vix dubitari posse videatur, vocem *primus* in textum, unde exciderat, quamquam uncis inclusam, reduxi.

1. *Equestri, sed splendido genere natus*. Optime sic emendarunt Vascosanus et editor Basil. editionis pr. vitiosam scripturam : *equestris et splendido genere natus*. De *equitibus splendidis*, qui etiam *illustres*, *speciosi*, *insignes* dicuntur, vide Lipsium ad Tacit. Ann. XI, 4, et Ernestum in locum citatum longe disputantem : et Massonum Vit. Horat. p. 114.

2. *Agendi sciens*. Locutionem habet a Sall. Jug. 85 : *locorum sciens*; 97 : *scientes belli*; Arusian. Mess. MS. : *sciens hujus rei*; Sallustius : *sciens horum* (forte, *locorum*); idem Hist. I, II : *bellicæ rei sciens*.

3. *Mollitiis pæne ultra feminam fluens*. Forcellinus Lex. Lat. v. *Ultra*, alios legere dicit, *ultra famam*, h. e. plus quam fama prædicaret, aut homines crederent. Isti correctores qui sint, nescio : a Velleii mente aberrasse, scio. *Fluere mollitia* dixit etiam Cicer. Tusc. Disp. II, 21; absolute *delicati ac fluentes* Pacatus, Paneg. 14. Vide Drakenb. ad Liv. VII, 29.

4. *Angusti clavi pæne contentus*. Editor Basil. scripsit : *angusto clavo pæne contentus*. At mihi genitivus a substantivo, quod in *pæne* corruptum latet, pendere videtur. Pugnat quidem Heinsius ad h. l. et ad Ovid. Met. V, 169; XV, 515, pro constructione adjectivi *contentus* cum genitivo. Sed si quis exempla, quibus utitur, diligenter excusserit, dubia reperiet omnia. Nec aliter judicat Gesnerus, Thes. L. L. Cum Velleio, præter alios, convenit Porphyrion ad Horat. I Carm. 20, 5 : « Constat, Mæcenatem in equestri dignitate sua voluntate permansisse, quum utique facultas lati clavi pateret. » Eamdem rem poetice sic expressit Stat. Silv. IV, 5, 42 : « Hic parvus, inter pignora curiæ, Contentus arto lumine purpuræ, Crescis; » ubi vide Marklandum.

nec minora consequi potuit[1], sed non tam concupivit.
3 Hic speculatus est per summam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia juvenis, et mira celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restinxit initium; et ille quidem male consultorum pœnas exsolvit. Æquetur prædictæ jam Antistii[2] Servilia Lepidi uxor, quæ vivo igni devorato, prematuram mortem[3] immortali nominis sui pensavit memoria.

1 LXXXIX. Cæsar autem reversus in Italiam atque urbem, quo occursu[4], quo favore omnium hominum, ætatium, ordinum exceptus sit; quæ magnificentia triumphorum ejus, quæ fuerit munerum, ne in operis quidem justi materia[5], nedum hujus tam recisi[6], digne ex-

1. *Nec minora consequi potuit.* Forte leg. *nec majora consequi non potuit.* RHENANUS. Mihi asteriscus et lectio marginalis inducendæ videntur, quum bene habeat Velleiana lectio, si quis propius intueatur. BURER. *Nec* resolvendum in *et non* : et non minora consequi potuit, quam Agrippa, sed non tam concupivit, quam ille. Sic etiam Popma et Heinsius ceperunt. Vide Cortium ad Sallust. Jugurth. 1.

2 *Prædictæ jam Antistiæ*, etc. Alias, *Calpurniæ Antisti et Servilia Lepidi uxor.* RHENAN. Recepi Vossii emendationem : *prædictæ jam Antistii*, scilicet uxori. De *Servilia* vide Perizonium Anim. Hist. c. 3, p. 135. Porciam Bruti sibi etiam ignis haustu mortem conscivisse, alii scriptores narrant, quos laudat Fabricius ad Dion. Cass. XLVII, p. 526.

3. *Præmat. mort.*, etc. Exempl. vetustum sic habet, ut potius legendum existimem : « Præmatura morte immortalem nominis sui pensavit memoriam. » BURER.

4 *Quo occursu*. Hoc de necessaria et certa Lipsii correctione recepimus. Edit. pr. « Cæsar autem reversus in Italiam atque urbem occursus, quo favore, etc. » Vascos. *quo concursu.* Mox idem *ætatum* pro *ætatium.*

5. *Nedum in operis siquidem justi materia.* Alias, *vix in operis et quidem.* RHENANUS. Lectioni Velleianæ nihil deesse videtur, si bene perpendas. BURER. Edit. Basil. optime hunc locum restituit : *ne in operis quidem justi materia.* Ed. pr. *nedum in operis siquidem justi materia* ; ubi *nedum* inculcatum est ex sequentibus, *si* natum ex ultima syllaba vocis *operis.* II, 103 : « Lætitiam illius diei..... vix in illo justo opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. »

6. *Hujus tam recisi. Præcisum opus* Sulpic. Sev. I, 10, 19; II, 27; dixit Velleii imitatione. Plin. I Ep. 20: « Quæ latius dixerit, postea recisa

primi potest. Nihil deinde optare a diis[1] homines, nihil 2
dii hominibus præstare possunt; nihil voto concipi, nihil
felicitate consummari[2], quod non Augustus, post redi-
tum in urbem, reip. populoque rom. terrarumque orbi
repræsentaverit. Finita vicesimo anno bella civilia, se- 3
pulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum
furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas, senatui
majestas; imperium magistratuum ad pristinum redac-
tum modum; tantummodo octo prætoribus allecti duo[3];
prisca illa et antiqua reipublicæ forma revocata[4]; rediit 4
cultus agris[5], sacris honos, securitas hominibus, certa
cuique rerum suarum possessio; leges emendatæ utiliter,
latæ salubriter; senatus sine asperitate, nec sine severi-
tate lectus; principes viri, triumphisque et amplissimis
honoribus functi, hortatu principis, ad ornandam ur-

ac purgata in unum librum coarctasse. »

1. *Nihil deinde optare a diis.* Scribendum : *nihil denique optare*, etc. II, 113 : *tanto denique exercitu.* Particulæ elegantiam illustrarunt interpretes ad Florum, I, 16, 3. Ipsa loquendi forma similis illi Ciceronis pro Leg. Manil. 16 : « Qui a diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. » Livius, XXXV, 31 : « Nihil quemquam ab diis immortalibus precari posse, quod non Magnetes ab illis haberent. »

2. *Felicitate consummari.* Ferrarius ad Cicer. Phil. XI, 7, hæc observat : « Verbum *consummare* neque superior, quod sciam, neque Ciceronis ætas usurpavit : quod inferior ætas postea trivit. » Recte hoc verbum Ciceronis esse negat; sed errat, inferiori ætati tribuens, quod est aureæ. Livius, XXIX, 23 : « Ad eam rem consummandam profectus Hasdrubal; » ubi Drakenborchii quoque inanis est dubitatio. Ovid. Trist. V, 5, 24 : « Consummetque annos, sed diuturna, suos. » Manil. IV, 159 : « numerisque modisque Consummant orbem. » Vitruvius, I, 1 : « Per arithmeticen sumptus ædificiorum consummantur. » Vide Vossium de Vitiis Serm. VII, p. 356, et Burmann. Secund. ad Anthol. Lat. t. II, p. 258.

3. *All. duo.* Vide Lipsium, quem viri docti ad h. l. laudarunt, ad Tac. Ann. I, 14, excursu D.

4. *Revocata.* Malim cum Acidalio *renovata*, præsertim quum in hoc loco orationis variandæ studium appareat. Perpetuam horum verborum permutationem esse, nemo nescit.

5 *Rediit cultus agris.* Comparandus hic locus cum Horatio, IV Carm. 15 : « tua Cæsar, ætas Fruges et agris rettulit uberes, etc. »

5 bem illecti sunt. Consulatus tantummodo[1] usque ad
undecimum, quem continuaret Cæsar, quum sæpe
obnitens repugnasset, impetrare potuit : nam dictatu-
ram, quam pertinaciter ei deferebat populus, tam con-
6 stanter repulit. Bella sub imperatore gesta, pacatusque
victoriis terrarum [2] orbis, et tot extra Italiam, domique
opera, omne ævi sui spatium impensurum in id solum
opus scriptorem [3] fatigent : nos, memores professionis,
universam imaginem principatus ejus oculis animisque
subjecimus.

1 XC. Sepultis, ut prædiximus, bellis civilibus, coa-
lescentibusque reipublicæ membris, et coram [4] aliero,

1. *Consulatus tantummodo*, etc. Sensus satis perspicuus est, sed verba impedita. Edit. Bas. scripsit : « Consulatus tantummodo usque ad undecimum ut continuaret Cæsar, quum sæpe obtinens repugnasset, impetrari potuit. » Quæ correctio non temere repudianda videtur. Certe congruit historiæ. Sueton. Aug. 26 : « Consulatus (a tertio) usque ad undecimum continuavit. » Burmannus in *consulatus*, nullo exemplo, *cepit* vel *gessit* intelligens, non animadvertit, se Velleium in gravis erroris societatem trahere. Neque enim Augustus tantum consulatus gessit usque ad undecimum, sed post hunc etiam bis consul fuit, atque adeo consulatus gessit tredecim. Vide Oudendorp. ad Sueton. l. c.

2. *Pacatusque victoriis terrarum orbis*. Eleganter conjicit Lipsius : *peragratusque terrarum orbis* ; Livius, xxxv, 12 : *peragratusque orbis terrarum victoriis ejus gentis* ; Curtius, III, 5 : *terras, quas victoriis peragrassent* ; Florus, II, 1 : *orbem terrarum bellis victoriisque peragravit* ; ubi vide Dukerum. Nihil tamen mutare, melius est. *Pacare* romanis scriptoribus est domare, sub imperium romanum redigere. Cur igitur minus dicere liceat *pacare victoriis*, quam *domare victoriis*, ut dixit Cicero pro Sext. 31.

3. *Fatigent*. Hoc recepimus de Acidalii correctione. Edit. pr. *fatigant*.

4. *Et coram aliero*. Mihi legendum videtur, *et coram altero*, ut subaudiatur *R. P. membro*. BURER. Hujus loci vulnus editorem Basil. aliosque ad eam desperationem adegit, ut, quum nullam medicinam reperissent, illud crudeliter essecarent, textuque ejicerent. Nos, etsi nihil hic præstare possumus, tamen corruptam lectionem, ut aliis veræ quærendæ occasio præbeatur, in pristinam sedem reduximus. Videant acutiores, an Velleio corrigendo prodesse possit, qui illum ob oculos habuisse videtur. Pacatus, Paneg. 36 : « Junguntur socia agmina, et sub uno capite divisa reipublicæ membra coalescunt ; » ubi *divisa* respondet Velleiano *laceraverat*.

quæ tam longa armorum series laceraverat, Dalmatia
xx et cc[1] (annos) rebellis, ad certam confessionem pa-
cata est imperii; Alpes feris incultisque nationibus[2] ce-
lebres perdomitæ; Hispaniæ, nunc ipsius[3] præsentia,
nunc Agrippæ, quem usque in tertium consulatum, et
mox collegium tribunitiæ potestatis, amicitia principis
evexerat, multo varioque Marte pacatæ. In quas pro- 2
vincias quum initio, Scipione et Sempronio Longo coss.,
primo anno secundi[4] punici, abhinc annos CCL, romani
exercitus missi essent, duce Cn. Scipione, Africani pa-
truo, per annos cc in his multo mutuoque ita certatum
est[5] sanguine, ut, amissis populi romani[6] imperato-
ribus, exercitibusque, sæpe contumelia etiam, non-
nunquam periculum[7] romano inferretur imperio. Illæ 3
enim provinciæ Scipiones consumpserunt; illæ contu-
melioso xx annorum bello sub duce Viriatho majo-
res nostros exercuerunt; illæ terrore numantini belli
populum romanum concusserunt. In illis turpe Q.
Pompeii fœdus, turpiusque Mancini, senatus cum
ignominia dediti imperatoris rescidit: illa tot consu-

1. xx *et* cc. Lipsius bene addit *annos*; sed Heinsius uncis inclusit.

2. *Feris multisque nationibus.* Nihil verius Heinsiana emendatione: *feris incultisque nationibus.* Eam igitur recepi pro edit. pr. scriptura: *feris multisque nationibus.*

3. *Ipsius præsentia.* Commodius est, *ipsius præsentis*, ut Burmannus malebat.

4. *Secundi punici.* Heinsius scribit, *secundi belli punici.* Recte. Neque enim ullum talis ellipsis exemplum reperitur.

5. *Multo mutuoque .... sanguine.* Eleganter. Pro eo Liv. II, 64: *pugnatum utrimque plurimo sanguine*; Justinus, XXII, 7: *magno utriusque exercitus sanguine.*

6. *Amissis P. R. imperatoribus.* Merito ab omnibus recepta est hæc editoris Basileensis emendatio. Editio prima: *amissis prætor imperatoribus.* Eumdem errorem vidimus, lib II, cap 61.

7 *Sæpe contumelia etiam, nonnunquam periculum.* Aldus nepos sic interpunxit: *sæpe contumelia, etiam nonnunquam periculum.* Edit. Basil. *etiam* frigere sentiens, sic trajecit: *sæpe contumelia, nonnunquam etiam periculum.* Mihi ex ultimis syllabis vocis *contumelia* natum, atque adeo delendum videtur.

lares, illa tot prætorios[1] absumpsit duces, patrumque ætate, in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non [2] potuerit, [3] Hispanis, Romanisne in armis plus esset roboris, et uter populus
4 alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos ferme L perduxit Cæsar Augustus, ut, quæ maximis bellis nunquam vacaverant, eæ sub [4] C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, cæterisque, postea etiam latrociniis vacarent.

1 XCI. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac rege Parthorum signa romana, quæ Crasso oppresso [5] Orodes, quæ Antonio pulso filius ejus Phrahates ceperant, Augusto remissa sunt. Quod cognomen illi viro, Planci sententia [6], consensus universi senatus populique rom.
2 indidit. Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. Quippe L. Murena, et Fannius Cepio, diversis moribus (nam Murena sine hoc facinore potuit vi-

1. *Illa tot prætorios*. Vascosanus male delet *illa*.

2. *Non potuerit*. Exemplar vetustum habet. *non poterit*. BURERIUS

3. *Hispanis*, *Romanisne in armis*, etc. Vascosanus, sede, quam particula *ne* occupat, offensus, hæc ita mutavit: *Hispanisne*, *an Romanis*. Sed facile refellitur et Velleii et aliorum exemplis, II, 40: *gloriæ*, *laborisne majoris*, *incertum est*; Nepos. Dat. 9: *verum*, *falsumne esset relatum*; Liv. I, 46: *filius*, *neposne fuerit*; ubi vide Drakenb.

4. *C. Antistio*. Edit. pr. *C. Aristio*. Verum nomen editor Basil. reposuit. Res certa ex Flor. IV, 12, 51, et Dione Cass. LIII, p. 720.

5 *Crasso oppresso*. Sic edit. Bas. optime correxit lectionem edit. pr. *Crasso presso*. Eodem modo præcedens o sequens elisit in Marmor. Salonitan. pag. 31: « Seio Dalmatæ, homini bono, qui incendio pressus est, Aurelia Victorina uxor; » ubi *oppressus* bene legit cl. Zacharias.

6. *Quod cogn. illi viro*, *Planci sententia*, etc. Nescio, an damnandum sit *illi viro* pro simplici *illi*. Cicero ad Div. I, 9: « Quæ mihi videbatur, contentionem cum illis viris nolle fieri. » Tamen animus magis inclinat, ut legam: « Quod cognomen illi vere, Planci sententia, consensus, etc. » *Planci sententia* in ablativo capiendum. Censorin. de D. N. 21: « Imperator Cæsar, D. F. sententia L. Munatii Planci, a senatu, cæterisque civibus, Augustus appellatus est. »

deri bonus, Cepio et hoc ante erat [1] pessimus), quum inissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, jure passi sunt. Ne- 3
que multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori, quam senatori, propior, collecto in ædilitate favore populi, quem extinguendis privata familia incendiis in dies auxerat, in tantum quidem, ut ei præturam continuaret; mox etiam consulatum petere ausus, quum esset omni flagitiorum [2] scelerumque conscientia mersus; nec melior illi res familiaris, quam mens foret; adgregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit, ut, quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, ut publica [3] quis- 4

1. *Et hoc ante erat pessimus.* Editor Basil. præpositione trajecta, dedit: et *ante hoc erat pessimus.* Quod ita secuti sunt reliqui editores, ut scripturæ, quæ in edit. pr. est, vix mentionem fecerint. At Latini sæpe præpositiones casui suo postponunt. Sallust. Jug. 101, *quos advorsum*; Cicero de N. D. II, 4, *quos ad*; ad Att. X, 4, *quos propter*; pro Muren. 4, *quem contra*; pro Leg. Manil. 16, *quo de*; Nepos, Epam. 4, *Diomedonte coram*; Tacit. Ann. IV, 5, *Rhenum juxta*; XIII, 47, *urbem extra.* Eumdem etiam locum *ante*, de qua dicere cœpimus, interdum tenet. Nepos, Chabr. 3: *quam ante*; Plin. H. N. XXXV, 10, *omnia ante*; ubi vide Gronovium. Aliæ tamen aliis frequentius casui suo postponuntur, v. c. *coram* sæpissime, de qua vide Oudendorp. ad Sueton. Aug. 69; *tenus* fere semper.

2. *Quum esset omni flagitior.* etc. De hoc loco rixantes Burmannus et Wopkensius, P. Syri dictum plane confirmant: « Nimium altercando veritas amittitur. » Legendum: « Quum esset omnium flagitiorum scelerumque sentina emersus. » Velleius imitatur Ciceronem in Vatin. 7: « Unus tu, emersus e cœno, omnium facile omnibus rebus infimus; » pro Sext. 9: « Hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum; » in Pison. 12: « At ne tum quidem emersisti, lutulente Cæsonine, ex miserrimis naturæ tuæ sordibus. » Pulchre Donatus monet ad Terentium, Eun. III, 5, 7, *emergere* proprie dici, qui ex lustris atque inhonestis locis prodeunt. Ut hic *scelerum sentina*, sic *scelerum colluvio* apud Ciceronem pro Sext. 7: « At ille nefarius, ex omnium scelerum colluvione natus. » Heinsius, cui reliquorum emendatio minus successit, tamen vocem *sentina* restituendam esse, quasi per nebulam vidit.

3. *Ita se mores habent, publ.* etc. Mihi ante *publica* deesse videtur *ut.* BURER. *Ut* recepit edit. Basil. quod imitatus sum ob locum similem II, 118: « Quippe ita se res habet, ut

que ruina malit [1] occidere, quam sua proteri, et idem passurus minus conspici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: abditusque carceri, cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit.

1 XCII. Præclarum excellentis viri factum C. Sentii Saturuini, circa ea tempora consulis, ne fraudetur me-
2 moria. Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circumferens terrarum orbi præsentia sua pacis suæ [2] bona. Tum Sentius forte et solus, et absente Cæsare, consul, quum alia, prisca severitate [3] summaque

plerumque, etc.» Cicero de Orat. III, 23: «Res quidem se mea sententia sic habet, ut, nisi quod quisque cito potuerit, etc.» Si quis tamen *ut* addere nolit, legat *mavult* pro *malit*, ut verba, *ita se mores habent*, absolute ponantur. Cicero de Orat. II, 6: «Sic enim se res habet: quemadmodum volucres videmus, etc.; a ubi vide cl. Ernestum.

1. *Publica quisque ruina malit occidere*, etc. Trita sententia, sed Velleiano acumine expolita. Cicero pro Sext. 46: «Qui communi incendio malint, quam suo, deflagrare;» Catil. IV, 7: «Qui quum sibi viderent esse pereundum, eum omnibus potius, quam soli perire voluerunt;» quæ totidem verbis sunt apud Liv. II, 24. Nec aliam vim habet Catilinæ dictum: «Incendium meum ruina restinguam;» de quo vide Flor. IV, 1, 7, et ibi interpretes. Seneca pater, Contr. III, 21, p. 272: «Tunc tamen solatium fuisset, cum multis pati;» et IV, 29, p. 337: «Naturali quodam deploratæ mentis affectu morientibus gratissimum est, commori;» Seneca filius, Troad. 1014: «Semper, ah, semper dolor est malignus: Gaudet in multos sua fata mitti, Seque non solum placuisse pœnæ. Ferre, quam sortem patiuntur omnes, Nemo recusat.» Ex hac cupiditate malorum socios habendi natæ sunt formulæ in monumentis sepulchralibus, οὐδεὶς ἀθάνατος, *nemo immortalis*, apud Eduard. Corsinum de Not. Græcor. p. 59: *Hic omnes exitus unus habet*; Antholog. lat. t. II, pag. 96, *Dolor talis non nunc tibi contigit uni*, apud Murat. pag. 1551, 4. Cæterum Velleius eleganter et proprie dixit *ruina proteri*. Cicero de Orat. II, 86: *Neque possent ruina obtritos internoscere*; unde corrigendus Sulpic. Sever. I, 29: *Turbaque omnis ruina domus obruta*. Lege *obtrita*.

2. *Præsentia sua pacis suæ bona*. Miror, istud *sua suæ* virorum doctorum aures non offendisse. Lege: *Præsentia pacis suæ bona. Præsentia* non substantivum est, sed adjectivum. *Bona præsentia* sunt certa, magna, parata. Quæ vocis notio centies explicata est a viris eruditis. Cicero ad Div. I, 9: «Qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores et præsentiores præsens capere potuisses.»

3. *Quum alia, prisca severit.* etc.

constantia, vetere consulum more (ac severitate) ges-
sisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset ava-
ritiam, regessisset in ærarium pecunias publicas, tum
in comitiis habendis præcipuum egit consulem : nam 3
et quæsturam petentes, quos indignos judicavit, pro-
fiteri vetuit; et, quum, id facturos se, [1] perseverarent,
consularem, si in campum descendissent, vindictam
minatus est; et Egnatium, florentem favore publico, 4
sperantemque, ut præturam ædilitati, ita consulatum
præturæ se juncturum, profiteri vetuit; et, quum id
non obtinuisset, juravit, etiamsi factus esset consul
suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum.
Quod ego factum cuilibet veterum consulum gloriæ 5
comparandum reor, nisi quod naturaliter, audita visis
laudamus libentius; et præsentia [2] invidia, præterita
veneratione prosequimur; et his nos obrui, illis instrui
credimus.

XCIII. Ante triennium fere quam Egnatianum sce- 1
lus erumperet, circa Murenæ Cepionisque conjurationis
tempus, abhinc annos L, M. Marcellus, sororis Augusti
Octaviæ filius, quem homines ita, si quid accidisset 2
Cæsari, successorem potentiæ ejus arbitrabautur futu-

Legendum : « Quum alia, prisca severitate summaque constaotia, veterom coosulum more, gessisset. » *Veterum* confirmat, quod mox sequitur : « cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum. » Verba *ac severitate* temere repetita suut ex præcedentibus, *prisca severitate*. Itaque uncis circumscripsi. Coustructio coujunctionum *quum*, *tum*, quæ Burmanuo Misc. Observ. VIII, p. 394, displicebat, satis vindicata est ad II, 68.

1. *Perseverarent*. Ellipsis est verbi *dicere*, quam frequentissimam dicit et exemplis probat Burmaonus. — *In campum descendissent*. Ex his Horatii sumptum, III, Od. I : « hic generosior Desceudat iu campum petitor. »

2. *Præsentia invidia*, *præterita veneratione*, etc. Hanc sententiam Velleius cum sexceutis commonem babet; at acutam, quam addit, rationis explicationem cum nemine, quod sciam. Semina tamen sententiæ suut apud Thucyd. II, p. 118, ejusque imitatorem, Sall. Catil. 3.

rum, ut tamen id per M. Agrippam securo ei [1] posse contingere non existimarent; magnificentissimo munere ædilitatis edito decessit, admodum juvenis, sane, ut aiunt, ingenuarum [2] virtutum, lætusque animi et [3] in-
3 genii, fortunæque, in quam alebatur, [4] capax. Post cujus obitum Agrippa, qui sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam, ut fama [5] loquitur, ob tacitas cum Marcello offensiones, præsenti se subduxerat tempori, reversus inde filiam Cæsaris Juliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem, feminam neque sibi, neque reipub. felicis uteri.
1 XCIV. Hoc tractu temporum, Tib. Claudius [6] Nero, quo [7] trimo, ut prædiximus, Livia, Drusi Claudiani filia, despondente ei [8] Nerone, cui ante nupta fuerat, Cæsari

1. *Securos ei*. Alias, *secure* vel *securius*. RHENANUS. Bene Editor. Basileensis pro *securos ei*, quod editio prima habet, *securo ei* scripsit. Idque recepi.

2. *Sane ingenuarum, ut aiunt, virtutum*. Exemplar vetustum sic habet : « sane, ut aiunt, ingenuarum virtutum, etc. » BURER. *Ut aiunt* est formula frigide et non ex animo laudantis, ut apud Terent. Andr. I, 2, 21; ubi vide Donat. Nimirum oportebat Velleium ita Marcelli laudes temperare, ne in Tiberii offensionem incurreret.

3. *Lætusque animi et ingenii*. Non aliter de Marcello Seneca, Cons. ad Marc. 2 : « Adolescentem animo alacrem, ingenio potentem. » Hellenismum *lætus animi* R. Bentleius reddidit Horat. III Carm. 16, 25 : « Lætus in præsens animi, quod ultra est Oderis curare; » et Oudend. Apuleio, Metam. V, p. 330 : *Jamque lætior animi*, etc.; ut Tacitus Ann. II, 26 : « Reductus inde in hiberna miles, lætus animi. »

4. *Fortunæ, in quam alebatur, capax*. Tacit. Hist. II, 1 : « Augebat famam ipsius Titi ingenium, quantæcumque fortunæ capax. »

5. *Ut fama loquitur*. Astute Velleius sibi cavet hac formula, ne aulæ arcana curiosius speculatus videretur. In simili re II, 102, dicit : *fama vulgavit*; ubi vide Lipsium. Ex talibus etiam judicari potest, omnem sentiendi et scribendi libertatem sub Tiberio periisse.

6. *Ti. Claudius Nero*. Edit. prim. *Titus Claudius Nero*, quod editor Basileensis correxit

7. *Quo primo*. Male editor Basil. scripsit : *quo prius nato*. Recte Aldus nepos ex scriptura edition. prim. *quo primo*, una litera mutata, fecit : *quo trimo*; quod edi jussimus.

8. *Respondente Nerone*. Exempl. vetus videtur habere : *Respondente ei Nerone*. BURER. Editor Basileens.

nupserat, innutritus cælestium præceptorum discipli- 2
nis, juvenis genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus, qui protinus, quantus est, sperari potuerat, visuque prætulerat[1] principem; quæstor undevicesimum annum 3
agens, capessere[2] cœpit rempublicam, maximamque difficultatem annonæ, ac rei frumentariæ inopiam, ita Ostiæ atque[3] in urbe mandato vitrici[4] moderatus est, ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. Nec multo post missus ab eodem vitrico cum exer- 4
citu ad visendas ordinandasque, quæ sub Oriente sunt,

correxit, *despondente Nerone;* ut est II, 19: « Hae classi Cæsar, quum prius, despondeute ei Nerone, cui ante nupta fuerat, Liviam, aospicatis reipublicæ ominibos, duxisset eam uxorem, Pompeio, etc. » Ex quo loco hic inculcata puto verba, *despondente ei Nerone, cui ante nupta fuerat.* Forte etiam verba, *Drusi Claudiani filia*, huc migrarunt ex II, 75. Quæ omnia quid tam parvo intervallo repetere attiuebat, præsertim ipso Velleio nos ad ea, quæ supra dixerat, remitteute?

1. *Visusque prætulerit principem.* Viri doctissimi, Ursiuus ad h. loc., Schefferus Misc. Obs. IX, pag. 173, et Marklaudus ad Stat. Silv. IV, 2, 54, certatim corriguut, *visuque prætulerat principem;* probatque Heinsius ad II, 116. Nec uos ita edere dubitavimus pro editionis pr. lectiooe, *visusque prætulerit principem. Visus* sæpe est species. Cicero de Nat. Deor. I, 5: « Quia visum habereut quemdam insignem et illustrem; » ubi vide Davisium. Plinius, Histor. Natur. XIII, 12: « Charta indecoro visu pertraoslucida; » XXII, 6: « Visuque ipso aoimos invitaverat. » Statius, Theb. IX, 880: « Ægraque per trepidos exspirat gratia visus. » Sed hic *visus*, bene moneote Marklando, sumitur pro toto corporis habito et specie, ut sæpe *facies* et *forma.* Apposite ad hunc locom Liv. VIII, 9: « Couspectus ab utraqoe acie aliquaoto augustior humauo visu. » Eadem loquendi forma Martialis, a Burm. laodatus, V, 61, dixit: « Procuratorem vultu qui præferat ipso. » Cæterum assentior Ursiuo, Velleium respexisse arbitranti ad locum Euripidis, a multis expressum, in Stobæo Grotii, pag. 269: Ἴδοιμι δ' αὐτῶν ἔκγον' ἄῤῥεν' ἀῤῥένων, Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίους τυραννίδος· Πλεῖστα γὰρ ἀρετὴ τοῦθ' ὑπάρχει ἐν βίῳ, Τὴν ἀξίωσιν τῶν καλῶν τὸ σῶμ' ἔχειν. Adde Muretom, Var. Lectioo. III, 2.

2. *Capescere.* Tu scribe, *capessere.* BURER.

3. *Ostia eratque.* Alias, *Ostiæ atque.* RHENAN. Vascosan. pessime dedit *Hostæ.*

4. *Vitrici.* Editio prima *victrici*, ut mox *victrico* pro *vitrico.* Prius correxit Aldus oepos; et posterius editor Basileensis.

provincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu[1] editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redacta ea in potestatem populi romani, regnum ejus Artavasdi[2] dedit: quin[3] rex quoque Parthorum, tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides.

1 XCV. Reversum inde Neronem Cæsar haud mediocris belli mole experiri[4] statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Cæsaris pena-
2 tes enixa erat Livia. Quippe uterque, divisis[5] partibus,

1. *In eo tractu.* Sic Editor Basil. scripsit pro *in eo tractatu*, quod est in editione prima.

2. *Artavasdi.* Exempl. vetustum habet, *Artauzdi.* Burerius. Atqui *Tigrani*, non *Artavasdi*, Armeniæ regnum a Tiberio datum esse, uno ore tradunt non modo reliqui historici, quos interpretes ad hunc loc. et Noris. ad Cenot. Pis. Dissert. II, 9, pag. 185, 16, pag. 293, laudant, sed ipse etiam Augustus in Moniment. Ancyr. p. 176, ubi vide Chishullum. Nec Velleius rem tam claram et testatam ignorare potuit. Relinquitur ergo, ut cum Lipsio ad h. loc., et Oudendorpio ad Sueton. Tiber. 9, lacunam in hoc loco esse statuamus. Lipsius non male supplet: « Regnum ejus Artavasdi ereptum Tigrani dedit. » Multum a Velleio, aliisque, in hac re narranda discrepat Horatius, I Ep. 12, 25: « Ne tamen ignores, quo sit romana loco res; Cantaber Agrippæ, Claudi virtute Neronis Armenius cecidit; jus imperiumque Phraates Cæsaris accepit, genibus minor. » Bentleius quidem ad I Ep. 18, 56, ut poetam cum historicis in concordiam redigat, pro *Phraates* reponit *Tigranes*. Sed fac, Horatium ita scripsisse: quid illis facies, *Armenius cecidit?* quæ non minus repugnant historiæ, Armenium sive Artavasden, non Tiberii virtute, sed propinquorum fraude, cecidisse docenti. Teneamus igitur hoc, Horatium, adulatorum more, popularem potius rumorem, ex quo plus laudis ad Augustum et Tiberium, quam certam exploratamque rem, ex qua minus perveniret, sequi maluisse.

3. *Cujus rex quoque Parthorum tanti nominis*, etc. Lege: *Quin rex quoque Parthorum*, etc. *Quin etiam*, *quin quoque* Velleio frequens esse, ad lib. I, cap. I, ostendimus. In tanta rei evidentia putavi mihi licere *quin* pro *cujus* in textum recipere, exemplo superiorum editorum, qui l. I, c. 9, pro « quibus Rhodii quoque proniores regis partibus. » sine ulla dubitatone edi jusserunt: *Quin Rhodii quoque*, etc.

4. *Belli mole experiri.* Dedimus certam Heinsii emendationem pro scriptura edit. pr. *b. molem exper.*

5. *Divisis partibus.* Ex his verbis Bentleius ad Horat. lib. IV, od. 4, 17, colligit, Tiberium Rhætos, Drusum Vindelicos aggressum esse. Rectius

Rhætos Vindelicosque adgressi, multis urbium et ca-
stellorum oppugnationibus, nec non[1] directa quoque
acie feliciter functi, gentes locis [2] tutissimas, aditu dif-
ficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore
cum periculo, quam damno romani exercitus, plurimo
cum earum sanguine, perdomuerunt. Ante quæ tem- 3
pora censura Planci et Pauli acta inter discordiam, ne-
que ipsis[3] honori, neque reipublicæ usui [4] fuit: quum
alteri vis [5] censoris, alteri vita deesset: Paulus vix pos-
set implere[6] censorem, Plancus timere deberet: nec

Drak. ad Liv. Epit. 136, Tiberium et Drusum utramque gentem divisis copiis, diversisque locis, invasisse.

1. *Nec non.* His particulis qui meliore ætate pro *et* in soluta oratione usi sint, non reperio, præter Varronem de Rep. Roman. I, 13, 35; et Trogum IV, I; VI, 3. — Vid. nost. Quintill. III, c. 7, §. 19, t. I, p. 512, et ibi Spaldingii notam. Edit.

2. *Gentes locis tutissimas*, etc. II, 106: « Juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima. » Similis locus Ciceronis pro Marcello, 3: « Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes. » De locutione, *tutus loco*, vide Gronov. ad Liv. XXIII, 26.

3. *Neque ipsis honori.* Sic editor Basil. Edit. pr. *neque ipsi honori*.

4. *Neque reipublicæ usui fuit.* *Fuit* cum editore Basil. scripsimus pro *foret*, quod est in edit. prima.

5. *Vis censoris.* Hoc quoque ex editoris Basileens. correctione, nisi cum Burman. malis, *vis censoria*. Edit. pr. *vis censori*.

6. *Paulus vix posset implere censorem.* Exquisite dicitur pro, Paulus vix posset vim et auctoritatem censoris plene præstare, vel *numeros* censoris *implere*, ut Albinovanus ad Liv. 285, loquitur. Claudianus, de Bell. Get. 143: « Unus in hoc Stilicho diversis artibus hoste, Tres potuit complere duces; » ut recte e libris scriptis legunt viri eruditi. Ammianus Marcell. XXVII, 6: « Quæ indoles imperatorem implesset cum veterum lectissimis comparandum. » Sidonius Apoll. VII Ep. 15: « Licet ruri positi strenuos impleatis agricolas; » ubi plura Savaro. Eodem fere modo *implere aliquem* Solinus cap. I, p. 6, dixit pro, oris figura aliquem plene perfecteque referre: « Oratorem L. Plancum Rubrius histrio sic implevit, ut et ipse Plancus a populo vocaretur. » Vide Joan. Schulting. ad Senec. Controv. I, 5, p. 108. Male igitur Cortius ad Cicer. ad Div. XVI, 25, hoc loquendi genus deteriori ætati tribuit. Notiora sunt illa, *principem præstare*, *consulem agere*, *ducem exhibere*, *ultorem polliceri*, *exsequi agricolam*, etc. de quibus hic et alibi viri docti, sed omnium accuratissime Casaubonus ad Sueton. Tiber. 33, et Gronovius Observ. I, 6; IV, 14, pag. 227. Ad

quicquam[1] objicere posset adulescentibus, aut objicientes [2] audire, quod non agnosceret senex[3].

1 XCVI. Mors deinde Agrippæ (qui novitatem suam multis rebus nobilitaverat, atque in hoc perduxerat, ut et Neronis esset socer; cujusque liberos, nepotes suos, D. Augustus, præpositis Gaii ac Lucii [4] nominibus, adoptaverat) admovit propius Neronem Cæsari. Quippe filia ejus [5] Julia, quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni

2 nupsit. Subinde bellum pannonicum, quod inchoatum Agrippa[6] Marcoque Vinicio avo tuo coss., magnum atroxque et perquam vicinum imminebat Italiæ, per

3 Neronem gestum est. Gentes Pannoniorum, Dalmatarumque[7] nationes, situmque regionum ac fluminum,

censuram a Paulo remissios actam recte respexisse videtur Propertius, IV, 11, 41, ubi uxor Pauli, Cornelia ait : « Testor majorum cineres tibi, Roma, colendos, ... Me neque censuræ legem mollisse, nec ulla Labe mea vestros erubuisse focos; » quorum sensus est : Testor majorum cineres, me non iis fuisse moribus, ut maritus propter illos censuram minus severe gereret. De Paulo censore late disputat Perizonius, Animadv. Hist. cap. 3, p. 121. seqq.

1. *Plancus timere deberet, ne quicquam*, etc. Suum Velleio acumen reddiderunt editor Basileensis et Lips. *ne* in *nec* mutantes : *Plancus* (censorem) *timere deberet; nec quicquam*, etc. Hanc lectionem recepi, eique interpunctionem accommodavi.

2. *Aut objicientes audire.* Hæc verba si omittas, apta et rotunda est sententia; sin retineas, impedita languescit. Videntur e glossemate in textum irrepsisse.

3. *Quod non agnosceret senex.* Frustra hunc locum sollicitat Heinsius. Nam *agnoscere crimen* simpliciter dicitur pro, fateri suum esse, a se perpetratum. Cicero in Pison. 6 : « Ipse certe agnoscet, et cum aliquo dolore, flagitiorum suorum recordabitur. » Plin. VII Ep. 28 : « Agnosco crimen, amplector etiam. » Calp. Flacc. Declam. 36 : « Pater, quod patior, agnoscit; quid in me pater reprehendat, ignoro. » Sulpicius Severus de Vita Martin. 27 : « Ut, si quis hæc legerit, et agnoverit, erubescat. »

4. *Nominibus.* Videtur legendum *prænominibus*, non *nominibus*. Urs.

5. *Quippe filia ejus Julia.* Sic editor Basileensis verba transposuit. Edit. pr. *Quippe filia Julia ejus.*

6. *Quod inchoatum Agrippa*, etc. Verissimam Lipsii emendationem, « quod inchoatum ab Agrippa, M. Vinicio avo tuo cos., » in qua refellenda operam ludit Gruterus, merito probat Casaubonus ad Sueton. August. 21.

7. *Dalmatarumque.* Exemplar

numerumque et modum virium, excelsissimasque et multiplices eo bello victorias tanti imperatoris, alio loco explicabimus : hoc opus servet formam suam. Hujus victoriæ compos Nero, ovans triumphavit[1].

XCVII. Sed dum in hac parte imperii omnia gerun- 1
tur prosperrime, accepta in Germania clades sub legato M. Lollio[2], homine in omnia pecuniæ quam recte faciendi cupidiore, et inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo; amissaque legionis quintæ aquila vocavit ab urbe in Gallias Cæsarem. Cura deinde atque 2
onus germanici belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis, adulescenti tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit, vel industria[3] perficit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus sufficerit artibus, in incerto est. Morum certe 3
dulcedo ac suavitas, et adversus amicos æqua[4] ac par

vetus habet, *Delmatarumque*, etc. Burerius.

1. *Ovans triumphavit.* Suo more Noster *ovare* et *triumphare* jungit. Infra de triumphis Tiberii, « Ordinatisque rebus orientis ovans triumphavit ». Acid. — Ponitur pro simplici *ovavit*, ut II, 122. Cl. Oudendorpius ad Suet. Tiber. 9, Velleium per Tiberii adulationem sic locutum existimat. Sed non meminerat, Augustum eadem loquendi forma usum esse in Monument. Ancyran. p. 172, ubi nullus adulationi locus erat : « Bis ovans triumphavi, tres egi curules triumphos. » *Triumphus* pro *ovatione* est II, 97, 99.

2. *M. Lollio.* Edit. pr. *M. Lolio*, ut MSS. quidam in Sueton. August. 23; ubi Casaubonus monet, unum esse Eusebium in Chronico n. MM. p. 155, qui Lollii non cladem, sed victoriam in Germania, commemoret : « Germanos in arma versos M. Lollius superat. » Addit Vossius ad h. l. Julium Obsequentem idem narrantem, 131 : « Insidiis Roman. Germani circumventi, sub M. Lollio legato graviter vexati. » Enimvero Eusebium, recte judicat Jos. Scaliger, in tempore et historia peccare. Obsequentem vero sic emendat Lipsius ad Tacit. Annal. I, 10: « Insidiis Germanorum Romani circumventi. » Nec ab ea sententia nos revocant rationes, quas attulit Massonus, Vita Horat. p. 319.

3. *Vel industria perficit.* Hæc certissima Lipsii emendatio est. Edit. pr. *vel industria percipit.* Vide quæ notavimus ad II, 2.

4. *Adversus amicos æqua*, etc. Sensus est : de amicis non aliter judicabat, an de semetipso. II, 127 : « semperque infra aliorum æstimationes se metientem. » Heinsius per-

sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur, nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit; sed illum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, con-
4 sulem, agentem annum tricesimum, rapuit. Moles deinde ejus belli translata in Neronem est, quod is sua et virtute, et fortuna administravit, peragratusque[1] victor omnes partes Germaniæ, sine ullo detrimento commissi exercitus, quod præcipue huic duci semper curæ[2] fuit, sic perdomuit eam, ut in formam pæne stipendiariæ redigeret provinciæ: tum alter triumphus, cum altero consulatu, ei oblatus est.

1 XCVIII. Dum ea, quæ prædiximus, in Pannonia Germaniaque geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis, Lucii Pisonis, quem hodieque diligentissimum, atque eumdem lenissimum securitatis urbanæ custodem[3] habe-

peram tentabat: *par sibi æstimatio.* Valer. Maxim. III, 7, 1: « Laudanda profecto fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat. »

1. *Peragratusque victor omnes partes*, etc. Nihil vitii suspicati, Lipsius ad Tacit. Annal. I, 5, Vossius de Analog. III, 5, et Burmanno ad h. l. ut minus acutam lexicographorum nationem prætercam, *peragror* ex hoc loco in deponentium verborum numerum retulerunt. Primus de loci sanitate dubitare cœpit Oudendorp. ad Sueton. August. 93; sed nihil ultra tentavit. Mihi vero Velleius hoc modo scripsisse videtur: « Pervagatusque victor omnes partes Germaniæ. » Liv. XXXVIII, 17: « Ferox natio, pervagata bello prope orbem terrarum. » Justin. II, 11: « Spartani per omnia castra victores vagantur. » Quintil. Decl. III, 14: « Gens majorem terrarum partem victoriis pervagata. » Vide Dukerum ad Flor. I, 13, 6, et quæ notavimus ad II, 89.

2. *Quod præcipue huic duci semper curæ fuit.* Vide II, 115, et Casaubon. ad Sueton. Tiber. 19.

3. *Securitatis urbanæ custodem. Urbis custodem* præfectum urbi etiam appellant Seneca Ep. 83, ubi luculentus de hoc Pisone locus est, Juvenal. XIII, 157, et incertus poeta Anthol. lat. t. I, p. 258, qui eumdem, p. 254. *vigilem urbis* vocat. Velleius, II, 88: « Tunc urbis custodiis præpositus C. Mæcenas, » et Statius, Silv. I, 4, 16: « Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ. » De Pisone vide Tacit. Ann. VI, 10, et ibi Lipsium.

mus, virtus compressit. Quippe legatus Cæsaris triennio 2
cum his bellavit, gentesque ferocissimas, plurimo cum
earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in
pristinum pacis redegit modum; ejusque [1] patratione
Asiæ securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo 3
viro hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse
mores ejus vigore ac lenitate [2] mixtissimos, et vix quem-
quam reperiri posse, qui aut otium validius diligat,
aut facilius sufficiat negotio, et magis, quæ agenda
sunt, curet sine ulla ostentatione agendi.

XCIX. Brevi interjecto spatio Tib. Nero, duobus 1
consulatibus, totidemque triumphis actis, tribunitiæ
potestatis consortione æquatus Augusto, civium post
unum (et hoc, quia volebat) eminentissimus, ducum
maximus, fama fortunaque celeberrimus, et vere al-
terum reipublicæ lumen et caput, mira quadam, et 2
incredibili, atque inenarrabili [3] pietate, cujus caussæ
mox detectæ [4] sunt, quum C. Cæsar sumpsisset jam

1. *Ejusque patratione.* Livius, II, 26: « In magna jam spe undique patratæ pacis; » XLIV, 25: « Modo pacis patrandæ cum Romanis paciscebatur mercedem; » ubi vide Dukerum.

2. *Mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos.* Superlativi *mixtissimus* insolentia non minus me, quam Heinsium, offendit; sed longe diversam emendandi rationem sequor. Lege: « Mores ejus vigore ac lenitate temperatissimos. » Nimirum glossa *mixtissimos* veteris lectionis *temperatissimos* locum occupavit; quod centies factum esse, harum rerum periti sciunt. Vox *temperatus* quam bene huic loco conveniat, vix opus est exemplis probare. Velleius, II, 116: « Priscam gravitatem semper humanitate temperant. » Cicer. ad Att. IV, 6: « Hominem in summa magnitudine animi multa humanitate temperatum. » Valer. Max. II, 1, 5: « Non tristis earum et horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere temperata. »

3. *Mira quadam, et incredibili, atque inenarrabili pietate.* Forte: « Mira quadam, et incredibili, ac pæne inenarrabili pietate. » Cicero, Phil. IX, 5: « Nec vero silebitur admirabilis quædam, et incredibilis, ac pæne divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia. » *Inenarrabilis* et *inenarrabiliter* est etiam apud Liv. XLI, 15; XLIV, 5.

4. *Cujus caussæ mox detectæ sunt*, etc. Hæc verba usque ad *ini-*

virilem togam, L. item maturus esset [1] viris, ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis, dissimulata caussa consilii sui, commeatum ab socero [2] atque eodem vitrico adquiescendi a continuatione laborum petiit.
3 Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, quæ digredientium a tanto viro omnium lacrymæ, quam pæne ei patria manum injecerit, justo
4 servemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut [3] omnes, qui pro consulibus [4] legatique, in transmarinas profecti pro-

tiis parenthesi iocladi vult Bormannus, cujus rationes vide; ego, Vascosaoi emeodationem, de qua mox, secotus, usque ad *maturus esset.* Hanc autem secessus Tiberiani caussam ne quis per adulatiooem a Velleio cæteris, quæ afferuntur, caussis prælatam arbitretur, sciat, eamdem a Dione Cass. LV, pag. 780, verissimam judicari.

1. *Maturus esset viris.* Heinsius, hujus locutionis κακεμφάτῳ offensus, corrigebat: « L. item maturus esset curis. » Felicior est medicina Vascosani: « L. item maturus esset, veritus, ne fulgor suus, etc. » *Maturus* simpliciter dicitur, qui ad virilem ætatem, sive, ut Censorin. de D. N. 14, loquitor, *ad viros pervenit.* Ammian. Marcellin. XVI, 7: « Quem si Constans imperator olim ex adulto jamque maturum audiret. » Similiter *immaturus* ponitur. Justin. XXIV, 4: « Inclytum illud Macedoniæ regnum brevi, immaturi juvenis temeritate, casurum. » Seneca, de Benefic. V, 16: « Pompeius pro tot honoribus, quos ex maxima parte immaturus invaserat, hanc gratiam reipublicæ reddidit. »

2. *Commeatum ab socero*, etc. *Commeatus* est venia, etiam extra rem militarem. Vide Gronovium ad Tacit. Agricol. 5. Hinc pendet *acquiescendi*, non ab omisso *gratia*, ut putabat Acidalius ad II, 20.

3. *Rhodi moratum est, ut omnes.* Exemplar vetustum habet: *Rhodi moratum, ut omnes*, etc. BURER. Casaubonus ad Sueton. Tiber. 12, hæc ita scripta laudat: « Ita septem annos Rhodi moratus est. » Ego, Burerii fidem secutus, *est*, quod Rhenanus dederat, et Vascosanus in *esse* mutarat, exclusi.

4. *Ut omnes qui pro consulibus legatique*, etc. Forte legendum et distinguendum: « Esse, ut omnes qui pro coss. legatisque in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia atque conveniendi (semper privatus ille, majestas privata nunquam fuit) fasces suos submiserint, etc. » RHENAN. Constructio postulat, ut legatur: « Ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia ad eum venissent, semper, etc. » Nepos, Dione, 9: « Sicuti conveniendi ejus gratia viderentur venire. » Cicero, Tuscul. Disp. V, 3: « Qui visendi caussa venirent. »

vincias, visendi ejus gratia ad quem convenientes, semper privato (si illa majestas privata unquam [1] fuit) fasces suos summiserint, fassique sint, otium ejus honoratius imperio suo.

C. Sensit terrarum orbis, digressum a custodia 1
Neronem urbis : nam et Parthus desciscens a societate
romana, adjecit Armeniæ [2] manum; et Germania,
aversis domitoris sui oculis, rebellavit. At in urbe, eo 2
ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris,
naumachiæque spectaculis, D. Augustus, abhinc annos
XXX, se et Gallo Caninio coss., dedicato Martis templo,
animos oculosque populi rom. repleverat, fœda dictu,
memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit.
Quippe filia ejus Julia [3], per omnia tanti parentis ac viri 3
immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset
femina [4], luxuria, libidine infectum reliquit, magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur,

Vereor tamen, ne in *quem con.* aliud quid lateat. Vascos. edidit : « Visendi ejus gratia convenissent. »

1. *Si illa majestas privata unquam fuit*. Ita ex certa Aldi nepotis et Lipsii emendatione dedimus. Edit. pr. : « Semper privatos illa majestas privata unquam fuit. »

2. *Adjecit Armeniæ manum*. Si in textu esset *animum*, sine ulla dubitatione *manum* reponerem. Tantum abest, ut Burmanni conjecturam *animum* probem. Neque enim Phraates modo consilium Armeniæ invadendæ agitavit, sed eam etiam armis vindicavit. Vide Dionem Cass. LV, p. 782, et quos ibi laudat Fabricius. At *adjicere manum* pro *injicere* quis, præter Velleium, dixit? Quasi vero, quum Latini nullo discrimine *inferre* et *afferre manum* dicant, non promiscue dici possit *injicere* et *adjicere manum*. Ovidius, IV ex Pont. 8, 82, dixit : « Atque isdem studiis imposuisse manum, » quod non est ad eadem studia aggressum esse, ut Burmann. explicat ad Trist. IV, 1, 28, sed eadem studia tractasse. Num ergo minus dicere licuit Senecæ patri, Contr. IV, 25, p. 313 : « Et ad hanc controversiam Græci apposuerunt manum? » Vulgatam Velleii scripturam defendit etiam Oudendorp. ad Appulei. Met. IV, p. 295.

3. *Julia*. Quæ de Julia hic habentur vide apud Suet. Aug. 65; Tacit. Ann. I, 53; Dion. LV, p. 635. BECL.

4. *Quod facere aut pati turpiter posset femina*. Forte ex Cicerone in Pison. 5 : « Qui nihil sibi unquam nec facere, nec pati turpe duxit. »

4 quidquid liberet, pro licito [1] vindicans. Tum [2] Julius
Antonius, singulare exemplum clementiæ Cæsaris, violator ejus domus, ipse sceleris a se commissi ultor fuit;
quem, victo ejus patre, non tantum incolumitate donaverat, sed sacerdotio, prætura, consulatu, provinciis
honoratum, etiam matrimonio sororis suæ filiæ, in arc-
5 tissimam adfinitatem receperat: Quintiusque Crispinus,
singularem nequitiam supercilio [3] truci protegens, et
Appius Claudius, et [4] Sempronius Gracchus, ac Scipio,
aliique minoris nominis utriusque ordinis viri, quasi
cujuslibet uxore violata, pœnas pependere, quum Cæsaris filiam, et Neronis violassent conjugem. Julia relegata in insulam, patriæque et parentum subducta oculis; quam tamen comitata mater Scribonia, voluntaria
exsilii [5] permansit comes.

1 CI. Breve ab hoc intercesserat spatium, quum C.
Cæsar, ante aliis provinciis ad visendum [6] obitis, in
Syriam missus, convento prius [7] Tib. Nerone, cui omnem honorem, ut superiori, habuit, tam varie se ibi

1. *Vindicans*. Alias, *judicans*. RHENAN. Perpetua est horum verborum *indicare*, *judicare*, *vindicare*, in MSS. confusio; hic vero *vindicans* retinendum puto; nam Noster sæpe utitur, pro, *sibi sumens*, *arrogans*, ut capp. 105, 112, 121, 127, et alibi, ut et Cicero, Livius et alii: vid. Gron. ad Liv. XLIV, 14. BURMAN.

2. *Julius Antonius*. De eo vide Lipsium ad Tacit. Annal. I, 10.

3. *Singularem nequitiam supercilio*, etc. Imitatur Ciceronem. de Prov. Cons. 4: « Lateant libidines ejus illæ tenebricosæ, quas fronte et supercilio, non pudore et temperantia contegebat; » in Pison. 6: « Qui istius insignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat. »

4. *Sempronius Gracchus*. De hoc egregie Tacitus Annal. I, 53; ubi vide Lipsium.

5. *Voluntaria exsilii*. Sic Lipsius correxit. Edit. pr. *voluntarii exsilii*.

6. *Ad sedandum*. Alias, *adsidendo*. RHENAN. Exempl. vetustum habet, *adsidendum obitis*, etc. BURER. Ex veteris codicis lectione *adsidendum*, quam Burer. prodidit, Lips. rectissime fecit, *ad visendum*; quod multis exemplis confirmavit Heins.

7. *Convento prius Tib. Nerone*. Velleii adulationem hic etiam deprehendit Is. Casaubonus ad Suetonium Tib. 12.

gessit, ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum
mediocris materia deficiat: cum rege Parthorum[1] juve-
nis excelsissimus[2] in insula, quam amnis Euphrates am-
biebat, æquato utriusque partis numero, coiit. Quod 2
spectaculum stantis ex diverso hinc Romani, illinc Par-
thorum exercitus, quum duo inter se eminentissima im-
periorum et hominum coirent capita, perquam clarum
et memorabile, sub initia stipendiorum meorum, tri-
buno militum mihi visere contigit. Quem militiæ gra- 3
dum ante sub patre tuo, [3]M. Vinici, et P. Silio[4] aus-
picatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque,
et omnibus ad Orientem visis[5] provinciis, et ore atque
utroque maris Pontici latere, haud injucunda tot rerum,
locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior
Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud
regem in hostili epulatus est.

CII. Quo tempore [6]M. Lollii, quem veluti modera- 1
torem juventæ filii sui Augustus esse voluerat, perfida
et plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum

1. *Materia deficiat: cum rege Parthorum*, etc. Sic interpungitur in editione pr. Distingue et scribe: « Materia deficiat, et cum rege Parthorum, etc. » *Et* elisum est præcedentis syllabæ similitudine.

2. *Cum rege Parthorum juvenis excelsissimus*, etc. Non una labe hic locus maculatus est in editione pr.: « Cum rege Parthorum juvene excelsissimæ insulæ, quam, etc. » Editor Basil. partim bene, partim secus, scripsit: « Cum rege Parthorum juvene excelsissimo in insula, quam, etc. » Ego certam Lipsii emendationem in textu expressi; nam quod Heinsius negat, Caium a Velleio *juvenem excelsissimum* dici potuisse, verbis mox sequentibus refellitur, ubi eumdem « eminentissimum imperii et hominum caput » appellat.

3. *Sub patre tuo, M. Vinici*, etc. Exemplar vetustum sic habet, ut potius legendum existimem: « Sub patre tuo M. Vinicio. » BURER.

4. *P. Silio*. Oudendorp. ad Suet. August. 71, corrigit, *C. Silio*. Ego nihil caussæ video, quare ille potius, quam *P. Silius*. de quo Velleius II, 83, intelligendus sit.

5. *Visis*. Alias, *usus*. RHENAN.

6. *M. Lollii*. De illo Lipsius, ad Tacit. Ann. III, 48, in primis Norisius, ad Cenot. Pis. Dissert. II, 14, pag. 253.

indicata Cæsari, fama [1] vulgavit: cujus mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro: sed quam hunc decessisse lætati homines, tam paulo post [2] obisse Censorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas,
2 virum demerendis hominibus [3] genitum. Armeniam deinde ingressus, prima parte introitus prospere [4] gessit; mox in [5] colloquio, cui se temere crediderat, circa Artageram [6] graviter a quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo, ut corpus minus habile, ita animum
3 minus utilem reipublicæ habere cœpit. Nec defuit conversatio [7] hominum, vitia ejus assentatione alentium;

1. *Cæsaris jam avulgavit.* Alias, *Cæsaris ira evulgavit.* RHENAN. Ex mendosa edit. pr. scriptura, « per Parthorum indicata Cæsaris jam avulgavit », Lipsius ingeniose et feliciter, ut solebat, veram lectionem elicuit : « Per Parthum indicata Cæsari, fama vulgavit. » Curt. IV, 9: « Ut idoneis auctoribus fama vulgavit. » Sulpicius Severus, Dial. I, 17: « Fama vulgaverat, sanctum illum ab angelis visitari. »

2. *Odisse.* Lege *obisse.* RHENAN.

3. *Virum demerendis hominibus genitum.* Eadem forma Sallustius, Fragm. p. 403 nost. edit. : « M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus. »

4. *Prima parte introitus prospere gessit.* Heinsius optime legit : « Prima parte introitus prospere rem gessit. » Quis enim est, qui non videat, *rē* vel *rem* a præcedenti syllaba interceptum esse? Tamen Wopkens. Miscell. Observ. nov. t. X, p. 302, vulgatum defendit binis Livii locis, XXV, 22 : « Quia consules ad id locorum prospere gererent; » et XL, 57: « Sive cæsi ab Romanis forent Bastarnæ,.... sive prospere gessissent. » Enimvero altero loco Gronovius, altero Drakenborchius, quorum judicio plus tribuo, quam Wopkensii, veram lectionem, *prospere rem gererent*, restituerunt. Sordes istæ sunt cadentis latinitatis, quibus non debent melioris ætatis scriptores inquinari.

5. *Mox in colloquio.* Est ex edit. Basileens. correctione, quam sequitur Muretus ad Tacit. Annal. I, 3. Edit. pr. *mox in colloquium.*

6. *Circa Artageram*, etc. Muretus ad Tacit. Ann. I, 3, hunc locum laudans, *Artagera* scribit, ut Dio Cass. LV, p. 783 : Ἄδδων γάρ τις, τὰ Ἀρτάγειρα κατέχων ὑπηγάγετο παρὰ τὸ τεῖχος τὸν Γάϊον, etc. Ex quo corrigendus Strabo, XI, p. 801 : Ἀρταγῆρας δὲ ἀπέστησε μὲν Ἄδαρ ὁ φρούραρχος. Lege : Ἀρτάγειρα δὲ ἀπέστησε μὲν Ἄδδων ὁ φρούραρχος. Vide Cellarium, Orb. Antiq. t. II, p. 331. Alius *Adduus ex Megistanis Armeniis* memoratur a Frontino, II, 9, 5, si vera est conjectura Oudend.

7. *Conversatio hominum.* Ne quis Velleium τῷ *conversatio* nove usum dicat, sciat, hoc usurpari a Trogo, XXXIX, I, XLIV, 4. Nec est, quod Justino potius, quam Trogo, hoc

etenim semper magnæ fortunæ comes adest adulatio: per quæ eo ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quam Romam regredi mallet. Deinde [1] reluctatus, invitusque rever- 4
tens in Italiam, in urbe Lyciæ [2] (Limyra [3] nominant) morbo obiit; quum ante annum ferme [4] L. Cæsar, frater ejus, Hispanias petens Massiliæ decessisset [5].

CIII. Sed fortuna, quæ subduxerat spem magni no- 1
minis, jam tum reipublicæ sua præsidia reddiderat: quippe ante utriusque horum obitum, patre tuo P. Vinicio cos., Tib. Nero, reversus Rhodo, incredibili lætitia patriam repleverat. Non est diu cunctatus Cæsar 2
Augustus; neque enim quærendus erat, quem [6] legeret; sed legendus, qui eminebat: itaque, quod post L. mortem, adhuc C. vivo, facere voluerat, atque, [7] vehementer

vocabulum tribuatur. Recte enim judicat magnus latinitatis magister Gronovius, Observ. IV, 10, p. 154, Justini vix ulla, ab Trogo aliena, in sermone vestigia apparere.

1. *Deinde reluctatus*. Exempl. vetustum sic habet, ut nescias, an *diu reluctatus*, seu potius *de reditu luctatus*, legendum sit. Mihi tamen prior lectio non usquequaque displicet. Burer. Rhenani lectionem servavi, quamvis Velleium scripsisse putem: *Diu deindè reluctatus*.

2. *In urbe Lyciæ*. Vide Lipsium ad h. l. et ad Tacit Annal. I, 3, et Dukerum ad Florum, IV, 12, 43.

3. *Limyram nominant*. Exemplar vetus habet, *Lymira nominant*, etc. Bur. Recepi *Limyra*, quum veteris codicis, tum Strabonis auctoritatem secutus, XIV, p. 981: Εἶθ' ἡ ἐκβολὴ *τοῦ Λιμύρου ποταμοῦ, καὶ ἀνιόντι πεζῇ σταδίους εἴκοσι τὰ Λίμυρα πολίχνη*. Alios tamen hoc nomen feminina forma extulisse, ostendit Wesselingius ad Hierocl. Synecd. p. 683.

4. *Quum ante annum ferme L. Cæsar*. Sic edit. Basileens. locum depravatum restituit. Cujus correctionem deinde Aldus nepos ad h. l. et Petavius, de D. T. XI, 3, pro sua venditarunt. Edit. pr. *quom ante annum ferme quinquagesimum Cæsar*, etc. ubi librarii inscitia *L.*, id est, *Lucius*, ridicule pro nota numerali accepit. Vide Norisium ad Cenotaph. Pis. Diss. II, 16, p. 349.

5. *Massilia decessisset*. Exemplar vetus habet, *Massiliæ decessisset*. Burer.

6. *Legeret*. Exempl. vetustum habet, *legerat*. Burer.

7. *Atque, vehementer*, etc. Ex vestigiis vetusti codicis apparebat pro *atque*, *eoque*, sive *eo quod*, scriptum; nam vestigia literarum vix poterant videri præ vetustate. Burer. Ex veteris codicis vestigiis lege: *quo-*

repugnante Nerone, erat inhibitus, post utriusque adu-
3 lescentium obitum facere perseveravit, ut et tribunitiæ
potestatis consortionem Neroni constitueret, multum
quidem eo cum domi, tum in senatu recusante, et eum
Ælio Cato, Sentio cos., v kalend. Jul., post urbem con-
ditam annis [1] DCCLIII, abhinc annis XXVII, adoptaret.
4 Lætitiam illius diei, concursumque civitatis, et vota
pæne inserentium cælo [2] manus, spemque conceptam
perpetuæ [3] securitatis, æternitatisque romani [4] imperii,
vix in illo justo opere abunde persequi poterimus, ne-
5 dum hic [5] implere. Tentemus id unum dixisse, [6] quam

que, vehementer repugnante Nerone, erat inhibitus. Quoque pro *et quo*. Celsus de Medic. VIII, 11 : « Quoque in eo plus usus superest, eo minus id extenuatur. »

1. *Annis* DCCLIII. Exemplar vet. habet, *annis* ACCLIIII. BURER. Vide Oudendorpium ad Sueton. Tiber. cap. 15, qui Burmanni hac in re errorem castigat.

2. *Pæne inserentium cælo manus. Manus cælo inserere* per hyperbolen dicit pro *manus ad cælum tollere*, vel *tendere*, vovendi caussa. Rarior est hæc loquendi forma.

3. *Spemque conceptam perpetuæ securitatis*. Ita Bœcler. Ind. v., *spes* legit pro scriptura edit. pr. *spemque conceptæ perpetuæ securitatis* ; II, 67 : *utcunque conceptæ spei mora*.

4. *Securitatis æternitatisque romani imperii*. Loquitur ex formula. Sæpe enim et *securitas*, et *æternitas imperii romani* numis celebrantur. Vide Spanhemium de Us. et Pr. N. t. II, p. 346 et 384.

5. *Nedum hic implere*. Sic editor Basil. Edit. pr. *nedum hinc implere*. De verbo *implere* videndus Schulting. ad Senec. Contr. I, p. 107.

6. *Id unum dixisse, quam*, etc. Forsan sic legendum est : « Id unum dixisse contenti, quam ille carus omnibus fuerit tum apparuit. Tum refulsit. » RHENAN. Mihi sic legendum videtur : « Id unum dixisse juvat, quam ille omnibus fuerit carus, quum refulsit certa spes liberorum, etc. » BURER. Hic locus laborat et interpunctione, et verborum corruptela. Editionis primæ scriptura hæc est : « Nedum hinc implere tentemus : id unum dixisse quam ille omnibus fuerit, tum refulsit, etc. » Recte Heinsius distinxit hoc modo : « Nedum hic implere. Tentemus id unum, etc. » Placet mihi quoque Burmanni conjectura : « Contenti simus id unum dixisse » Arnobius, VII, pag. 219 : « Quas tamen nos partes inexplicatas transcurrimus atque intactas, solum illud posuisse contenti ; » Sulp. Sev. II, 28 : « Hujus vitis ut plenius exponerem, res admonebat, nisi non esset hujus operis tam vasta ingredi : id tantum adnotasse contentus sum, etc » Ipse etiam Velleius, II, 49, *contentus* cum infinitivo junxit : *contentus titulum retinere provinciæ* ; 112 : *nec hostes susti-*

ille omnibus fuerit. Tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis; adeo, ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius.

CIV. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa, quem 1
post mortem Agrippæ Julia enixa erat. Sed in Neronis adoptione illud adjectum his ipsis Cæsaris verbis : *Hoc*, inquit, *reipublicæ caussa facio*. Non diu vindicem cus- 2
todemque imperii sui morata in urbe patria, protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. Erat et ab eo [1] quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eoque nomine decreta ei cum

nuisse contenti. In sequentibus verbis elegantem Lipsii conjecturam, *quam ille omnia omnibus fuerit*, probarem, si exemplis constaret, Latinos non tantum de personis, sed etiam de rebus ita locutos esse : qua de re Burmannus dubitasse videtur. Græci, quamquam raro, et sensu paulum diverso, ita loquuntur Herodot. VII, p. 576 : Καὶ ἔσαν ἅπαντά οἱ αἱ Συρήκουσαι· ubi amicissimus Valekenarius laudat similem locum Thucydid. VIII, p. 565 : Εὔβοια γὰρ αὐτοῖς. ἀποκεκλεισμένης τῆς Ἀττικῆς, πάντα ἦν· ubi vide Dukerum. Equidem, Velleii loco sæpe multumque considerato, legendum censeo : *quam in illo omnia omnibus fuerint*; id est, quam in illo die omnium salus et fortunæ positæ fuerint. Cicero ad Div. II, 6 : « Neque vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quantæ mihi sit honos ejus, in quo omnia mea posita esse decrevi; » ubi vide P. Victorium; II, 8 : « Tibi quum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis quam ne tempus nobis provinciæ prorogetur. In eo mihi sunt omnia; » XV, 14 : « Hoc a te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem.....Sic velim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. » Seneca ad Polyb. 26 : « Hoc incolumi, salvi tibi sunt tui :.... in hoc tibi omnia sunt. » Pro quo Sallust. Jug. 114, dicit : *In eo spes atque opes sitæ*. Cave tamen, hanc formulam, ut nonnullos fecisse video, confundas cum altera, *cum eo mihi sunt omnia*, apud Ciceronem ad Div. XIII, 1, qua summa amicitia et familiaritas significatur. Totus igitur locus sic de mea sententia scribendus : « Nedum hic implere. Contenti simus id unum dixisse, quam in illo omnia omnibus fuerint. Tum refulsit, etc. » *In* a vicino *m*, ut centum prope locis in Velleio elisum est.

1. *Erat et ab eo*. Bene Lipsius, *erat id ab eo*.

speciosissima inscriptione[1] operum ornamenta triumphalia.
3 Hoc tempus me, functum ante tribunatu[2] castrorum, Tib. Cæsaris militem fecit: quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, cælestissimorum ejus operum, per annos continuos VIII præfectus aut legatus spectator, pro captu[3] mediocritatis meæ adjutor fui. Neque illi spectaculo, quo fructus[4] sum, simile conditio mortalis recipere videtur mihi; quum per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ provinciarum, veterem imperatorem, et ante meritis ac[5] viribus,
4 quam nomine Cæsarem, revisentes, sibi quisque, quam illi, gratularentur plenius. At vero militum conspectu ejus elicitæ gaudio lacrymæ, alacritasque, et salutationis nova quædam exsultatio, et contingendi manum cupiditas, non[6] continentium, protinus quin[7] adjice-

1. *Decreta ei cum speciosissima inscriptione*, etc Res ejus gestæ inscriptæ sunt arcui triumphali, in Alpibus posito, ut narrat Dio Cass. de hac expeditione agens, LIII, p. 721. Velleius igitur arcum cum inscriptione comprehendit, ornamentorum triumphalium nomine. Nimis festinanter hunc locum inspexit Wassius ad Sallustium, Jugurth. 42.

2. *Functum antea tribunatu castrorum*. Vanissimæ sunt Dodwelli, Burmanni, et aliorum de *tribunatu castrorum*, qui nullus unquam fuit, disputationes. Locus ita interpungendus: « Hoc tempus me, functum ante tribunatu, castrorum Ti. Cæsaris militem fecit; » quod præclare vidit Jo. Massonus, Novell. Liter. t. XI. p. 363.

3. *Spectator, pro captu*. Editio pr. mendose, *spectatus, pro captu*; pro quo editor Basil. scripsit, *spectator et pro captu*, etc. Sed copula *et* facile caremus.

4. *Quo fruitus sum*. Exemp. vetustum habet, *quo fructus sum*. BURER. Utrumque rectum esse, ostendit Cujacius, Observat. X, 26. Sed vetus codex sequendus.

5. *Meritis ac viribus*. Perplacet mihi Lipsii emendatio: *meritis ac virtutibus*. Burmannus nihil mutari vult, quod *vis* etiam pro virtute dicitur. Audio. At ubi *vires* pro virtutibus ponuntur?

6. *Non continentium*. *Continentium* absolute dixit pro continentium sc. Sic ejusdem significationis verbo *temperare* usus est Suetonius, Cæsar. 22: « Quo gaudio elatus non temperavit, quin paucos post dies frequenti curia jactaret. »

7. *Protinus quin adjicerent*. Secu-

rent: « Videmus te, imperator, salvum recepimus: » ac deinde: « Ego tecum, imperator, in [1] Armenia; ego in Rhætia fui: ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus sum; » neque verbis [2] exprimi, et fortasse vix mereri fidem potest.

CV. Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, [3] Bructeri, recepti Cherusci [4] gentes, et amnis [5], mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis; 1

tos sum interpunctionem Acidalii. Editio prima, *non continentium protinus quin adjicerint*.

1. *Ego tecum, imperator, in Armenia*, etc. Comparandus locus similis Cicer. pro Muren. 18: « Gravis est illa (militum) oratio: me saucium recreavit; me præda donavit; hoc duce castra cepimus, signa contulimus; nunquam iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit ipse »

2. *Neque verbis exprimi*, etc. Hæc verba in recentioribus edit. pessime ad sequens caput trahuntur. Nos editionis primæ fidem secuti sumus.

3. *Caninifaci, Attuari, Bruteri*. Sic leges: *Caninefates, Cattuari, Bructeri*. Rhenan. De scriptura editionis pr. *Caninifaci, Attuari, Bruteri*, moltis disputant interpretes ad h. l. Ego Rhenani correctionem recepi, nisi quod *Attuarii* pro *Attuari* edi jossi. *Attuarios* pro Chattuariis etiam accipit Henr. Cannegieter. in Postumo, cap. 14, pag. 166.

4. *Recepti Cherusci gentes*. Sic est in edit. pr. Forte: *receptæ Cheruscorum gentes*, ut II, 106: « Victæ gentes, pæne nominibus ignotæ. Receptæ Cauchorum nationes. » Sed melius est *gentes* cum Lipsio delere. Quam vocem aliquis margini adscripserat, ut Caninefates, Attuarios, etc, gentium nomina esse significaret. *Receptæ* in hac formula pro simplici *captæ* poni, docent interpretes ad Liv. XXXIX, 23.

5. *Et inamninus*. Alias, *in amnibus*, hoc est, inter amnes. Malim tamen sic legere: « Et amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis. » Rhenan. Exempl. vetustum habet: *et inamminus*. Hinc legendum conjicio, *et inamænus*, etc. Burer. Edit. pr. fœdissimo vitio: « Et inamoinos, mox nostra clade nobilis traosito Visurgis. » Vossii conjectura, quam tantopere laudat Heinsius: « Et utinam minus mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis, » mihi quoque blanditur, certe præ commento Cannegieteri de Britteob. c. 9, p. 100: « Attuarii, Bruteri recepti, Cherusciæ gentis et Inguiomerus, mox nostra clade nobilis. Transitus Visurgis, » quod, non intelligo, quomodo placere potuerit Oudendorp. ad Cæsar. de B. G. II, 16. Verumtamen omnium ut simplicissimam, ita verissimam Rhenani correctionem judico: « Et amnis, mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis. » Vellei. l. II, c. 101: « In insula, quam amnis Euphrates ambiebat. » Comparandos etiam alter locus II, 8: « Cimbri, multis mox nostris suisque cladibus nobiles. » Savaro ad Sidon.

penetrata ulteriora; quum omnem partem asperrimi et
periculosissimi belli Cæsar vindicaret; in iis, quæ mi-
noris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum
legatus patris ejus[1] in Germania fuerat, præfecisset;
2 virum multiplicem in[2] virtutibus, navum, agilem, pro-
vidum, militariumque officiorum patientem ac peritum
pariter; sed eumdem, ubi negotia fecissent locum[3] otio,
liberaliter lauteque eo abutentem; ita tamen, ut eum
splendidum ac hilarem[4] potius, quam luxuriosum aut
desidem diceres: de cujus viri claro celebrique consu-
3 latu prædiximus. Anni ejus æstiva, usque in mensem
decembrem[5] perducta, immanis emolumentum fecere
victoriæ. Pietas sua Cæsarem, pæne obstructis hieme
Alpibus[6], in urbem traxit: at tutela imperii eum[7] veris

Apoll. carm. XXIII, 244, a Velleio *Visurigis* scribi dicit Sed in editione prima est *Visurgis*.

1. *Qui tum legatus patris ejus.* Scribendum: « Qui tum legatus patris ejus in Germania erat. » *Legatus* h. l. est legatus Cæsaris consularis, sive præses Germaniæ. Quod planum est e Dione, LV, p. 802: Γαΐου Σεντίου τοῦ τῆς Γερμανίας ἄρχοντος, etc.

2. *Multiplicem in virtutibus.* Raphelengius *in*, quod ex præcedenti *m* natum est, bene expungit. Sil. Ital. v, 542: « hunc tristes luxere Fregellæ Multiplicem proavis. » Adde Burmannum ad hunc locum.

3. *Ubi negotia fecissent locum otio*, etc. Eodem fere modo descripsit Mæcenatem, II, 88: « Vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens, atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pæne ultra feminam fluens. » Utriusque loci color ductus est ex Sallust. Jug. 95: « Sulla otio luxurioso; tamen ab negotiis nunquam voluptas remorata; » et Fragm. p. 403: « M. Antonius perdundæ pecuniæ genitus, vacuusque curis, nisi instantibus. » Adde Nepotem, Alcibiadis mores similiter deformantem, c. 1: « Quum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus.... Idem, simul ac se remiserat, luxuriosus, dissolutus, etc. »

4. *Ac hilarem.* Scrib. *aut hilarem. Ac* nunquam ponitur ante vocalem.

5. *In mensem decembrem perducta.* Bene Lipsius, *producta.* Vide ad II, 106, §. 3, p. 246.

6. *Pæne obstructis hieme Alpibus.* Edit. pr. *pæne exstructis hieme Alpibus*; sed certa est editoris Basil. correctio, quam in textu exhibemus. Apposite Mamertin. Paneg. Maxim. 9: « Vos prope soli Alpium vias, hibernis nivibus obstructas, divinis vestigiis aperuistis. »

7. *In urbem traxit: at tutela imperii eum*, etc. Vim et concinnitatem huic loco reddidit felix Lipsii

initio[1] reduxit in Germaniam; in cujus mediis finibus, ad caput Lupiæ[2] fluminis, hiberna digrediens princeps locaverat.

CVI. Proh Dii boni! quanti voluminis opera insequenti 1
æstate, sub duce Tiberio Cæsare, gessimus! Perlustrata
armis tota Germania est; victæ gentes, pæne nominibus
incognitæ; receptæ Cauchorum nationes: omnis eorum
juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ
locorum tutissima, traditis armis, una cum ducibus
suis, septa fulgenti armatoque militum nostrorum ag-
mine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti[3] Lan- 2
gobardi, gens etiam germana feritate[4] ferocior. Deni-
que, quod nunquam antea spe[5] conceptum, nedum
opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium,
a Rheno usque ad flumen Albim[6], qui Semnonum[7] Her-

emendatio. Edit. pr. nulla aut inepta sententia: « In urbem traxit ad tutelam imperii: eom veris, etc. »

1. *Veris initi*. Alias, *veris initio*. RHENAN.

2. *Ad caput Lupiæ fluminis*. Hanc lectionem Lipsius præclare substituit corruptæ editionis pr., *ad caput Juliæ fluminis*.

3. *Fracti Longobardi*. Exemplar vetustum habet: *Fracti Langobardi*. BURERIUS.

4. *Gens etiam germana feritate ferocior*. Ad hanc formam Quintilian. Decl. III, 13, de Cimbris dixit: « Inusitata corporum magnitudo, mores etiam Germanis feri. »

5. *Nunq. ante spe conceptum*, etc. Hic locus a viris doctis adhiberi debuerat ad firmandam lectionem Liv. XXXIII, 33: « Hoc spe concipere, audacis animi fuisse: ad effectum adducere, virtutis et fortunæ ingentis.

6. *Ad quadringent. mill. a Rheno usque ad flumen Albim*. Hyperbolice hic loqui Velleium, aut anfractus atque circuitus paludum saltuumque complecti (quum alias millia passuum haud amplius CCXL reperiantur in itineris hujus designatione) ostendit Cluver. Germ. ant. III, 18. Ita adulatorie mox, animadvertente Lipsio, *inauditum atque incognitum ante mare* vocat, quod tamen Drusus antea navigaverat, sicut ex Dione satis constat. BECLER.

7. *Semnonum*. Edit. pr. *Senonum*. Sed Puteani correctionem *Semnonum* egregie confirmat Monim. Ancyr. ex editione Chishulli pag. 175: « Classis Ro. ab ostio Rheni ad solis orientis regionem usque ad orbis extrema navigavit, quo neque terrâ neque mari quisquam Romanorum ante id tempus adiit. Cimbrique et Harudes et Semnones et ejusdem tractus alii Germanorum populi per legatos amicitiam meam et P. R. pe-

mundorumque fines præterfluit[1], romanus cum signis
3 perductus[2] exercitus : et eodem, mira felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia, classis, quæ Oceani circumnavigerat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium [3]victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se junxit.

1 CVII. Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecunque est, inseram. Quum citeriorem ripam prædicti fluminis castris occupassemus, et ulterior armata hostium juventute fulgeret, sub omnem

tierunt. » De *Semnonibus* vide interpretes ad Flor. IV, 12, 4.

1. *Præterfluit. Præfluit* ed. Vossii; si ex MSS., reciperem; sed æque bonum *præterfluit.* BURMANN.

2. *Perductus exercitus.* Burmannus ad h. l. et ad Virgil. Ecl. III, 94, malit *productus*; ut II, 78: *producto eorum exercitu in Syriam.* Lipsius etiam II, 105, pro, *anni ejus æstiva, usque in mensem decembrem perducta*, legit *producta.* Librariorum in his verbis permutandis levitas facit, vix ut eorum discrimen constitui possit. Illud tamen satis certum videtur, *produci exercitum* dici, qui in aciem ducitur; *perduci*, qui ad locum destinatum. Maneat ergo h. l. *perductus*, et II, 78, *producto* in *perducto* mutetur.

3. *Plurimarum gentium victoria.* Neque hic mihi convenit cum Burmanno. *Plurimarum gentium victoria* absolute dicitur pro, quum plurimas gentes vicisset. Ita Velleius, II, 68 : « Incepto pari, similis fortuna Milonis fuit. » Sallust. Catil. 11 ; « L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis, malos eventus habuit. » Locutionem *victoria gentium*, pro de gentibus, illustrat Dukerus ad Liv. Epit. v. Tum illa classis non commeatum vexit, sed milites armatos, qui Oceanum septemtrionalem cognoscerent, ejusque accolas imperio romano subjungerent. Quod clarum est ex Monim. Ancyr. l. c. et Plinio H. N. II, 67 : « Septemtrionalis vero Oceanus majore ex parte navigatus est, auspiciis Divi Augusti, Germaniam classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium : et inde immenso mari prospecto, aut fama cognito, ad Scythicam plagam, et humore nimio rigentia. » Cæterum Velleius male reprehenditur a Lipsio et aliis, quasi nimio Tiberii studio mare, quod jam Drusus navigarat, *inauditum atque incognitum* dicat. Primus quidem ducum romanorum Drusus Oceanum septemtrionalem navigavit, teste Suetonio Claud. 1. At non ultra Chaucos penetrasse, narrat Dio Cassius, LIV, p. 762 : Tiberii autem classis usque ad mare glaciale pervenit, ut Chishullus l. c. bene docet. Ex quibus cogitur, Velleium non adulatorie, sed vere et rei convenienter de hac expeditione locutum esse.

motumque nostrarum navium[1] protinus refugientium, unus e barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate, quantum ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum, solusque id navigii genus temperans, ad medium processit fluminis; et petiit, liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis [2] tenebamus, egredi ripam, ac videre Cæsarem.
Data petenti [3] facultas : tum adpulso lintre, et diu taci- 2
tus[4] contemplatus Cæsarem : « Nostra quidem, inquit, furit juventus, quæ, quum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit, quam sequitur fidem; sed ego, beneficio ac permissu tuo, Cæsar, quos ante audiebam, hodie vidi deos; nec feliciorem ullum vitæ meæ aut optavi, aut sensi diem. » Impetratoque, ut manum [5] contingeret, reversus in naviculam, sine fine res-
pectans Cæsarem, ripæ suorum adpulsus est. Victor 3
omnium gentium [6] locorumque, quos adierat, Cæsar, cum incolumi, inviolatoque, et semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit, eadem, qua priore anno, festinatione urbem petens.

1. *Sub omnem motum nostrarum navium*, etc. Exemplar vetustum habet : *sub omnem metumque nostrarum navium*. Inter *omnem* et *motumque* quiddam deesse videtur. Burer. Rhenanus *que* omisit. Forte in *omnem* aliud substantivum latet.

2. *Quam ar. tenebamus*. Exempl. vetustom habet : *quam armis tendebamus*. Burerius.

3. *Data a Cæsare petenti facultas*. Exempl. vetustum habet : *data petenti facultas*. Hoc *a Cæsare* in vetusto cod. hoc loco non reperitur, unde huc immigrarit. Burer.

4. *Et diu tacitus*. Tolle copulam cum Vascosano et Heinsio.

5. *Impetratoque, ut manum contingeret*, etc. Exemplar vetustum habet : *imperatoque, ut manum*, etc. Burerius.

6. *Victor omnium gentium locorumque*, etc. II, 40 : « Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius. » Hinc sumpsit Velleii imitator, Sulpic. Sever. lib. II, cap. 26 : « Pompeius tum Mithridatico bello confecto, pacataque Armenia et Ponto, victor omnium gentium, quas adierat. »

1 CVIII. Nihil erat jam in Germania, quod vinci posset, præter gentem [1] Marcomannorum; quæ, Maroboduo [2] duce, excita sedibus suis, atque in interiora [3] refugiens, incinctos Hercyniæ sylvæ campos [4] incolebat.
2 Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, et ex voluntate [5] parentium [6] constantem, inter suos occupavit principatum; sed certum imperium, vimque regiam complexus animo, statuit, avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, ubi, quum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima: occupatis igitur, quos [7] prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris sui fecit.

1 CIX. Corpus suum custodia, tum imperium [8] per-

1. *Marcomannorum*. Editio pr. *Marcomanorum*, ut sæpe Græci. Mox tamen per duplex *n* scribitur.

2. *Maroboduus*. De illo luculentus locus est Strabonis VII, p. 445, quem emendat Lipsius ad Tacit. Annal. lib. II, cap. 44.

3. *In interiora refugiens*. Sic editor Basil. et Lipsius correxerunt. Edit. pr. *in inferiora refugiens*.

4. *Incinctos Hercyniæ sylvæ campos*. Scribendum: *incinctos Hercynia sylva campos*, quod Heinsio quoque placet.

5. *Ex volunt. parentum*. Exempl. vetus habet: *ex voluntate parentium*, etc. Burer.

6. *Et ex voluntate parentium constantem*, etc. Forte legendum: « Et ex voluntate parentium constitutum .... principatum. » *Parentes* Velleius, imitatione Sallustii Jug. 102, dicit, quos *obedientes* Sall. Jug. 31, Livius, II, 59, et Ammian. Marcell. XV, 13, nunc barbari *subditos* vocant.

7. *Quos prædiximus*. Exempl. vetustum habet, *quis prædiximus*, et recte quidem: nam *quis* hoc loco pro *quibus* positum videtur. Burer.

8. *Corpus suum custodia, tum imperium*, etc. Exempl. vetustum sic habet, ut potius legendum existimem: « Corpus suum custoditum, imperium perpetuis, etc. » Burer. Longum est, nec necessarium, aliorum in loco tam desperato æstus et errores referre aut refellere. Lege de certissima emendatione nostra: « Corpus suum custodia munivit. Imperium, perpetuis exercitiis exercitu pæne ad romanæ disciplinæ formam redacto, brevi in eminens et nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium. » Ex *tum*, transpositis li-

petuis exercitiis pæne ad romanæ disciplinæ formam
redactum, brevi in eminens et nostro quoque imperio
timendum perduxit fastigium; gerebatque se ita adver-
sus Romanos, ut neque bello nos lacesseret, et, si [1]la-
cesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi
(ostenderet). Legati, quos mittebat ad Cæsares, inter- 2
dum, ut supplicem commendabant, interdum ut pro
pari loquebantur. Gentibus hominibusque a nobis des-
ciscentibus erat apud eum perfugium; totumque ex
male dissimulato agebat [2]æmulum; exercitumque,

teris, fecimus *munivit*, id est, circumdedit, sepsit. Cic. pro Sext. 44: « Qui stipatus semper sicariis, septus armatis, munitus indicibus fuit. » Catil. I, 3: « Coloniam custodiis munitam. » Maroboduus corpus suum armatis satellitibus munivit, more tyrannorum. Livius, I, 49: « Conscius deinde Tarquinius, male quærendi regni ab se ipso adversus se exemplum capi posse, armatis corpus circumsepsit; » ubi vide Drakenborch. Mox vulgatum, *imperium exercitiis redactum*, etc. explicet, qui potest. *Exercitu* quam facile interciderit, vel me tacente intelligitur. Statim Velleius: « exercitumque assiduis adversus finitimos bellis exercendo. »

1. *Lacesseretur*, etc. Puto leg. *lacesseret : at si lacesseretur*, *sup. declararet*, vel simile quippiam hic deesse videtur: nam hic in exemplari lacunulam omissæ dictionis offendimus. RHENAN. Mihi sic leg. videtur, nec dubito, quin recte: « Ut neque bello si lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi, etc. » BURER. Edit. pr. locum lacunosum sic exhibet: « Ut neque bello nos lacesseretur superesse sibi vim ac voluntatem resistendi Legati, etc. » Rectius, quam Burerius, lacunas explevit Rhenanus, nisi quod verbo *declaruret* præferam repositum a Burmanno *ostenderet*. Rhenani supplementa etiam receperunt Vascosanus et editor Basil., quorum hic pro *at si* dedit *et si*, ille *ac si*. Edi jussimus *et*, *si*. Cæsar de B. G. IV, 11: « Mittit, qui nuntiarent, ne hostes prælio lacesserent: et, si ipsi lacesserentur, sustinerent, quoad ipse cum exercitu propius accessisset. »

2. *Totumque ex male dissimulato agebat æmulum*. Placet Heinsii correctio: *totusque ex male dissimulato*, etc. Cæsar de Bell. Gall. VI, 5: « Totus et mente et animo in bellum Trevirorum et Ambiorigis insistit. » Livius, XXV, 16: « Toti a patiendo exspectandoque eventu in impetum atque iram versi; » ubi vide Gronovium. Justin. XII, 13: *totusque in lætitiam effusus*. *Dissimulato* Burmannus, tamquam deponentis participium, capit pro, qui dissimulaverat. Contra Wopkens. Misc. Obs. VIII, pag. 71, *ex male dissimulato* quasi adverbialiter dictum intelligit pro, non satis dissimulanter. Qui suam in rem uti potuisset Seneca,

quem LXX millium [1] peditum, quatuor equitum fecerat,
assiduis adversus finitimos bellis exercendo, majori,
3 quam quod habebat, operi [2] præparabat. Eratque etiam
eo timendus, quod, quum Germaniam ad lævam et in
fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedium suarum
haberet Noricos, tamquam in omnes semper venturus,
4 ab omnibus timebatur. Nec securam incrementi sui pa-
tiebatur esse Italiam : quippe quum a summis Alpium
jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus [3] finium
5 haud multo plus cc millibus passuum abesset. Hunc vi-
rum, et hanc regionem, proximo anno diversis e parti-
bus Tib. Cæsar adgredi statuit. Sentio Saturnino man-
datum, ut per Catthos, excisis continentibus Hercyniæ
sylvis, legiones Boiohœmum [4] (id regioni, quam inco-
lebat Maroboduus, nomen [5] est) [duceret] ipse a Car-

Præf. IV, N. Q. p. 741 : « Planens artifex ante Vitellium maximus, aiebat non esse occulte, nec ex dissimulato blandiendnm. » Mihi tamen neutra ratio probatur. Velleius enim haud dubie scripsit : « Totusque ex male dissimulante agebat æmulum ; » id est, qui ante non satis occulte dissimulaverat, nunc totus, nec amplius occulte, agebat æmulum. *Male* est non satis, ut apud Ovidium, a Burman. laudatum, Ep. XVI, 7 : *sed male dissimulo*. Sueton. Tiber. 42 : « Cuncta simul vitia, male diu dissimulata, tandem profudit. » Contra Terentius Andr. I, I, 105 : « Bene dissimulatum amorem et celatum indicat. »

1. *Quem* LX *millium peditum*. Ex vestigiis vet. cod. apparet, LXX fuisse, eraso X posteriore. BURER.

2. *Majori, quam quod habebat, operi præparabat*. Probo Grævii Syll. Epist. t. IV, p. 415, et Burmanni emendationem, *quam quod agebat*; quamvis hic eam deseruerit Misc. Obs. VIII, p. 402. Hanc lectionem confirmat Velleius, II, 94 : « Ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret ; » inprimisque Livius, a viris doctis laudatus, XXI, 2 : « Ut appareret, majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum. » Qui locus, nescio, an Velleii, hæc scribentis, animo obversatus sit.

3. *Initium ejus finium*. *Ejus*, scilicet Marobodui. RHENAN. Exempl. vetust. habet, *initium cujus finium*, etc. BURER.

4. *Boiohœmum*. *Boiohemum*, *Boeheim*, hoc est, Boiorum patria. Nunc ab Illyriis (quos Sclavos appellant) habitatur. RHENAN.

5. *Nomen est*. Aliorum editorum exemplo, verbum *duceret*, quod hinc elapsum revocavit Lipsius, adjeci. Plura quidem periisse putat

nunto, qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.

CX. Rumpit, interdum moratur[1] proposita hominum 1
fortuna. Præparaverat jam hiberna Cæsar ad Danubium, admotoque exercitu non plus[2] quam quinque dierum iter a primis hostium, Saturninum admoveri
placuerat; pæne æquali divisæ intervallo ab hoste, in- 2
tra paucos dies in prædicto loco cum Cæsare juncturæ erant; quum universa Pannonia[3] insolens longæ pacis bonis, et adulta viribus [4]Delmatia, omnibusque tractus

Dodwellus, Annal. Vellei. §. 3; sed frustra. *Ipse* enim, in quo arguatur, est Tiberius, qui ex urbe, ubi hiemem egerat, in Illyricum profectus est, ut ab illa parte Marcomannos aggrederetur. Errantem Dodwellum in viam reduxit Masson. Novell. Literar. t. XI, p. 351.

1. *Rumpit, interdum moratur*, etc. Jam Acidalius recte monuerat, *interdum* semel positum, bis intelligendum esse. Heinsius tamen, ne parum ingeniosus videretur, corrigere tentavit: « Rumpit interdum, interdum moratur, etc. » Perperam. Sueton. Aug. 75: « Festos et solennes dies profusissime, nonnunquam jculariter tantum, celebrabat. » Tacitus Hist. III, 83: « Utque in ludicro certamine, hos, rursus illos clamore et plausu fovebat; » ubi librarii, deesse aliquid existimantes, scripserunt, *modo hos*, *rursus illos*; sed satis exemplorum est apud Gronovium ad Liv. III, 37, et Oudendorp. ad Appulei. Met. IV, p. 267. Nec tamen male judicat Davisius ad Cic. Disp. Tusc. IV, 12, fieri aliquando posse, ut, quod librarius omiserit, ab ipso scriptore, brevitatis studio, prætermissum putetur.

2. *Admotoque exerc. non plus*, etc. Hunc locum, fœdissime mutilatum depravatumque, ita restituendum censeo: « Amotoque exercitu non plus quam quinque dierum iter a primis hostium, Saturninum eodem admovere copias jusserat; quæ pæne æquali divisæ intervallo ab hoste, intra paucos dies se in prædicto loco cum Cæsare juncturæ erant; quum universa Pannonia, etc. » Primum *amoto* scripsimus cum Heinsio pro *admoto*. Mox *eodem* etiam est similitudine sequentis *admo*, et *se* præcedentis *es* in *dies*. Denique de correctione, *copias jusserat*, *quæ*, ipsa vis sententiæ vix quemquam dubitare sinit. Quamquam, si quis literas rimari velit, etiam in *placuerat* vestigia quædam syllabarum *pias jusserat* reperiet.

3. *Quum universa Pannonia*. Ex. vetustum habet, *tum universa Pannonia*, etc. BURER.

4. *Et adulta viribus Delmatia*. Ursinus non currigit, sed currumpit Velleium conjectura sua, *et adjuta viribus Delmatiæ*. Lucret. III, 450:

ejus gentibus[1] in societatem[2] adductis, constituto[3] arma
3 corripuit. Tum necessaria gloriosis præposita : neque
tutum visum, abdito in interiora[4] exercitu, vacuam tam
vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque,
quæ rebellaverant, omnis numerus amplius DCCC milli-
bus explebat, CC fere peditum colligebantur armis habi-
4 lia, equitum VIII. Cujus immensæ multitudinis, paren-
tis acerrimis[5] ac peritissimis ducibus, pars petere[6] Italiam
decreverat, junctam sibi Nauporti ac Tergestis confi-
nio; pars in Macedoniam se[7] effuderat; pars suis sedi-
bus præsidium esse destinaverat. Proxima duobus Bato-

« Inde ubi robustis adolevit viribus ætas. » Immo cum Velleio coogruit Dio Cass. LV, p. 802. Belli delmatici meotiouem habet marmor apud Murator. Inscript. p. 40, 5 : « Jano patri Aug. sacrum C. Julius C. f. strator æd. donatus ab Ti. Cæs. Aug. f. Augusto torque majore bello delmatico, ob honorem IIviratus cum liberis suis posuit; » ubi oihil caussæ est, quare Muratorius potius bellum delmaticum prius, de quo Velleius, II, 96, quam posterius, de quo hic agit, iotelligat.

1. *Omnibusque tractus ejus gentibus.* Editor Basileensis *que* delevit. Scribendum : *omnibus quoque tractus*, etc.

2. *Gentibus in societatem adductis.* Heiosius bene conjicit : *gentibus in societatem adjunctis.* Liv. XXXVII, 15 : « Patara, caput gentis, in societatem adjungenda. » Nisi legere malis : *gentibus in societatem adsumptis.* Liv. II, 22 : « Rursus occultum parant bellum, Herniois io societatem armorum adsumptis; » Sulpic. Sev. II, 15 : « Moabitis adversom Judæos in societatem belli adsumptis; » Velleius, II, 32 : « Multis et præclaris viris io id bellum adsumptis. » Adde qoæ ootavimus ad II, 29, p. 101.

3. *Constituto arma corripuit.* Edit. pr. : *constitit, arma corripuit*, pro quo editor Basil. rescripsit : *ex constituto arma corripuit.* Sed melius *ex* omisit Vossius. Terent. Phorm. V, I, 29 : *Composito factum est;* ubi Dooatus laudat Virgilium, Æn. II, 129 : *Composito rumpit vocem;* Nepos, Datam. 6 : « Perfugas mala fide, compositoque fecisse. » Vide interpretes ad Liv. V, II.

4. *Abdito in interiora exercitu.* Sic Vascosan. et edit. Basil. pro *addito in*, etc. quod est in edit. pr.

5. *Pars acerrimis.* Exempl. vetustum habet *parentis acerrimis*, etc., sicque legeodum opinor. BURERIUS. Editio prima, *pars acerrimis*, etc.

6. *Properare in Italiam decreverat.* Exempl. vetustum habet : *pars petere Italiam decreverat* BURER. Editio prima, *properare in Italiam decreverat.*

7. *Pars in Macedoniam se effuderat.* Recepimus facilem ac veram Ursioi emendationem, quam ipse Velleius confirmat, I, 4 : « Magna vis græcæ juventutis, abundantia

nibus ac Pinneti[1] ducibus auctoritas erat. In[2] omnibus 5
autem Pannoniis non disciplinæ tantummodo, sed lin-
guæ quoque notitia romanæ, plerisque etiam literarum
usus, et familiaris animorum erat [3]exercitatio. Itaque,
hercules, nulla unquam natio tam mature consilio belli
bellum junxit, ac decreta patravit. Oppressi cives ro- 6
mani, trucidati negotiatores, magnus vexillariorum
numerus ad internecionem, ea in regione, quæ pluri-
mum ab imperatore aberat, cæsus. Occupata armis Ma-
cedonia; omnia et in omnibus locis igni ferroque vastata.
Quin tantus etiam[4] hujus belli metus fuit, ut stabilem
illum et firmatum tantorum bellorum [5]experientia, Cæ-
saris Augusti animum quateret atque terreret.

virium, sedes quæritans, in Asiam se effudit; » II, 112: « Quæ obviam se effuderat exercitui. » Editio prima: *pars in Macedoniam effugerat*, ex quo edit. Basil. minus feliciter fecit: *pars in Macedoniam eruperat*.

1. *Proxima duobus Batonibus ac Pinneti ducibus*, etc. Legendum puto: « Proxima duobus Batoni ac Pineti ducibus auctoritas erat. » Nam paulo post Vellei. Batonis ac Pinetis rursus meminit. Et Suetonius Bationem Pannoniorum ducem a Tiberio Cæsare scribit ingentibus donatum præmiis. RHENAN. Pro *proxima*, aut *prima* legendum cum Lipsio, aut *maxima* cum Heinsio. Utramque vocem sæpe cum *proxima* confundi, notissimum est. Pro *Batonibus* Rhenanus pessime scribit *Batoni*. Duo enim Batones erant, alter Desitiatum in Dalmatia, alter Breucorum in Pannonia dux, quos ipsi veteres interdum confundunt. Vide Putean. ad h. l. et Jos. Scaligerum ad Euseb. Chron. n. MMXXIII, p. 179.

2. *In omnibus*. Malim *in* delere cum Heinsio.

3. *Animorum erat exercitatio*. *Animorum exercitationem* cultum ingenii dicit locutione Sallustiana, Catil. 2: « Pars ingenium, alii corpus exercebant, » quod etiam expressit Velleius l. I, c. 13: « Aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. » Proprietatem verbi *exercere* melius explicuit Gronov. Observ. II, 3, p. 234, quam Burmann. ad hunc locum.

4. *Quin tantus etiam*. Sic recte edidit Vascosan. Editio prima, *quia tantus etiam*.

5. *Et fortunatum tantorum bellorum experientia*. Exempl. vetustum habet: *et formatum tantorum bellorum*, etc. Forte *firmatum* legendum est. BURER. Edit. pr. *et fortunatum tantorum*, etc. Recte Burer. *firmatum*. Cic. de Finib. III, 8: « Quemquam stabili et firmo et magno animo, quem fortem virum dicimus, effici posse. »

1 CXI. Habiti itaque delectus, revocati undique et omnes [1]veterani; viri feminæque ex censu [2] libertinum coactæ dare [3]militem. Audita in senatu vox principis, « decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romæ venire conspectum. » Senatorum equitumque romano-
2 rum exactæ ad id bellum operæ; [4]pollicitati. Omnia hæc frustra præparassemus, nisi, qui illa regeret, fuisset. Itaque ut præsidium [5]militum, respublica ab Au-
3 gusto ducem in bellum poposcit Tiberium. Habuit in hoc quoque bello [6] mediocritas nostra speciosi ministri locum. Finita equestri militia, designatus quæstor, nec

1. *Revocati undique et omnes veterani*. Editio pr. *revocatus*, quod editor Basil. correxit. Quem tamen non imitor in copula *et* tollenda. Vide ad II, 83. Pro *revocati*, cave, cum Acidalio scribas *evocati*. Tacit. H. lib. II, c. 82 : « Agere delectus, revocare veteranos; » ubi vide cl. Ernestum p. 232 nost. ed. t. III.

2. *Viri feminæque ex censu*, etc. Vid. Sueton. Aug. 25, et ibi Casaub.

3. *Militum*. Alias, *militem*. Rhen.

4. *Exactæ ad id bellum operæ, pollicitati*. Pro *pollicitati* edit. Basil. perperam scripsit *pollicitæ*. Repone : « Exactæ ad id bellum operæ ex pollicitatione. » Ultimas syllabas *one* a sequenti *omnia* haustas esse, manifestius est, quam ut moneri debeat. *Ex pollicitatione* formula frequens, præsertim apud jurisconsultos, de promissione, quam quis reipublicæ fecit. Lapis apud Grut. p. 422, 3 : « C. Julio Augusti C. Heleno ex decreto decur. municipii Aletrinat. et pollicitatione sevir. et municipum et incolar. ob merita ejus; » Paulus, L, 46, §. 1, D : « De administr. et peric. tut. Sempronii, qui ex pollicitatione debitor patriæ suæ exstiterat, bona respublica jussu præsidis possedit. » Qua lege etiam refellitur Burmannus, negans, exactioni locum esse, ubi quis operam pollicitus sit. Plura exempla sunt apud Brissonium de V. S. in *Pollicitatio*. Nec minus ex formula dicitur *operam pollicitari*, ut apud Sallustium, Catil. 40, ubi vide Cortium.

5. *Itaque ut præsidium militum, resp.* etc. Mirifice nobis arridet Lipsii emendatio, qua tantum transponuntur, non mutantur, literæ : « Itaque, ut præsidium ultimum, respub. ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium. » *Præsidium ultimum* est summum, ultra quod nullum aliud reperitur. Juvenalis, Sat. XII, 55 : « discriminis ultima quando Præsidia afferimus. » Ita Liv. IV, 28 : « Necessitate, quæ ultimum ac maximum telum est, superiores estis; » IX, 31 : « Ultimam spem furto insidiarum tentantem; » XXIII, 14 : « Ad ultimum prope desperatæ reipublicæ auxilium, quum honesta utilibus cedunt, descendit; » Curt. VIII, 14, 6 : « Illud ultimum auxilium suorum rati. »

6. *Habuit in hoc quoque bello. Bel-*

dum senator æquatus senatoribus, etiam designatis tri-
bunis [1] plebei, partem exercitus ab urbe, traditi ab Au-
gusto, perduxi [2] ad filium ejus. In quæstura deinde, 4
remissa sorte provinciæ, legatus ejusdem ad eumdem
missus, quas nos primo anno acies hostium [3] vidimus?
quantis prudentia ducis [4] opportunitatibus, furentes
eorum vires universas [5] evasimus [6] partibus? quanto cum
temperamento simul [7] utilitatis res auctoritate impera-
toris agi vidimus? qua prudentia hiberna [8] disposita

in ex glossa natum judico cum Burm.

1. *Etiam designatis tribunis plebei*. Puto legend.: *etiam designatus tribunus plebi*. Et mox *perduxi*: nam de se ipso loquitur. RHENAN. Editor Basil. pro *etiam* scripsit *et jam*.

2. *Perduxi*. Edit. pr. *perduxit*.

3. *Acies host. vidimus?* Elegans Heinsii conjectura: *acies hostium fudimus? Vidimus* et *fudimus* in MSS. sæpe confunduntur, ut apud Senec. Medea 135, et Epist. 13, p. 43.

4. *Quantis prudentia ducis opportunitatibus*. Vidit Heinsii sagacitas, verbum *usi* excidisse: « Quantis prudentia ducis usi opportunitatibus; » nisi malis verba hoc ordine collocare: « Quantis prudentia ducis opportunitatibus usi; » ut syllaba *us* in *opportunitatibus* verbum *usi* absorbuerit.

5. *Furenteis in eum vireis universas*. Exemplar vetustum habet: *furentes eorum vires universas*, etc. BURER. Editio pr. *furenteis in eum vireis universas*. Legendum: « Florentes eorum vires universas exhausimus partibus? » Eleganter *florentes vires*, ut Liv. I, 2: « Ad florentes Etruscorum opes confugiunt; » Just. V, 1: « Florentes Atheniensium opes ruisse. » Sed ipse Velleius hanc lectionem confirmat, II, 110: *et adulta viribus Delmatia*; item Dio Cassius, LV, p. 802: Ὡς οἱ Δαλμάται τὴν ἡλικίαν σφῶν ἀνθοῦσαν εἶδον. *Exhausimus* certæ Gruteri conjecturæ debetur. Valer. Max. III, 4, 4: « Quum apud Cannas culpa sua vires populi romani exhausisset; » III, 7, 10: « Cannensi clade exhaustis romani imperii viribus. » Vossius vulgatum minus considerate defendit ex Suet. Tiber. 20, ubi Tiberius Batoni gratias refert, quod se cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere. Atqui Tiberium decebat hoc periculum commemorare, non Tiberii adulatorem, Velleium, saltem non eo loco, ubi plenis velis in ejus laudes vehitur.

6. *Partibus*. Puto legend. *artibus*. RHEN. Edit. pr. *partibus*, bene. LIPS. *Partibus* exigit præcedens *universas*. BURMAN. Rhenani conjecturam male secutus, Vascosanus edidit: « Vireis universas evasimus? quantis artibus, quanto cum temperamento, etc. »

7. *Quanto cum temperamento simul*, etc. Conjecimus ad Rutil. Lup. I, 13, p. 46: « Quanto cum temperamento simul civilitatis et auctoritatis imperatoris res agi vidimus? » Sed aliud remedium exspectandum.

8. *Qua prudentia hiberna*, etc. Recte Burmann. *qua providentia*, ne

sunt? quanto opere inclusus custodiis [1] exercitus nostri,
ne qua posset erumpere, inopsque copiarum, et intra
se furens, viribus hostis elanguesceret?

1 CXII. Felix eventu, forte conatu, prima æstate belli,
2 Messalini opus mandandum est memoriæ. Qui vir animo
etiam, quam gente, [2] nobilior, dignissimus, qui [3] et
patrem Corvinum habuisset, et cognomen suum Cottæ
fratri [4] relinqueret, præpositus Illyrico, subita rebel-
lione, cum semiplena legione vicesima circumdatus hos-
tili exercitu, amplius xx hostium fudit fugavitque; et
3 ob id ornamentis triumphalibus honoratus [5] est. Ita pla-
cebat barbaris numerus [6] suus, ita fiducia virium, ut,

idem vocabulum tantillo intervallo repetatur. Vide Davisium ad Ciceronem, Acad. I, 8.

1. *Quanto opere inclusus custodiis exercitus*, etc. Nondum me pœnitet conjecturæ, quam ad Rutil. Lup. I, 13, p. 46, proposui: « Quanto opere inclusus custodiis exercitus nostri hostis, ne qua posset erumpere, inopsque copiarum, et intra se furens, viribus haustis, elanguesceret? » *Hostis* interceptum est a vicino *nostri*. *Viribus haustis* pro *exhaustis*, ut sæpe. Porro *intra se* non debebat sollicitari ab Heins. et Burmanno. Flor. III, 21, 1: « Hoc deerat unum populi romani malis, jam ut ipse intra se parricidale bellum domi stringeret; » ubi vide Duker.

2. *Vir animo etiam, quam gente, nobilior*. Ita Liv. IV, 28: « Nobilior vir factis, quam genere; » Velleius, II, 13: « Meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna, usus. » Hanc formam imitatus est Sulpic. Sevar. II, 16: « Judith insignis specie, sed moribus, quam vultu, illustrior. »

3. *Dignissimus, qui*. Bene Heins. *dignissimusque, qui*.

4 *Cognomen suum Cottæ fratri relinqueret*. M. Valerii Messalini frater dictus est Valerius Maximus Cotta, cognomen Cottæ trahens a matre Aurelia ex Cottarum familia, post fratris mortem, Valerius Maximus Cotta Messalinus. De eo diligentius aliis disputat Jo. Massonus, Vita Ovidii, pag. 107.

5. *Ornamentis triumphalibus honoratus est*. Hujus honoris meminit etiam Ovidius, epistola ad Messalinum, quæ est secunda l. II, ex P. vs. 91: « Hanc colit atque ducem, per quem decreta merenti Venit honoratis laurea digna comis. » Sic enim locum vexatum optime emendat Laur. Santenius, cujus ingenio poetæ latini aliquando multum debebunt.

6. *Ita placebat barbaris numerus suus*, etc. Exquisitum loquendi genus, quod, vereor, ut satis ceperit Burmannus. Neque enim sarcasmus in his verbis est, sed hæc simplicissima sententia: Etsi barbari sibi satis magnum exercitum, satis virium

ubicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent. Pars exercitus eorum proposita ipsi [1] duci, et ad arbitrium utilitatemque nostram macerata, perductaque ad exitiabilem famem, neque instantem [2] sustinere, neque ut facientibus copiam [3] pugnandi, dirigentibusque [4] aciem ausa congredi, occupato monte [5] Claudio, munitione se defendit. At ea [6] pars, quæ obviam se effuderat exercitui, 4
quem A. Cæcina et Silvanus Plautius [7] consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris, auxiliaribusque et equitatui regio (quippe magnam [8] Thracum manum junctus prædictis

collegisse videbantur, tamen ubicunque Cæsar esset, etc. Sall. Catil. 2 : » Sua cuique satis placebant ; » Jug. 64 : « Debere illi res suas satis placere ; » Senec. N. Q. I, 5 : « Sunt, quæ quum videris, placere tibi vires tuæ possint ; in tantum lacerti crescunt ; » Lucan. II, 605 : « nisi cum cervice repleta Excussi placuere tori ; » Plinius, H. N. VIII, 33 : « Ubi placuit robur, in aperta prodeunt ; » Tacit. H. IV, 23 : « Inde non loco, neque munimentis labor additus ; vis et arma satis placebant ; » de Morib. Germ. 11 : « Ut turba placuit, considunt armati ; » ubi formulam pulchre illustrat Gronovius.

1. *Proposita ipsi duci.* Lips. bene correxit, *opposita ipsi duci* ; quam lectionem postulat, quod sequitur, *pars, quæ obviam se effuderat.*

2. *Instantem sustinere. Instantes* scribendum esse cum Acidalio et Lipsio, clarum est.

3. *Neque ut facientibus cop. pugnandi.* Edit. Basil. *ut* abjecit, velut natum ex præcedentis vocis ultima syllaba. Scribendum : *neque cum facientibus*, etc.

4. *Etiam.* Alias, *aciem.* RHENAN. Exempl. vetus habet : *dirigentibusque aciem.* Lectio igitur Rhenani reponatur in ordinem suum. BURER.

5. *Occupato monte Claudio.* Recte Fabricius ad Dion. Cass. LV, p. 803, errorem eorum, qui montem Claudium a Dione *Almam* dici statuunt, castigat ; sed ipse errat, Claudium montem non ab hostibus, sed a Romanis occupatum, dicens.

6. *Antea.* Alias, *at ea.* RHENAN. Exemplar vetustum habet : *At ea pars*, etc. Redigatur ergo lectio Rhenani in contextum. BURERIUS.

7. *Silvanus Plautius.* Hic tamen, quasi sua, non militum, virtute vicisset, triumphalibus ornamentis honoratus est. Lapis apud Gruterum, pag. 452, et Fabrettum, pag. 171 : « M. Plautius M. f. A. n. Silvanus cos. VII. vir. epulon. Huic senatus triumphalia ornamenta decrevit ob res in Illyrico bene gestas. »

8. *Equitatui magna*, etc. Puto legendum : *equitatu regio quippe magnam T. manum junctus præ. d. Romanis.* RHENAN. Et hic locus, usque adeo depravatus (meo judicio), sic restituendus erit, suffragante ad hoc nonnihil codice vetusto, in quo

ducibus Rhœmetalces [1] Thraciæ rex in adjutorium [2] ejus belli secum trahebat) pæne exitiabilem omnibus cladem

pro *vinctum*, *junctum* scriptum legitur; deinde quia Velleius, quum *prædictis ducibus* inquit, non *Rhomum* et *Alcem* intelligi vult, de quibos etiam ab imo si voluminis ad caput usque recurras, nil scriptum reperies. Sed quos hic *prædictos duces* appellat, Cæcina et Silvanus fuere. Nunc quid mihi legendum videatur, audi : « Et equitatu regio, quippe magna Thracum manu junctus prædictis ducibus romanis (Cæcinæ videlicet et Silvano) Mœtalces, Thraciæ rex, in adjutorium ejus belli, secum, etc. » BURER. Edit. pr. scriptura hæc est : « Et equitatui regio, quippe magna Thracum manu vinctus prædictis ducibus Rhomo et Alces Thraciæ rex in adjutorium ejus belli, etc. » Rhenanus male scribit, *circumfusa* ..*equitatu*, pro *equitatui*; quam constructionem vindicavimus ad libr. II, cap. 46. At mox bene: *quippe magnam Thracum manum junctus*, etc. »

1. *Rhomo et Alces.* Lege *Rhœmetalces*, cujus in prioribus libris sæpe meminit Tacitus. RHENAN. in addendis. Edit. Basil. scripsit *Rhomotalces.* In libris sæpe scribitur 'Ρυμητάλκης, *Rhumetalces*, ut apud Plutarchum, Apophtheg. p 207, A, et Dion. Cass. LIV, p. 749, sed in nummis et lapidibus semper 'Ροιμητάλκης, quod jure præfert Gronovius, Observ. IV, 15, p. 243. Historiam hujus regis, post Tristanum, Spanhemium, et alios, ex nummis illustravit *Cary*, Hist. reg. Thraciæ, p. 64. Quum notum esset Atheniensibus, quem amicitiæ gradum apud Augustum teneret, ei per adulationem archontis eponymi honorem detulerunt. Marmor apud Sponium, de Pop. Att. p. 196: Οἱ ἐφηβεύσαντες ἐν τῷ ἐπὶ βασιλέως 'Ροιμητάλκα ἄρχοντος ἐνιαυτῷ Quod Ed Corsinus, Fast. Attic t. I, p. 195, rectissime de hoc Rhœmetalce accipit, quamquam minus accurate scribens, t. IV, p. 147, etiam de alio Rhœmetalce, Bospori rege, intelligi posse. Nam Philostratus. de Vit. Sophist. I, 25, p. 535, quem testem laudat, non Rhœmetalcem, sed simpliciter Bospori regem, nullo addito nomine, commemorat; ut multo probabilius sit, quod *Cary*, Hist. reg. Bospori, pag. 69, suspicatur, Eupatorem in Philostrato intelligendum esse. Eidem Rhœmetalci Thraciæ, non alteri, Bospori regi, ut Corsino loco citato placet, Augustus contulit civitatem rom. cum nomine et prænomine suo. Quod Fabrettus, Inscript. pag 439, hoc lapide demonstravit : « Julia Tyndaris, C. Julii regis Rhœmetalces liberta, fecit sibi et suis, etc. » Quem titulum, a Scip. Maffeio, Crit. Lapid. pag. 257, temere in fraudis suspicionem vocatum, nuper non contemnendis rationibus vindicavit F. A. Zacharias, Instit. Lap. I, 3, p. 31.

2. *Adjutorium* Hac voce jam usus est Cic. apud Columell. Præf. l. XII, p. 809: « Ut ex hac eadem societate mortalibus adjutoria senectutis, nec minus propugnacula, præpararentur » Quod si forte dicas, Columellam magis sensum quam verba Ciceronis retulisse, ecce alium ex eadem ætate Asinii Pollionis auctoritatem, apud Sueton. de Gramm. 10 : « In eam rem adjutorium ei fecit maxime quidam Atteius; » ubi viri docti, qui *fuit* pro *fecit* legere malint, re-

intulit. Fusa regiorum equestris [1] acies, fugatæ alæ, con- 5
versæ cohortes sunt; apud signa quoque legionum tre-
pidatum. Sed romani virtus militis [2] plus eo tempore
vindicavit gloriæ, quam ducibus reliquit: qui multum
a more imperatoris sui [3] discrepantes, ante in hostem
inciderunt, quam per exploratores, ubi hostis esset,
cognoscerent. Jam igitur in dubiis rebus semet ipsæ le- 6
giones adhortatæ, jugulatis ab hoste quibusdam tribunis
militum, interempto præfecto castrorum, præfectisque
cohortium, non incruentis centurionibus, quibus [4] etiam
primi ordines cecidere, invasere hostes, nec sustinuisse
contenti, perrupta eorum acie, ex insperato victoriam
vindicaverunt. Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem 7
die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat,
et jam [5] ante biennium, qualis esset, apparere cœperat,
mira pravitate animi atque ingenii in præcipitia conver-
sus, patris atque ejusdem avi sui animum alienavit sibi;

fellnntur inscriptione apud Reioesium Cl. II, n. 82: « C. Manilius Firmus, quod potuit huic monumento adjutorium facere, fecit animo libens. »

1. *Fugata regiorum equestris acies.* Exempl. vetnstum habet: *Fuga regiorum*, ete. Burer. Ex *fuga*, quod vetus codex pro *fugata* habet, Voss. recte feeit *fusa*; idque recepi.

2. *Sed romani virtus militis*, ete. Editor Basileensis minns bene: *Sed romana virtus militis*, etc. Verum vidit Poteanus: « Sed romaoi virtus militis plos eo tempore viodicavit gloriæ, etc. » *Vindicare* sine dativo personæ non semel est apud Velleinm, ut mox hoc ipso capite: *ex insperato victoriam vindicaverunt.*

3. *Qui multum a more imperatoris sui discrepantes.* Edit. pr.: *qui multum amore imperatoris sui crepantes.* Quod uleus, frustra tentatum a viris primsriis, feliciter sanavit taoto mioor Jo. Isae. Pontanns, Anal. I, I, cujus emendationem recepi. Vascosanus edidit: « Qui moltum amore imperatoris sui properantes; » unde forte eonjecturam sumpsit Lipsios.

4. *Qui etiam.* Aliss, *quin etiam.* Rhenanus. Exemplar vetustnm habet: *quibus etiam primi ordines cecidere.* Obliteretur lectio Rhenani. Burer. Vossius præpositionem *e* intelligi vult, quam addere malim eum Bœclero: *e quibus etiam primi ordines*, ete. *Primi ordines* sunt primi ordinis centuriones, ut præter interpretes ad h. l. doeent Gronovius et Dnskenborchius ad Liv. XXX, 4.

5. *Etiam ante biennium.* Editor Basil. *et jam ante b.*; quod recepi.

moxque crescentibus in dies vitiis, dignum furore suo
habuit [1] exitum.

1 CXIII. Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello du-
cem, quantum in pace vides [2] principem. Junctis exer-
citibus, quique sub Cæsare fuerant, quique ad eum
venerant, contractisque in una castra decem legionibus,
LXX amplius cohortibus, XIIII sed pluribus [3] quam de-
cem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum
numero, frequentique equite regio, tanto denique exer-
citu, quantus nullo unquam loco post bella fuerat civi-
lia; omnes eo ipso læti erant, maximamque fiduciam
2 victoriæ in numero reponebant. At imperator optimus
eorum, quæ agebat, judex, et utilia speciosis præfe-
rens [4], quodque semper eum facientem vidi in omnibus
bellis, quæ probanda essent, non quæ utique proba-
rentur sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat,
ad refovendas ex itinere ejus vires, moratus; quum eum
majorem, quam ut temperari posset, neque habilem
gubernaculo [5] cerneret, dimittere statuit: prosecutusque
3 longo et perquam laborioso itinere, cujus difficultas

1. *Dignum furore suo habuit exitum*. Velleii imitator, Sulp. Sev. I, 51: « Ibique a filiis interfectus, dignum se exitum tulit; » ubi Drusii correctionem *exitum* pro *exitium* hic locus confirmat.

2. *In pace vides. Principes*. Ex. vetustum sic habet, et recte quidem, ut mihi videtur, « Accipe nunc, M. Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Junctis exercitibus, etc. » BURER. Editio pr. *quantum in pace vides. Principes junctis exercitibus*, etc.

3. XIIII. *sed pluribus*. Nihil verius Lipsii correctione: XIIII *aliis, et pl.*

4. *Utilia speciosis præferens*. Post, 115, 5: « Semper visum est gloriosum, quod esset tutissimum; » supra, II, 110, 3: « Necessaria gloriosis præposita. » ACIDAL.

5 *Neque habilem gubernaculo cerneret*. Frontin. II, 1, 14: « Quum hostis haberet innumerabilem multitudinem, eoque ipso inhabilem; » Incertus Paneg. Constant. 5: « Nunquam majores quadraginta millium copias duxit, inhabile regenti ratus quicquid excederet. » *Habilis* est, qui facile regi potest. Sic *haberi* pro geri, tractari, apud Tacit. Ann. II, 14, ubi vide Ernestum.

narrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet adgredi, et partem digredientium, suorum [1] quisque metu finium, universi tentare non possent, remisit eo unde venerant; et ipse asperrimæ hiemis initio regressus Sisciam [2], legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hibernis.

CXIV. O rem dictu non eminentem, sed solida vera- 1
que virtute atque utilitate maximam, experientia sua-
vissimam, humanitate singularem! Per omne belli ger-
manici pannonicique tempus, nemo e nobis, gradumve
nostrum aut præcedentibus aut sequentibus, imbecillus
fuit, cujus salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsa-
ris cura, tamquam distractissimus [3] ille tantorum [3] one-
rum mole [4] huic uni negotio vacaret [5] animus. Erat de- 2
siderantibus paratum junctum vehiculum; lectica ejus
publicata, cujus (usum) quum [6] alii, tum ego sensi. Jam
medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importa-

1. *Et partem digredientium suorum*, etc Editor Basileensis hujus loci integritatem duabus vocibus flagitiose truncavit : « Et partem digredientium suorum metu universi tentare non possent. » Clara sunt omnia, si cum Vascosano sic interpungas : « Et partem digredientium, suorum quisque metu finium, universi tentare non possent. »

2. *Sistiam*. Exempl. vetus habet, *Sisciam*. Burer. Editio pr. *Sistiam*. *Sciscia* hæc urbs dicitur in lapidibus apud Murator. p. 849, 7, et 862, 7, ubi ille, nihil de hac urbe antiquam geographiam habere, dicit. At *Sciscia* non est diversa a *Siscia*, cujus frequens mentio apud geographos.

3. *Distraximus*. Alias, *distractissimus*. Rhenan.

4. *Onerum mole*. Malim cum Santenio nostro, *operum mole*. Sic *belli moles*, cap. seq. *Onus* et *opus* alibi etiam apud Velleium confunduntur.

5. *Huic uni vacaret animus*. Ex. vetust. habet : *huic uni genitio*. Puto legend. : *huic uni genti vacaret animus*. Burer. Possis scribere : *huic uni penitus vacaret animus*. Cicero pro Arch. 1 : « Ne nos quidem huic uni studio penitus unquam dediti fuimus » Sed melius est, quod edit. Basil. reposuit : « Huic uni negotio vacaret animus. »

6. *Cujus quum alii*. Hic deesse puto *beneficium*, vel simile quippiam, nisi placet, ut *cuivis* legatur, hoc modo : *lectica ejus publicata cuivis*. Sed prior lectio magis arridet. Rhenan. Lips. optime legit : *cujus usum quum alii*. Vocem *usum* a vicinis absorptam esse, luce clarius est.

tum instrumentum balinei, nullius non succurrit vale-
tudini. Domus tantum ac domestici deerant; cæterum
nihil, quod ab illis aut præstari, aut desiderari posset.
3 Adjiciam illud, quod, quisquis illis temporibus [1] inter-
fuit, ut alia quæ retuli, agnoscet protinus: solus semper
equo vectus [2] est; solus cum iis, quos invitaverat, majore
parte æstivarum expeditionum, cœnavit [3] sedens; non
sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non noce-
batur, ignovit; admonitio frequens inerat et [4] castigatio,
vindicta [5] rarissima: agebatque medium plurima [6] dissi-
4 mulantis, aliqua inhibentis. Hiems emolumentum pa-
trati belli contulit. Sed insequenti [7] æstate omnis Pan-
nonia, reliquiis totius belli in Delmatia manentibus,
pacem petiit. Ferocem illam tot millium juventutem,
paulo ante servitutem minatam Italiæ, conferentem
arma, quibus usa erat apud flumen nomine Bathinum,

1. *Quisquis illis temporibus interfuit*. Hinc locutionem sumpsit Sulp. Sever. Dialog. III, 3: « Cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. » Quem locum indicavit Wopkensius, Misc. Obs. VIII, p. 75.

2. *Equo vectus est*. Non vehiculo, aut lectica. Vide Lipsium ad Plin. Paneg. 14.

3. *Cœnavit sedens*. Hunc morem militarem explicat H. Valesius ad Ammian. Marcell. XXV, 4, p. 459.

4. *Et castigatio, vindicta rarissima*. Vascosan. male edidit: *et castigatio ac vindicta rarissima*. Intelligitur castigatio, quæ verbis fit, non vitibus aut fustibus.

5. *Amarissima*. Alias, *rarissima*. RHENAN. Eadem verba confunduntur apud Statium, Præf. IV, Silv.: « Quum lugeret veris, quod amarissimum est, lacrymis senem patrem; » ubi *rarissimum*, quod Barthius reposuit, minus bene sprevit Markland. Respicitur enim ad filios patrum mortem exspectantes; de quibus alio loco diximus.

6. *Agebatque medium plurima dissimulantis*, etc. Vellei. vulgatiore ratione dicere potuisset: gerebatque se medium inter plurima dissimulantem, et aliqua inhibentem. Sed exquisitior est constructio cum genitivo. Horatius II Carm. 19, 27: *sed idem Pacis eras mediusque belli*; ubi plura exempla collegit Torrentius.

7. *Sed insequenti*. Lipsius bene: *Et insequenti*. Cæterum Dodwellus, Annal. Vellei. §. 23, mihi non persuadet argutiis suis, ut omnia acta a. 760, magna hujus loci lacuna hausta esse credam. Vide Massonum, multos Dodwelli errores castigantem, Novell. Literar. t. XI, p. 365.

prosternentemque se universam genibus imperatoris, Batonemque et Pinetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum [1] deditum, justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero. Autumno [2] victor in hiberna reducitur exercitus, cujus omnibus copiis a Cæsare M. Lepidus præfectus [3] est, vir nomini ac fortunæ eorum [4] proximus: quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere [5] potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum judicat.

CXV. Cæsar ad alteram belli delmatici molem animum atque arma contulit. In qua regione quali [6] adjutore legatoque fratre meo, Magio Celere [7] Velleiano

1. *Captum alterum a se deditum.* *Alterum* deesse videtur. RHENANUS. Editor Basil. omissis verbis *a se*, de Rhenani conjectura dedit: *captum alterum, alterum deditum.* Ac forte in corruptis *a se* nihil, nisi *alterum*, latet. In edit. pr. h. l. scribitur *Pinetem*, supra II, 110, *Pinnetem*, ut apud Dion. Sic Liv. XXII, 33, *Pineum* Illyriorum regem vocat, quem alii *Pinneum.* Pinnes a Batone Breuco Romanis proditus est. Quem Batonem quum alter Bato Desitiates de medio sustulisset, tandem semet ipse Romanis dedidit. Cujus rei notitiam uni debemus Dioni Cass. LV, p. 806; LVI, p. 818. Pinnetem et Batonem supplices sibi videre visus est Albertus Rubenius in gemma Augustea, quam singulari dissertatione enarravit, pag. 218.

2. *Autumno.* Editio pr. *autumni*, quod editor Basileensis correxit

3. *Cæsarem Lepid. præfectus est.* Alias, *a Cæsare.* RHEN. Lectionem Velleianam sic restituendam puto: *Cæsare M. Lepidus præfectus est.* BURER. Pro *Cæsarem*, quod in edit. pr. est, editor Basileensis scripsit *a Cæsaribus*, ob sequens *eorum.* Sed vide Burmannum hunc locum bene explicantem.

4. *Nomini...proximus.* Sic Acidalius correxit. Edit. pr. *nominis.*

5. *Aut intelligere potuit.* II, 116: « Quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus est. » Vim verbi *intelligere* explicuimus ad Rutil. Lup. l. I, c. 4, pag. 16.

6. *In qua regione quali adjutore legato*, etc. Insolentior hæc locutio videtur Burmanno ad Claudianum in Eutrop. II, 247, quod *regio* ad *delmaticum bellum*, pro bellum in Delmatia, refertur. At mihi nullum dubium est, quin Velleius scripserit: *In qua expeditione quali adjutore legatoque*, etc.

7. *Magio Celere ulli flano.* Ego legend. puto: *Magio Celere Uliflano.* BURER. Editio pr. *Magio Celere ulli flano*, pro quo edit. Basil. scripsit: *Magio Celere Velleiano.* Nec quicquam caussæ erat, cur de illa correctione dubitaret Dodwellus, Annal. Vellei. §. 7.

usus sit, ipsius patrisque ejus prædicatione testatum est;
et amplissimorum [1] honorum, quibus triumphans eum
2 Cæsar donavit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus,
educto hibernis exercitu, per gentes integras immunes-
que adhuc [2] clade belli, et eo feroces ac truces, tendens
ad Tiberium imperatorem, et cum difficultate locorum,
et cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsisten-
tium, excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus
3 victoria, prædaque onustus, pervenit ad Cæsarem; et
ob ea, quæ si propriis gessisset [3] auspiciis, triumphare
debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum
4 judicio principum voluntate senatus (donatus) [4] est. Illa
æstas maximi belli consummavit effectus: quippe [5] Pe-

1. *Et amplissimorum honor.*, etc. Cum Lipsio legerim: et *amplissimorum donorum*, etc., non quo *honor* pro dono diei nesciam, sed quod *donis donare* in tali re solennis et perpetua formula est, ut in lapid. apud Gruter. p. 350, 1; Fabrett. p. 127; Murator. p. 799, 6. Eamdem redde Sulpic. Sever. 1, 12: « Ita eos oneratos frumento, multisque donatos, domum remisit; » ubi *donis* ante *donatos* excidisse, clarum est.

2. *Pergentis integras immunesque adhuc*, etc. Exemplar vetustum habet: *pergentis in integras immunesque adhuc*, etc. Nisi quis malit legere: *in integratas immunesque adhuc clade belli*, quum exempl. vetustum habeat, *in integritas*. Burerius. Editio pr. *pergentis integras*. Recte editor Basileensis dedit: *per gentes integras*, etc.

3. *Quæ si propriis gessisset auspiciis*. Quamquam exempl. vetust. sic habeat, tamen non dubito, quin sic (si recte legas) legendum sit: *quasi propriis gessisset auspiciis*. Burer. Burmannus male *quæ* sumit pro *ob quæ*. Ubi enim in illa constrnctione accusativus, quocum *gessisset* jungendum est? Alio modo hanc construendi rationem expedire conatur Wopkens. Misc. Obs. VIII, p. 75, et Misc. Obs. Nov. t. X, p. 18. Sed exempla allata non satis huic loco conveniunt. Lege et interpunge: *et ob quæ, si propriis res gessisset auspiciis, triumphare debuerat*. Quum semel *res* a sequenti syllaba *ges* elisum esset, pronominis *ea* consecuta est interpolatio.

4. *Senatus est. Donatus* deest, aut simile. Rhenanus.

5. *Perusia æde siciales Dalmatæ*. Legendum reor: *perfidia exitialis Dalmatæ*. Rhen. Monstrosam scripturam edit. pr. *Perusia æde siciales* ita refinxit edit. Basileens. *Daorisi et Desitiates Dalmatæ*. Præclare, *Desitiates*; sed pro *Perusia* felicius Vossius *Pirustæ*, vel propius ad corruptæ lectionis vestigia, *Perustæ*, ut Heinsius scripsit. Vide Drakenb. ad Liv. XLV, 26. *Desitiates* alia forma

rustæ et Desitiates [1] Delmatæ, situ locorum ac montium,
ingeniorum ferocia, mira etiam pugnandi scientia, et
præcipue angustiis saltuum pæne inexpugnabiles, non
jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris tum
demum pacati sunt, quum pæne funditus eversi forent.
Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre 5
majus, aut mirari magis potui, quam quod imperatori
nunquam adeo ulla opportuna visa est victoriæ occasio,
quam damno amissi pensaret militis; semperque visum
est gloriosum, quod esset [2] tutissimum, et ante conscientiæ
quam famæ consultum; nec unquam consilia
ducis [3] judicio exercitus, sed exercitus providentia ducis
rectus est.

CXVI. Magna in bello delmatico [4] experimenta vir- 1
tutis in multos ac difficiles locos præmissus Germani-
cus dedit; celebri etiam opera [5] diligentique [6] Vibius 2

Δαισιτιᾶται sunt Strab. vii, p. 483; Δυσιδιᾶται Dioni Cass. lv, p. 802; *Dæsitiates* in lapide apud Sponium, Misc. erud. ant. pag. 179, et Zachariam, Marmor. Salonitan. pag. 20. Apud Plinium, Hist. Natur. lib. iii, cap. 22, fluctuant libri inter *Dæsitiates* et *Desitiates*.

1. *Dalmatæ*. Exemplar vet. *Delmatæ*. Borerius.

2. *Visum est gloriosum, quod esset tutissimum*. Ex Sallustio, Fragment. p. 938: « Uti nihil gloriosum, nisi tutum, et omnia retinendæ dominationis honesta existumet; » ubi Cortium, *tutum* active sumentem, falli, Velleii imitatio docet. V. nos, p. 352.

3. *Nec unquam consilia ducis*. Exvetus habet: *ne cum quod consilia ducis*, etc. Burerius.

4. *Dalmatico*. Exempl. vet. habet, *Delmatico*. Borerius.

5. *Celebri etiam opera*. Alias, *celebris etiam opera*. Burerius. Forte scribendum: *virili etiam opera diligentique*, ut ii, 120: « Nava virilique opera duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate servavit. » Sed quoniam, ut ad lib. ii, cap. 78, monuimus, *celeber* est inter voces Velleio familiares, vulgato acquiescamus.

6. *Julius Posthumius*. Exemplar vetust habet: *Jul. Postumus*. Bur. Mendose editio prima: « Celebri etiam opera diligenti, quibus Julius Posthumius, » pro quo editor Basil. perperam scripsit: « Celebris etiam opera diligenti Q. Jul. Posthumus. » Optime Pigh. Annal. t. iii, p. 538, emendat, *C. Vibius Postumus*; qua correctione recepta, si cætera cum Vossio leviter ita mutes: « Celebri etiam opera diligentique Vibius Pos-

Postumus, vir consularis, præpositus [1] Delmatiæ, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus [2] et Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filii contulit,
3 adulescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi [3] operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit. Utinam non majoribus experimentis testatum esset, quantum iu omni re fortuna posset! sed in hoc quoque genere [4] abunde agnosci vis ejus potest: nam et (etiam) vir antiquissimi [5] moris, et priscam gravitatem semper humanitate [6] temperans, in Germania, Illyricoque, et mox in Africa, splendidissimis functus [7] minis-

tumus, » nihil videtur ad loci integritatem deesse.

1. *Dalm·tiæ*. Exemplar vetns habet, *Delmatiæ*. Burer.

2. *Passienus*. De illo vide Lips. ad Tacit. Annal. xii, 6, Excursu A.

3. *At Posthumi*. Exemplar vetust. habet: *ad Postumio*, etc. Burer.

4. *Sed in hoc quoque genere*. Rectissime edit Basil. sic rescripsit, pro editinnis primæ scriptura: *sed in loco quoque genere*.

5. *Nam et etiam vir antiquissimi moris*, etc. Edit. Basileeos. huc non ferenda audacia *Sejanum* intrusit: « Nam et Sejanus, vir antiqnissimi moris, » cujus mentin quam aliena ab hoc loco sit, viri docti ostenduot. Nec minus a vern abhorrent Lips. et Heinsii conjecturæ. Cujus igitur oomen hic restitueodnm? Lege: « Nam Ælius Lamia, vir antiquissimi moris, etc. » Is Africam obtinuit, et apud Tiberium tam gratiosus fuit, ut magnopere mirandum esset, si Velleius, omnium, qui tum Tiberii gratia florebant, adulator, hujus laudandi occasionem prætermisisset. Tacitus, Annal. l. iv, c. 13: « Ac ni Ælius Lamia et L. Apronius, qui Africam obtinueraot, Gracchnm insontem protexissent, claritudine infausti generis, et paternis adversis foret abstractos; » vi, 27: « Extremo anni, mors Ælii Lamiæ funere censorio celebrata, qui admioistrandæ Syriæ imagine tandem exsolntus, urbi præfuerat (nempe post Pisonem, de quo Vellei. ii, 98). Genus illi decorum; vivida seoectus; et oon permissa provincia dignatiooem addiderat. » Eadem ex Tacitn repetit Dio lviii, p. 891. Mortuus est Lamia a. U. 786, bieonio post Velleium.

6. *Priscam gravitatem semper humanitate temperans*. Mirum, oi ntiosum istud *semper* temere natum sit ex vicino *temperans*.

7. *Functus ministeriis*. Joota, credo, *ministeriis* accipiens pro miois-

teriis, non merito, sed materia adipiscendi [1] triumphalia defectus est. Et A. Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius, 4
quem virum [2], ne qui intellexit quidem, abunde miratus est, ne nihil non optimo civi, simplicissimo duci [3] perisset, præferens [4] immatura, et fructu amplissimæ principis amicitiæ, et consummatione evectæ in altissimum paternumque fastigium imaginis [5] deceptus [6] est. Horum 5
virorum [7] mentioni si quis quæsisse me dicet locum,

tris, edidit : *splendididissimis cinctus ministeriis*. Inepte.

1. *Materia adipiscendi triumphalia*, etc. Livius, XLV, 12 : « Alterius consulis obscura fama, quia materiam res gerendi non habuit ; » Incertus Epithal. Maximian. 4 : *Tibi interim deest materia vincendi*. Vide Gronov. ad Senec. Cons. ad Helv. 6.

2. *Quem virum*. Putem scripsisse : « Quem vivum qui intellexit, ne quidem abunde miraturus est, » ut indicet, ne illos quidem, qui eum viventem cognoverunt, abunde esse miraturos, quum vulgo æqualibus obtrectare soleant homines, sed laudare quos ante suam ætatem florentes non noverunt. Sic supra, c. 92, 2 : « Audita visis laudamus libentius præsentia invidia, præterita veneratione prosequimur. » BURM.

3. *Ne nihil optimo civi.....perisset*. Exemplar vetust. habet : « Ne nihil non optimo civi, simplicissimo duci, perisset, etc. » BURER. Intellige : ut omnia optimo civi perissent. Burm. hunc locum interpretans, aliud agebat. Ed. pr. *ne nihil optimo civi*, etc.

4. *Præferens immatura*. Nihil melius invenio correctione edit. Basil. *præreptus immature*. Aurel. Victor, de Vir. ill. III, 5 : « Ancus Marcius immatura morte præreptus, non potuit præstare, qualem promiserat regem ; » Auson. Profess. 24 : « omnia acerbo Funere præreptus. Glabrio, destituis. » Vide eruditiss. Burmann. secundum ad Anth. Lat. t. II, p. 203.

5. *Evectæ... imaginis*. L. II, c. 27, p. 95 : « Hodieque tanta patris imagine non obscuratur ejus memoria, » quibus locis una superest ratio vocis *imago* defendendæ, si eam accipias, non pro nobilitate ex majoribus, sed pro splendore, decore, amplitudine, quæ ex rebus domi bellique bene gestis nascitur. Certe sic sumenda videtur apud Liv. III, 72 : « Clarum hac fore imagine Scaptium : populum romanum quadruplatoris et interceptoris litis alienæ personam laturum. » *Fulgorem* eadem significatione Velleius alibi dicit, II, 4 : « Vita, quæ nullius ad id temporis, prætërquam avito fulgore, vinceretur ; » 99 : « Ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis. »

6. *Defectus est*. Non tali verborum inopia Velleius laborabat, ut idem verbum tam brevi spatio repeteret. Vide quæ diximus ad I, 9, pag. 20, n. 1. Recte igitur Burmann. legit, *deceptus est*, id est, frustratus, destitutus est fructu, etc. Quam verbi vim viri docti certatim illustrarunt, inprimis Pricæus ad Appulei. Metam. VIII, p. 166, et Burm. ad hunc locum.

7. *Quorum virorum mentioni si*

fatentem arguet : neque enim justus sine mendacio candor apud bonos crimini est[1].

1 CXVII. Tantum quod ultimam imposuerat pannonico ac dalmatico bello Cæsar manum, quum, intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi [2] Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, et sex cohortium; velut in hoc salutem tantummodo [3] indulgente nobis fortuna, ne occu-
2 pato duce, et caussa persona moram exigit. Varus Quintilius, illustri magis, quam nobili ortus [4] familia, vir ingenio mitis, moribus [5] quietus, ut corpore et animo

quis, etc. Opinor legendum, *horum virorum*, quum exempl. vet. habeat *honorum*. Bur. Editio prima, *quorum virorum*, etc.

1. *Crimini est. Tantum quod ultimam*, etc. Editio pr. prava distinctione : « Crimini est, tantum quod. Ultimam imposuerat, etc., » quam editor Basileensis mutavit.

2. *Ex Germania literæ*, *cæsi Vari*, etc. Totus hic locus variis lacunis misera fœdatus est; cujus sensum facilius per historiæ seriem reperias, quam verba e fuga reprehendas.

3. *Velut in hoc salutem tantummodo*, etc. Mutila edit. primæ scriptura hæc est : « Velut in hoc saltem, tantummodo nobis indulgente fortuna, ne occupato ducem, et caussa persona moram exigit. » Primum pro *saltem* cum Schegkio scripsimus *salutem*, mox *occupato duce* cum edit. Basil. Denique Lipsius videtur bene correxisse : « Sed caussa et persona moram exigit. » Sensus haud dubie is est, quem Vossius ex Sueton. Tib. 17, eruit.

4. *Illustri magis*, *quam nobili ortus familia. Nobilis* cum Gesnero Thes. L. L. v. *Illustris*, refer ad vetustatem familiæ. At jure miratur F. Ursinus, de Famil. Roman. p. 237, Quintiliam familiam, cujus origo cum ipsius Romæ primordiis conjungitur, a Velleio magis illustrem, quam nobilem, dici. Cui difficultati succurrimus verbis ita trajiciendis : « Varus Quintilius nobili magis, quam illustri ortus familia. » Sane nullos Quintilios historia memorat, rebus excellenter gestis illustres.

5. *Moribus quietus*. II, 119 : « Vala Numonius, legatus Vari, cætera quietus ac probus. » Velleius imitatur Sallustium, Jug. 20 : « Is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio. » *Quietus* est modestus, qui non vult excellere supra alios, nullam sibi potentiam adsciscit; cui opponitur *inquies*, vel *inquietus*, de quo diximus ad II, 68, p. 177. Plin. VII, Ep. 31 : « Vir alioqui rectus, integer quietus, ac pæne ultra modum verecundus ; » Hegesipp. I, 14 : « Illum versutum et callidum, et ideo suspectum viciuis, hunc mitem et quietum. » Sic *quies* dicitur pro modestia. Tacitus, Ann. XIV, 47 : « Vixit tamen post hæc Regulus, quiete defensus ; » Statius, Silv. V, 1, 75 :

immobilior[1], otio magis castrorum, quam bellicæ ad-
suetus militiæ; pecuniæ vero quam non contemptor,
Syria, cui præfuerat, declaravit; quam pauper divitem
ingressus[2], dives pauperem reliquit. Is quum exercitui, 3
qui erat in Germania, præesset, concepit esse homines,
qui nihil præter vocem membraque[3] haberent homi-
num; quique gladiis domari non poterant, posse jure
mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, 4
velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdic-
tionibus, agendoque pro tribunali[4] ordine, trahebat
æstiva.

CXVIII. At illi, quod nisi expertus vix[5] credat, in 1
summa feritate versutissimi, natumque mendacio ge-
nus, simulantes fictas litium series, et nunc provocan-

« Vidit quippe pii juvenis navamque quietem, Intactamque fidem. » Ita Marklandus pulchre rescripsit, pro *raramque quietem*. Quam correctionem firmare potuisset simili oxymoro Taciti H. III, 50 : « Ad omnia, quæ agenda forent, quieta cum industria aderat. »

1. *Ut corpore et animo immobilior*. Acidalius bene legit : *ut corpore, ita animo immobilior*; l. II, c. 102, §. 2 : « Ut corpus minus habile, ita animum minus utilem reip. habere cœpit. » Burmanno, vocem *immobilior* vexanti, miror, non in mentem venisse : « Ut corpore, ita animo imbellior. » Sallustius, l. c. : « Quietus, imbellis, placido ingenio ; » Livius, XXVI, 2 : « Ut feroces et inquieti inter socios, ignavi et imbelles inter hostes essent. » Sed nihil novare, melius est. *Immobilis* enim recte dicitur tam de corpore, quam de animo torpente. Seneca pater, Contr. I, p. 131 : « Ego senectute immobilis, et vincto simillimus ; » Plin. H. N. VII, 12 : « Velocitas cogitationum, animique celeritas, et ingenii varietas multiformes notas imprimit, quum cæteris animantibus immobiles sint animi ; » Lactant. de Ira, 4 : « Quæ igitur in deo potest esse beatitudo, si semper quietus et immobilis torpet ? » Vide Pricæum ad Appulei. Met. VI, p. 123.

2. *Quam pauper divitem ingressus*. Pari venustate Cicero Verr. II, 4 : « Non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant, quam Verrem ipsum, qui plenus decesserat, provinciam fuisse. »

3. *Qui nihil præter vocem membraque*. Liv. XXIX, 17 : « In hoc legato vestro nec hominis quicquam est, præter figuram et speciem ; » ubi vide Drakenborchium.

4. *Agendoque pro tribunali ordine*. Suspecta mihi est vox *ordine*.

5. *Vix credebat*. Lipsius pro *credebat* scripsit *credat* ; quod recepi.

tes[1] alter alterum[2] injuria, nunc agentes gratias, quod ea romana justitia finiret, feritasque sua novitate[3] incognitæ disciplinæ[4] mitesceret, et solita armis[5] decerni jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quintilium, usque eo, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui
2 præesse crederet. Tum juvenis, genere nobilis, manu fortis, sensu[6] celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes, jure etiam civitatis romanæ jus[7] equestris consequens gradus, segnitia ducis in occasionem sceleris usus est; haud imprudenter speculatus, neminem celerius[8] opprimi, quam qui nihil timeret; et

1. *Procaces*. Alias, *provocantes*. RHENAN. Exempl. vetustum non habet *procaces*, sed *procataes*. Hinc lectionem Rhenani, ut veram, in ordinem redigendam puto. BURER.

2. *Injuria*. Lipsius malebat *injuriis*, quia mox sequitur *eas*. At illa lectio fluxit ab editoris Basil. interpolatione; nam editio prima habet: « Quod ea romana justitia finiret. » Neutrum *ea* recte feminis subjungi, notius est, quam ut moneri debeat.

3. *Feritasque sua novitate*, etc. Vix fero tautologiam, *novitate incognitæ disciplinæ*. Lege: « Feritasque sua suavitate incognitæ disciplinæ mitesceret. » Facile apparet, syllabam *sua* in *suavitate* interceptam esse a præcedenti *sua*.

4. *Mitesceret*. Exemplar vetus habet, *mutesceret*. BURERIUS.

5. *Solita armis discerni*. Pro *discerni* edidi *decerni*, secutus judicium Gronovii, Observ. III, 13, p. 548.

6. *Sensu celer*. Ei opponitur *sensu hebes* apud Plinium, H. N. VII, 16. Neutrius loci meminerat Dorvillius apud Burm. Sec. Anthol. Lat. t. II, pag. 77, locutionem *sensu mirabilis*, velut semibarbaram, damnans. Comparandus locus similis II, 73, p. 186: « Adolescens impetu strenuus, manu promptus, cogitatu celer. »

7. *Romæ jus*. Alias, *romanæ jus*, etc. BURER. Editio prima hunc locum ita scriptum exhibet: « Jure etiam civitatis Rhomæ jus equestris consequens gradus; » ubi licenter more suo grassatus est editor Basil.: « Comes, et jam civitatis romanæ jus equestremque consecutus gradum. » Lenior est medicina Heinsii: « Cum jure etiam civitatis romanæ jus equestris consecutus gradus. » Præpositionem *cum* præcedens *comes* intercepit.

8. *Neminem celerius opprimi*, etc. Liv. XXXVII, 4: « Et eo ipso, quod nihil tale timerent, opprimi incautos posse. »

frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem.
Primo igitur paucos, mox plures in societatem consilii 3
recipit[1]; opprimi posse Romanos, et [2] dicit, et persua-
det; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit.
Id Varo per virum ejus gentis fidelem clarique nominis 4
Segesten indicatur. Obstabant jam fata [3] consiliis, om-
nemque animi ejus aciem [4] præstrinxerant. Quippe ita se
res habet, ut plerumque (qui) fortunam[5] mutaturus
Deus consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum
est, ut quod accidit, id etiam merito accidisse [6] videa-
tur, et casus in culpam [7] transeat. Negat itaque se cre- 5
dere, spemque in se benevolentiæ[8] ex merito æstimare

1. *Mox pluris in societate consili præcepit.* Alias, *mox plureis in societatem consili recepit.* Rhen. Edit. pr.: « Mox pluris in societate consili præcepit. » Cum Rhenano *in societatem*, et cum Vascosano et editore Basileensi *recipit* scripsimus, ut tempora convenirent.

2. *Et dicit.* Melius est quod Heinsius reponit: *et docet*.

3. *Indicatur * postulabat etiam fata consiliis.* Deponatur asteriscus, quum nihil deesse videatur sententiæ Velleianæ. Burer. Edit. Basil. ita refinxit: *Sed prævalebant jam fata consiliis.* Particulam adversativam *sed*, vel aliam excidisse, manifestum est. Pro *postulabat etiam*, Lipsius verissime scripsit *obstabant jam*; quod recepi. Stat. Theb. VII, 423: « sed bellicus ardor Consiliis obstat divûm »

4. *Omnemque animi ejus aciem præstrinxerant.* Hoc dedi ex editoris Basileensis correctione. Editio prima, *præstruxerat*, quod Vascosanus mutavit in *perstrinxerat*. Sed in hac formula *præstringere* legitimum est, *perstringere* non item. De quo discrimine multi ad fastidium usque.

5. *Ut plerumque qui fortunam*, etc. Vitiavit hunc locum edit. Basileens. scribens: « Ut plerumque, qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat. » At sanavit Vascosanus, *qui* ex præcedenti *que* natum tollens. Cujus correctionem Lipsius et Ursinus sibi adsciverunt. Sententiam ipsam illustravimus ad II, 57, pag. 157, not. 4.

6. *Etiam merito accidisse videatur.* Exemplar vetustum habet: *et etiam merito accidisse*, etc. Ego legendum puto, *id etiam*. Burer. Hoc, ut simplicissimum, recepi; nec quicquam amplius ad loci sanitatem requiro. Sallust. Catil. 51: « Illis merito accidit, quicquid evenerit. »

7. *Et casus in culpam.* Exemplar vetustum habet: *et casus in culpa transeat.* Burer. Tacitus, Ann. IV, 64: « Qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes. »

8. *Spemque in se benevolentia.* Forte sic legendum: « Spemque de Germanorum in se benevolentia. » Rhenan. Alias sic legendum videtur: « Negat itaque se credere (ut

profitetur. Nec diutius, post primum indicem, secundo relictus locus.

1 CXIX. Ordinem atrocissimæ calamitatis, qua nulla, post Crassi[1] in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit, justis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere; nunc summa deflenda est.
2 Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu, experientiaque bellorum inter romanos milites[2] princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumventus (quum ne pugnandi quidem [3]egredi̅, aut occasionis, in quantum voluerant, data esset[4] immunis, castigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia romanis

subaudiatur *fortunæ*), spemque in se benevolentia et merito æstimare profitetur; » vel sic: « Spemque se benivolentia ex merito æstimare profitetur. » Burer. Editor Basileensis locum hoc modo tentavit: « Spemque se benevolentiæ ex merito æstimare profitetur. » Recte scripsit *benevolentiæ;* at *in* omnino servandum. Varus negabat, se credere Segeati, conjurationem indicanti, professus, se, prout de Arminio et Germanis bene meruisset, ita etiam de illorum in se benevolentia bene sperare. Hæc sententia tam plana quomodo fallere Burmannum potuerit, vix intelligo.

1. *Qua nulla post Crassi*. Exempl. vetustum aperte habet: *qua nulla post Cassi*. Burer.

2. *Inter romanos milites*. Vox *milites* videtur e glossa fluxisse.

3. *Egregie*. Mihi pro *egregie*, *ægre dies* legendum videtur, quum exemplar vet. habeat, *egredi̅e*. Burer.

4. *Data esset immunis*. Deest hic vel *potestas*, vel simile. Rhenanus. Mihi Velleii lectio sic restituenda videtur, ut pro *inquantum*, *quantum*, pro *immunis*, *inimicis* legas. Sic enim ex vestigiis veteris codicis legendum conjeci. Burer. Hunc locum, sicut in editione prima, vel potius vetere codice, mendis contaminatus legitur, in textu exhibemus, non probantes eorum rationem, qui in talibus locis, quod utcunque intelligi possit, dare contenti, veterem scripturam nihil morantur. Ex quo genere est editor Basileens. hæc, quasi Velleiana, corruptis verbis substituens: « Quum ne pugnandi quidem egregie occasio in quantum voluerant data esset miseris, castigatis, etc. » *Occasio immunis* a Wopkensio, Misc. Obs. VIII, pag. 68, explicatur *libera a periculo;* cujus sententiæ accedit Oudendorpius ad Appulei. Met. IV, p. 243. Ego vero hujus significationis exemplum frustra quæsivi. In *egredi̅e* sine dubio subst antivum latet. Reliqua sic corrigenda: « Aut occasio iis, in quantum voluerant, data esset impune. » Tale quid, inter alia minus probanda, etiam Burmannus, Misc. Observ. VIII, p. 406, conjecit.

et armis et animis usi [1] fuissent), inclusus sylvis, paludibus, insidiis [2] ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum [3] trucidaverat, ut vitam aut mortem ejus, nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum, quam ad pugnandum 3
animi fuit : quippe paterni avitique exempli [4] successor, se ipse transfixit. At e præfectis castrorum duobus quam 4
clarum exemplum [5] L. Eggius, tam turpe Ceionius [6] prodidit : qui, quum longe maximam partem absumpsisset acies, auctor deditionis supplicio, quam prælio mori maluit. At [7] Vala Numonius, legatus Vari, cætera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem [8] relinquens, fuga cum alis [9] Rhenum petere ingressus [10] est. Quod factum ejus fortuna ulta est : non

1. *Quia romanis et armis, et animis usi fuissent.* Suspicor legendum : « Qui a Romanis et armis, et animis visi fuissent, » ut hic verbum aliquod deesse videatur. Burer. Pro en Sallustius. Jug. 58. dicit : *Memores nominis romani. Arma* et *animos* eleganter conjungi, docet Obrechtus ad Septim. de B. Tr. II, 39.

2. *Inclusus sylvis, paludibus, insidiis*, etc. Sic scripsimus de editoris Basileensis judicio. Edit. pr *inclusus sylvis, paludis insidiis*, etc.

3. *More pecudum trucidaverat.* Sallustius, Catil. 58 : « Neu capti, sicuti pecora, trucidemini ; » ubi vide Cortium, et nostr. Burn. p. 106.

4. *Paterni avitique exempli.* Ex. vet. habet : *paterni avique exempli.* Burerius.

5. *L. Eggius.* Editor Basil. scripsit *L. Egilius.* Nempe ejus ætate gens Eggia nondum nota erat ex inscriptionibus.

6. *Ceionius.* Sic edimus de editoris Basileens. correctione. Edit. prima, *C. Ejunius.*

7. *Valnumonius.* Alias, *Val. Num.* Rhenan. Forte legendum *Valumnius.* Tale enim mihi quiddam quasi per transennam legendum videbatur. Burer. Editor Basil. scripturam editionis primæ *Valnumonius* perperam mutavit in *Volumnius* ; verissime Ursinus in *Vala Numonius.*

8. *Spoliatum equite peditem.* Dedi lectionem, editoris Basil. ingenio debitam. Editio pr. : « Spoliatum equitem, peditem relinquens. » Hoc audacius dictum videtur Burmanno ad Lucan. II, 714.

9. *Fuga cum aliis*, etc. Exemplar vet. *fugatum aliis Rhenum.* Hinc sic legend. puto : « Spoliatum equitem, peditem relinquens fugatum, etc. » Burerius.

10. *Aliis Rhenum petere ingressus est*, etc. Mihi pro *aliis*, *ab eis* sive *ab iis* legendum videtur, ut subaudias *equitibus* et *peditibus*. Forte *peo*-

5 enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostium laceraverat [1] feritas; caput ejus abscisum, latumque ad Maroboduum, et ab eo missum ad Cæsarem, gentilitii tamen tumuli [2] sepultura honoratum est.

1 CXX. His auditis, revolat ad patrem Cæsar; perpetuus patronus romani imperii adsuetam sibi caussam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit; se magnitudine [3] sua, non fiducia metiens, qui cimbricam teutonicamque militiam Italiæ [4] minabatur; ultro Rhenum [5] cum exer-
2 citu transgreditur. Arma interfecti, quæ arcuisse [6] pater

tore pro *petere* legendum est. Burer. Editor Basileensis hunc locum unius literæ detractione sanavit, pro *aliis*, quod in editione prima est, *alii* scribens. Eum secuti sumus. *Ingredi* pro *aggredi* Velleius dixit exemplo Sallustii, Jug 42, et aliorum.

1. *Hostium laceraverat feritas*. Opinor legi debere: *Hostilis laceraverat feritas*; quum exempl. vetust. tantum habeat *hosti*. Burer.

2. *Gentilitii tamen tumuli*. Editor Basileensis scripsit: *Gentilitii tandem tumuli*, etc. quod præferam vulgato. Erasmum secuti, Stephanus, Aldus et alii *tandem* receperunt.

3. *Præsidia munit, se magnitudine sua*. etc. Quamquam ex veteri codice nihil certi conjici queat, legendum videtur: « Præsidia munit, et se magnitudine sua, non fiducia metiens. » Burer. Copulam *et*, a Burerio in vet. cod. repertam, Rhenan. recte exclusit; est enim nata ex ultima syllaba verbi *munit*. At idem, si *hostium* in veteri cod. deest, ut Burerius testatur, minus bene nomen plurale *hostium* post *fiducia* supplevit, quum *minabatur*, quod vetus codex habet, singulare requirat. Repone: « Se magnitudine sua, non fiducia ducis metiens. » Vox *ducis* extrusa est similitudine vicinæ *fiducia*; quo vitii genere nullum in Velleio crebrius. *Dux* est Arminius.

4. *Minabantur*. Exemplar vetus habet, *minabatur*. Burer.

5. *Ultra Rhenum*. Freinshem. Ind. Flor. v. *Ultro*, legit, *ultro Rhenum*, quod recepi.

6. *Arma interfecti, quæ arguisse*. Hæc ita mutavit editor Basileensis: « Arminio territo, quem arguisse; » in quibus nihil est, quod probare possis. Lipsius conjecit: « Arma infert, quæ arcuisse. » Qua conjectura tametsi verba prope omnia restituit, tamen totam sententiam depravavit. Quid enim? An pater et patria contenti erant arcere arma, quæ Tiberius Germanis inferebat? Legendum arbitror: « Arma infert genti, quam arcuisse pater et patria contenti erant. » *Arcuisse* pro *arguisse* recepi. Quæ verba quoties confusa sint, ostendit Drakenb. ad Liv. vi, 25.

et patria contenti erant, penetrat interius, aperit [1] limi-
tes, vastat agros, urit domos, fundit [2] obvios; maxima-
que cum gloria, incolumi omnium, quos transduxerat,
numero, in hiberna revertitur. Reddatur verum L. As- 3
prenati testimonium; qui legatus sub avunculo suo Varo
militans, nava virilique opera duarum legionum, quibus
præerat, exercitum immunem tanta calamitate servavit;
matureque ad inferiora hiberna descendendo, vacillan-
tium etiam cis Rhenum [3] sitarum gentium animos con-
firmavit. Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita
jugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia,
hereditatemque excisi exercitus, in quantum [4] voluerit,
ab eo aditam. Lucii etiam [5] Cædicii, præfecti castrorum, 4
eorumque, qui una circumdati Alisone [6] immensis Ger-
manorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est; qui
omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum in-
tolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec
temerario consilio, nec segni providentia [7] usi, specula-
tique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere redi-
tum. Ex quo apparet, Varum, sane gravem et bonæ 5

1. *Aperit limites*. Vide Gronov. ad Tacit. Annal. I, 50.

2. *Fundit obvios*. Exempl. vetustum habet : *fundit obulos*. Burer.

3. *Cis Rhenum*. Editio prima, *cis Rheno*, quod editor Basil. correxit.

4. *In quantum voluerit*. Hoc est, ex arbitrio, ex libidine, ut recte explicat Burmannus. Sic etiam loquitur II, 119, ubi non intellexit Rupertus. Seneca pater, Præf. III Contr. p. 221 : « Sufficiebat illi, in quantum voluerat, explicandi via. »

5. *Lucii etiam Cædicii*. Hujus etiam mentionem facit Frontinus, IV, 7, 8, ex certa emendatione Oudendorpii : « Cæditius primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit, veritus, ne barbari, etc. »

6. *A Lisone*. Alias, *Alisone*. Est loci nomen : nam exstat hodieque oppidulum *Altzheim* prope Vangionas. Meminit ejus et Tacitus. Rhenan. Edit pr. *a Lisone*. Vide interpretes ad Tacit. Annal. II, 7, t. I, p. 169 nostræ editionis. Ed.

7. *Nec segni providentia usi*, etc. Exempl. vetustum habet : *Nec segni providentia uiti*, etc. Mihi, quantum ex literis conjicio, *adjuti* legendum videtur. Burer.

voluntatis virum, magis imperatoris defectum consilio,
quam virtute destitutum militum, se magnificentissi-
6 mumque perdidisse exercitum. Quum in captivos sævi-
retur a Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus
Cælius, ad vetustatem familiæ suæ [1] dignissimus; qui
complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita
illas illisit capiti suo, ut protinus pariter sanguinis ce-
rebrique influvio [2] exspiraret.
1 CXXI. Eadem et virtus et fortuna subsequenti tem-
pore ingressa animum imperatoris [3] Tiberii fuit, quæ ini-
tio fuerat; qui, concussis hostium [4] viribus, classicis pe-

1. *Caldus Cælius ad vetustatem familiæ suæ dignissimus.* Edit. Basil. *ad* abjecto, rescripsit: « Caldus Cælius, vetustate familiæ suæ dignissimus. » Vulgatum quam inepte defendat Wopkensius Lect. Tull. II, 3, nihil attinet commemorare. Forte legendum: « Caldus Cælius, adolescens vetustate familiæ suæ dignissimus. » Quæ tamen conjectura nullum locum habet, si inscriptio cenotaphii, Bergendalæ prope Cliviam servata, ad hunc Cælium referenda est. Eum titulum, a multis vitiose proditum, nuper accurate descriptum dedit jurisconsultorum literatissimus, Hermannus Cannegieterus, Observat. Jur. Roman. III, 5: « M. Cælio T. f. Lem. Bono, c. leg. XIIX, ann. LIII. Cecidit bello Variano. Ossa inferre licebit. P. Cælius T. f. Lem. frater fecit. » Quam integerrimam scripturam si Maffeius, Crit. Lapid. III, 4, p. 445, cognovisset, ipse sententiam, qua hunc titulum temere inter spurios retulit, statim revocasset; sed quoniam Caldi cognomen ibi non comparet, potius Cælius aliquis ex alia minus nobili Cæliorum familia intelligendus videtur. Ne dicam, vix consentaneum videri, virum vetusta Caldorum familia ortum, ætatis anno LIII, non tribunum aut legatum, sed centurionem fuisse.

2. *Influvio.* Editor Basileens. legit *profluvio.* Melius Lipsius, *effluvio.* II, 7: « Protinusque illiso capite in postem lapideum januæ carceris, effusoque cerebro, exspiravit. »

3. *Ingressa animum imperatoris.* Exempl. vet. habet: *Ingressa animam imperatoris*, etc. BURER. Rhenanus bene *animum* edidit. Tacitus, Agricol. 5, eadem loquendi forma: « Intravitque animum militaris gloriæ cupido. » *Virtus et fortuna* velut ex formula junguntur, ut II, 97: sed paulo durius dicitur *fortuna ingressa animum.*

4. *Concussis hostium viribus.* Vereor, ne verbum *concutere* pro re nimis lene sit. Mihi certe efficacius videtur: *contusis hostium viribus.* Sallust. Jug. 43: « Avaritia magistratuum ante id tempus in Numidia nostræ opes contusæ, hostiumque auctæ erant; » ubi vide Cortium.

ditumque expeditionibus, quum res Galliarum maximæ
molis, accensasque plebis[1] Viennensium dissensiones,
coercitione magis quam pœna [2] mollisset; et senatus po-
pulusque rom.[3], postulante patre ejus, ut æquum ei jus
in omnibus provinciis exercitibusque esset (quam erat 2
ipsi), decreto complexus esset (etenim absurdum erat;
non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; et qui ad
opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem
non judicari parem): in urbem reversus, jam pridem
debitum, sed continuatione bellorum dilatum, ex Panno-
niis Delmatisque egit triumphum. Cujus magnificentiam 3
quis miretur in Cæsare? Fortunæ vero quis non miretur

Valer. Maxim. III, 2, 11: « Quo prælio Hannibal magis vires Romanorum contudit, quam animos fregit. » Idem, IV, 2, 2: « Terribiles punicas vires contuderunt. » Sed rem conficit ipse Velleius, l. II, c. 122: « Fractis continua triennii militis Germaniæ viribus; » et mox: « Post cladem sub Varo acceptam.... eadem excisa Germania. » *Contusus* et *concussus* sæpe a librariis permutari, ostendit Ern. ad Tacit. Ann. XII, 31.

1. *Accensasque plebis.* Exemplar vetustum habet: « Accensaque plebis Viennen. etc. » BURER.

2. *Coercitione magis quam pœna mollisset.* Sallustius, Jug. 45: » Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit; » ubi vide Cortium. Ed. pr. *coertione*, ut l. II, c. 47, §. 3, p. 140. Non est tanti.

3. *Senatus populusque rom.*, etc. Sic legendum puto: » Et senatus populusque romanus (postulante patre ejus) ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quam erat ipsi, decreto complexus esset. » RHENAN. Non dubium est, quin Velleius hoc loco sic sit restituendus: » Senatus populusque romanus, postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset, quas (*ut subaudiatur* provincias exercitusque) erat ipse decreto complexus. Esset etenim absurdum, eas (*subaudi* provincias) non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur, etc. » BURERIUS. Facilem et veram Rhenani emendationem cum edit. Basil. recepi, ac glossam, *quam erat ipsi*, de Aldi nepotis monito uncis inclusi. Editionis prim. scriptura hæc est: « Pœna mollisset, senatus populusque rom. postulante patre ejus, ut equum ejus in omnibus provinciis exercitibusque esset quam erat ipse decreto complexus esset; etenim absurdum, etc.» Pejus Burerio Vascosanus hunc locum corrupit: » Senatum populumque romanum, postulante patre ejus ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset quas erat ipse decreto complexus; esse etenim absurdum, etc. »

indulgentiam? Quippe omnes eminentissimos hostium
duces non occisos fama narravit, sed vinctos triumphus
ostendit. Quem mihi, fratrique [1] meo, inter præcipuos
præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.
1 CXXII. Quis non inter reliqua, quibus singularis
moderatio Tib. Cæsaris elucet atque eminet, hoc quo-
que miretur, quod, quum sine ulla dubitatione septem
2 triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim
dubitare potest, quin ex Armenia recepta, et ex rege ei
præposito [2], cujus capiti insigne regium sua manu im-
posuerat, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumphare
debuerit? et, Vindelicorum Rhætorumque victor, curru
3 urbem ingredi? Fractis deinde post adoptionem continua
triennii militia Germaniæ viribus, idem illi honor et
deferendus, et recipiendus fuerit? et post cladem sub
Varo acceptam, ocius [3] prosperrimo rerum eventu ea-
dem excisa Germania, triumphum summi ducis ador-
4 nare [4] debuerit? Sed in hoc viro nescias, utrum magis
mireris, quod laborum periculorumque semper excessit
modum, an quod honorum temperavit.
1 CXXIII. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum
metus; quippe Cæsar Augustus, quum Germanicum
nepotem suum, reliqua belli patraturum misisset in
Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in
Illyricum, ad firmanda [5] pace, quæ bello subegerat,

1. *Quem mihi fratrique meo.* Pro *militi* videtur legendum *mihi*. BUR. Editio prima: *Quem militi fratrique meo*. Jam correxerat Rhenanus in Vita Velleii.

2. *Ex rege propositi. Ex rege ei præposito.* Loquitur autem de Tigrane. RHENAN. Exemplar vetustum habet, *præpositi*, etc. BURER. Edit. pr.: *Ex rege propositi*. Secutus sum Rhenani correctionem.

3. *Ocius.* Exemplar vetustum habet, *totius*. BURER. Recepi, quod Rhenanus restituit, *ocius*.

4. *Adornare debuerit.* Exemplar vetustum habet: *Adornari debuerit*, etc. BURER.

5. *Ad formanda pace.* Mihi legi

prosequens eum, simulque interfuturus athletarum certaminis [1] ludicro, quod ejus honori sacratum a Neapolitanis est, processit in Campaniam. Quanquam jam 2
motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat; tamen, obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit; et ingravescente in dies valetudine, quum sciret, quis, volenti omnia post se salva remanere, arcessendus foret, festinanter revocavit filium: ille ad patrem patriæ exspectato revolavit maturius. Tum securum se Augus- 3
tus prædicans; circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, nec quicquam jam de [2] fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox quum omnem curam fata vincerent, in sua [3] resolu-

debere videtur: « Ad firmanda pace, quæ bello subegerat; » tametsi exemplar vetustum *formanda* habeat. Burerius. Quid aliud, nisi vim judicandi, viris doctis defuisse dicam, qui dubitare potuerint, *formanda*, an *firmanda*, legendum esset? Bello subacta firmantur pace, non formantur. Vellei. I, 8, p. 18: « Quum aliter firmare urbem novam cum imbelli et pastorali manu vix potuerit; » ubi rursus in hoc verbo hærebat Burman. Livius, I, 15: « Non condendæ urbis consilium, non bello ac pace firmandæ. » Itaque *firmanda* de Burerii correctione pro *formanda*, quod editio prima habet, recepi.

1. *Certaminis ludicro*. Bene, præter alios, Oudendorpius ad Sueton. Aug. 98, corrigit: *certamini ludicro*.

2. *De fine*. Non habeo vetustiorem Velleio auctorem, qui *finem* pro fine vitæ sive morte dixerit. Ex eadem ætate Valer. Maxim. III, 3, 4: « Forti fine illustrem professionis actum comprobavit. » Sic *finitio* in lapide apud Gruterum, p. 810, 10: « Si permanserit usque in diem finitionis suæ. » At *finiri* pro mori est apud antiquiores Velleio. Cicero, oraculum græcum vertens, Tusc. Disp. I, 48: « Sic fuit utilius finiri ipsique, tibique; » Trogus, XXVII, 3: « Seleucus quoque, amisso regno, equo præcipitatus, finitur; » ubi multa exempla habent interpretes. Adde Dukerum ad Flor. II, 15, 1: et Henr. Cannegieterum ad Trebell. Pollion. XXX, Tyr. cap. 8.

3. *In sua resolutus initia*. Hæc loquendi ratio a philosophis fluxit, inprimis Pythagoricis Platonicisque, quorum sententiam his verbis tradit Plutarchus, de Placit. Philos. IV, 7, Ἐξιοῦσαν εἰς τὸ τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμογενές· « Animam corpore solutam ad animam mundi cognatam, unde decerpta est, tam-

tus initia, Pompeio Apuleioque coss.[1], septuagesimo sexto anno, animam cælestem cælo reddidit.

1 CXXIV. Quid tunc homines timuerint, quæ senatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quam arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat, neque cui vacat, potest; id solum voce publica dixisse [2] habeo: cujus orbis ruinam [3] timueramus, eum ne commotum quidem sensimus; tantaque unius viri majestas fuit, ut nec bo-
2 nis, neque contra malos opus armis foret. Una tamen veluti luctatio civitatis [4] fuit, pugnantis cum Cæsare senatus populique romani, ut stationi paternæ succede-

quam ad fontem suum, redire; » unde intelligenda vox morientis Plotini apud Porphyr. in ejus Vita, p. 94, Πειρῶμαι τὸν ἐν ὑμῖν θεὸν ἀνάγειν πρὸς τὸ ἐν τῷ παντὶ θεῖον. Dici non potest, quoties quot modis hanc opinionem expresserint utriusque linguæ scriptores, præsertim poetæ. Virgilius, Georg. IV, 223, seqq.: « Hinc (a deo) pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum, Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas. Scilicet huc reddi deinde ac resoluta referri Omnia; » Seneca pater, Suasor. p. 37: « Animus divina origine haustus, cui nec senectus ulla, nec mors, onerosi corporis vinculis exsolutus, ad sedes suas et cognata sidera recurrit. » Quod hic breviter dixit, id Quintilian. Decl. X, 17, per longas verborum ambages traxit. Seneca filius, Ep. 79, p. 317: « Quum animus redditus cælo suo fuerit, quum receperit locum, quem occupavit sorte nascendi; sursum vocant illum initia sua. » Alia non vulgaria, quæ huc pertineant, dedit Walckenarius noster, Diatrib. Euripid. VI, p. 54.

1. *Pompeio Apuleioque cos.* Pro *cos.* scribatur *coss.* *ss* duplici: nam sic solet scribi *consules*, *consul* vero unico *s*. In codice vetere sic scriptum est, *cos*. Potest autem scribi *s* accurtato vel erecto utcunque libebit, nec me fugit quomodo in veterum codicibus plerisque scribatur, in quibus *consul* sic *cōs.*, *consules* vero sic *cons.* scriptum reperio. Burer.

2. *Voce publica dixisse habeo.* Hanc loquendi formam illustravit Gronovius ad Senec. Contr. I, p. 89. Hic tamen legere malim: « Id solum voce publica dixisse satis habeo. » Sic lib. II, cap. 103: « Contenti simus id unum dixisse. »

3. *Cujus orbis ruinam.* Mihi videtur legendum: *cujus urbis ruinam*: item, *eam ne commotam quidem sensimus*. Burerius.

4. *Una tamen veluti luctatio civitatis*, etc. Lege et interpunge: « Una tamen veluti luctatio civilis fuit pugnantis cum Cæsare senatus populique R. etc. » *Civilis luctatio* dicitur, ut *bellum civile*, quod inter cives geritur.

ret; illius, ut potius æqualem civem, quam eminentem liceret agere principem; tandem magis [1] ratione, quam honore victus est, quum, quicquid tuendum non suscepisset, periturum videret: solique huic contigit, pæne diutius recusare [2] principatum, quam, ut occuparent
eum, alii armis pugnaverant. Post redditum cælo pa- 3
trem, et corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum [3], primum principalium ejus operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam D. Au-
gustus reliquerat. Quo tempore mihi fratrique meo, 4
candidatis [4] Cæsaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius.

CXXV. Tulit protinus ut voti, ita consilii sui pre- 1
tium [5] resp.; neque diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus. Quippe exercitus, qui in Germania militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur, simulque legiones, quæ in Illyrico erant, rabie quadam et profunda confundendi omnia [6] cupiditate, novum ducem, novum
statum, novam quærebant remp. Quin etiam ausi sunt 2

1. *Tandem ratione magis*, etc. Exemplar vetustum habet: *tandem magis rõne*, etc. BURER.

2. *Pæne diutius recusare principatum*, etc. Hanc oratoriam figuram forte expressit ex illa Ciceronis pro Lege Manil. 10: « Qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit? plura bella gessit, quam cæteri legerunt? plures provincias confecit, quam alii concupiverunt? »

3. *Honoribus...honoratum.* Sallustius, Catil. 35: « Quod non dignos homines honore honestatos videbam; » ubi vide interpretes. Mamertin. Paneg. Julian. 35: « Omnes a te honoribus honestantur. »

4. *Candidatis.* Sic edit. Basileens. correxit. Editio prima, *candidatos.*

5. *Ut voti, ita consilii sui pretium.* Editio pr. *ut voti et consilii sui*, etc. Editor Basileensis scripsit, *et voti et consilii;* Burmannus, *ut voti, ita consilii;* quod recepi.

6. *Profunda......cupiditate.* Ex Sallustio, Fragm. p. 407: « Cupido profunda imperii et divitiarum. »

minari, daturos senatui, daturos principi leges; modum stipendii, finem militiæ sibi ipsi constituere conati [1]sunt: processum etiam in arma, ferrumque strictum est, et pæne in ultimum[2] gladiorum erupit impunitas; defuitque, qui contra remp. [3]duceret; non qui sequerentur.
3 Sed hæc omnia veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam præcipue noxiorum[4] ultionem, mitis aliorum castiga-
4 tio, brevi sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore, ut pleraque ignave [5]Germanicus, ita [6]Drusus, qui a patre

1. *Conati sunt.* Gruterus *sunt* tollit, me non invito; tamen servavi. En.

2. *Pæne in ultimum*, etc. Exempl. vetust. habet : *pæne in ultimam*, etc. Burerius.

3. *Defuitque qui contra remp. duceret.* Imitatur Sallustium, Fragm. pag. 362 : « Quin, præter idoneum ducem, nihil abest ad subvertundum imperium. »

4. *Inter severam præcipue noxiorum*, etc. Huno locum ita restituit Gronovius, Observ. II, 23 : « Inter severam præcipue noxiorum ultionem, miti aliorum castigatione, brevi sopiit ac sustulit. » Nihil hac emendatione verius. Certe *noxiorum* in textum admisi. Edit. prima : « Inter severam præcipue nostrorum ultionem, mitis aliorum castigatio, etc. »

5. *Ut pleraque ignave Germanicus.* Sit Velleius Tiberii adulator : nihil impedio. At certe sapit, ac sibi constat sive in vituperanda, sive in adulanda. Videamus igitur, quale judicium aliis locis de Germanico fecerit. II, 116 : « Magna in bello delmatico experimenta virtutis in multos ac difficiles locos præmissus Germanicus dedit; » II, 129 : « Quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiæ secum actæ, domitorem recepit Germaniæ? quibus juventam ejus exaggeravit honoribus, respondente cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini? » et paulo post : « Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit provincias? » II, 130 : « Quid Tiberius meruit, ut juvenes amitteret filios? » id est, Germanicum et Drusum. Quid, quæso, ad Germanici laudem diei potuit magnificentius? Profecto stulti levisque hominis fuisset, tale virtutis præconium cum fœda exprobratione ignaviæ conjungere. Lege igitur : *ut pleraque egit nave Germanicus*. Plautus apud Festum v : « Navus : Nave agere oportet, quod agas. » Aliæ rationes huic lectioni firmandæ a Bœclero ad h. l. afferuntur. Vulgata etiam suspecta fuit Dodwello, Annal. Velleii, §. 19; sed in fraudem induxit magnos viros, Casaubon. ad Suet. Caligula, I, et Gron. ad Tacit. Agricol. 27.

6. *Drusus.* Ex editoris Basileensis correctione. Editio prima, *Brutus*. *Drusus* pro *Brutus*, etiam Gronovius ad Senec. Cons. ad Marc. 3, restituit auctori Elegiæ de Morte Mæcenatis, vs. 4.

in id ipsum, plurimo quidem igne emicans [1] incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus, ancipitia sibi tam re, quam exemplo [2] perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit; singulari adjutore in eo negotio usus Junio Blæso, viro nescias utiliore [3] in castris, an meliore in toga, qui, post paucos annos proconsul in Africa, ornamenta triumphalia cum appellatione imperatoria [4] meruit, ad Hispanias [5] exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia, [6] prædiximus, quum

1. *Plurimo quidem igne emicans incendium*, etc. Poeta, quam historico, dignior sermo. *Incendium tumultus* dicitur, ut *incendium belli* apud alios. Marmor apud Gruterum, pag. 1087, 5: « Abolendo incendio tumultus civilis. »

2. *Tam re, quam exemplo*. Exemplar vetustum habet: *timere, quam exemplo*, etc. BURER. Bene Rhenan. pro *timere* de conjectura *tam re* edidit. Velleius, II, 47, §. 4, pag. 140: *Exemplo inutili, facto salutari reip.* Tutum locum, varie tentatum ab aliis, sic refinxit Gronovius, Observ. II, 23: « Prisca antiquaque severitate, ausos ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa, his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit. » Sed verba *ancipitia sibi*, etiamsi cum Gronovio ad milites referantur, non nisi durum et contortum sensum habent. Equidem mihi reperisse videor, quomodo locus non magna mutatione integerrimus fiat. Lege: « Prisca antiquaque severitate usus, amputavit tam re, quam exemplo perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit. » *Amputavit* est *sustulit*, ut paulo ante in hac ipsa re loquitur. Cicero, de Fin. I, 13: « Amputata circumcisaque inanitate omni et errore. » *Resecare* alii dicunt.

3. *Viro nescias utiliore*, etc. Eamdem rem ita expressit, II, 97: « Cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. »

4. *Cum appellatione imperatoria.* Vide Tacitum, Annal. l. III, c. 74, et ibi Lipsium.

5. *Ac Hispanias*. Exempl. vetus habet: *ad Hispanias*. BURER. Lege, *atque Hispanias*, et cum præcedentibus conjunge. *Ac*, quod editio pr. habet, nunquam ante vocalem poni, jam supra monuimus.

6. *Prædiximus. Ceu prædiximus*, vel per parenthesis modum (*prædiximus*). Arridet tamen mihi magis, ut *præditum* legatur, hoc modo: « Ac Hispanias exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia præditum, quum imperio obtineret, in summa pace ac quiete tenuit. » Nam innuit Velleius Junium Blæsum eas copias, quibus in Illyrico feliciter præfuerat, paulo post in Africam traduxisse, priori militia quam in Illyrico fecerant nobiles ac

imperio obtineret, in summa pace, quiete continuit; quum ei pietas rectissima sentiendi, et auctoritas quæ sentiebat obtinendi superesset: cujus curam ac fidem Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in maritima parte Illyrici [1] per omnia imitatus est.

1 CXXVI. Horum XVI annorum opera quis, quum inserta [2] oculis animisque omnium, in partibus eloquatur? Sacravit parentem suum Cæsar non imperio, sed reli-
2 gione: non appellavit [3] eum, sed fecit deum. Revocata in forum fides, summota e foro [4] seditio, ambitio campo, discordia curia: sepultæque [5] ac situ obsitæ justitia,

insignes. Proinde Dolabellam hujus curam ac fidem imitatum scribit nimirum ut jam absentis. Rhenanus. Non dubito, quin vera et germana Velleii lectio sic sonuerit olim: « Celeberrimamque in Illyrico militiam, ut prædiximus (prædixit autem paulo superius), quum imperio obtineret. » Nec video, cur hic legi debeat *præditum*, quum, si sic legas, Velleii sententia bene quadret. Burer. Locus durus et insuavis, cui plura, quam *ut* ante *prædiximus*, deesse videntur. Forte scribendum: « Atque Hispanias exercitumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia, ut prædiximus, cum imperio obtinens, in summa pace ac quiete continuit. »

1. *In maritima parte Illyrici.* Hunc Velleii locum si Cellarius, Geograph. antiq. t. 1, p. 486, contulisset cum lapide apud Gruterum, pag. 396, 1, quem « civitates superioris provinciæ Illyrici » Dolabellæ bonori dedicarunt, superiorem provinciam Illyrici non aliam, nisi maritimam, esse intellexisset. In edit. Aldi nepotis, per operarum errorem, legitur: *In maxima parte Illyrici;* quod minus considerate, tamquam Velleii manum, arripuit Burmannus.

2. *Quum inserta sint.* Exemplar vetust. habet: *cum insera oculis*, etc. Ego, *quum inserta oculis animisque omnium*, legerem. Burer. Legendum: « Quum universa sint in oculis animisque omnium, partibus eloquatur? » De voce *universa* restituenda etiam Heinsio in mentem venit. *Partibus* pro *in partibus* occupavit Vossius. Editio prima: *quum inserta sint oculis*, etc. In Aldina pro *inserta* legitur *incerta*, operarum, ut puto, negligentia.

3. *Appellavit eum.* Suspicor legendum: « Non appellavit deum, sed fecit deum. » Burer. *Eum*, quod ex sequenti *deum* natum videur, recte expunxit Gruterus.

4. *Summota e foro seditio.* « Submotæ foro seditio, ambitio campo; discordia curiæ sepulta. » Rhenanus. *Seditio in foro* quæ sit, nescio. Videtur vox *seditio* in mendo cubare, præsertim quum seditio mox commemoretur: *compressa theatralis seditio.* Cæterum huic similis locus est l. II, c. 89.

5. *Sepultæ.* Exemplar vetustum

æquitas, industria civitati redditæ; accessit magistrati-
bus[1] auctoritas, senatui majestas, judiciis gravitas; com-
pressa theatralis seditio; recte faciendi omnibus aut in-
cussa [2] voluntas, aut imposita necessitas. Honorantur 3
recta, prava puniuntur; suspicit potentem humilis, non
timet; antecedit, non contemnit humiliorem potens.
Quando annona moderatior? quando pax lætior? Dif-
fusa in Orientis Occidentisque tractus, et quicquid me-
ridiano[3], aut septemtrione finitur, Pax [4] Augusta, per
omnis terrarum orbis angulos[5] a latrociniorum metu
servat immunes. Fortuita non civium tantummodo, sed 4
urbium damna principis munificentia vindicat; resti-

habet : *sepultæque ac situ oppositæ.* Burer. Editio prima, prava et lectione et interpunctione : « Discordia curiæ, sepultæ : ac situ oppositæ, justitia, æquitas, etc. » Utrique incommodo salutare remedium attulit editor Basileens. : « Discordia curia : sepultæque ac situ obsitæ justitia, æquitas, etc. ; » quod recepi. *Oppositus* et *obsitus* etiam confunduntur apud Livium, XXIV, 39.

1. *Accessit magistratibus auctoritas.* Editio prima : *accessit militibus auctoritas ;* quod edit. Basil. optime longius recedit a *militibus*, tamen nec res ipsa quemquam de hac corr. emendavit. Etsi enim *magistratibus* rectione dubitare sinit, nec Sueton. Tiber. 30 : « Quin etiam speciem libertatis quamdam induxit, conservatis senatui ac magistratibus et majestate pristina et potestate. »

2. *Aut incussa voluntas.* Sensit Heinsius, *incussa* minus huic loco convenire. Nam *incutere* fere dicitur de iis, quæ animum vi et subito afficiunt, ut in exemplis a Burmanno pro vulgata lectione allatis. Forte legendum : « Recte faciendi omnibus aut infusa voluntas ; » Valer. Max. V, 4, 5 : « Natura caritatem parentum pectoribus liberorum infundit ; » Ammian. Marcell. XIV, 6 : « Mentibus ardore quodam infuso ; » Acta Martyr. apud Ruinart. p. 261 : « Ad cujus vocem tanta mihi statim virtus infusa est. »

3. *Quicquid meridiano*, etc. De *meridiano*, scilicet *circulo*, vel *cardine*, vide Gronovium, Observ. in Script. Eccles. 24, p. 263, et Dukerum ad Flor. IV, 12, 40.

4. *Pax Augusta.* II, 92 : « Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circumferens terrarum orbi præsentia pacis suæ bona » De *Pace Augusta* H. Valesius ad Euseb. H. E. X, 9, et qui nummos veteres illustrarunt. Horum in pluribus legitur *Pax Augusti.*

5. *Per omnis terrarum orbis angulos*, etc. Aut *per* inducendum, aut potius scribendum : « Per omnia omnis terrarum orbis angulos, etc. » *Per omnia* frequens Velleio pro *omnino*. Vide ad II, 31.

tutæ urbes Asiæ; vindicatæ ab injuriis magistratuum provinciæ; honor dignis paratissimus; pœna in malos sera, sed aliqua; superatur æquitate gratia, ambitio virtute : nam facere recte cives suos[1] princeps optimus faciendo docet; quumque sit imperio maximus, exemplo major est.

1 CXXVII. Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi; ut D. Augustus M. Agrippa, et maxime ab [2]eo, Statilio Tauro : quibus novitas familiæ haud obstitit, quo minus ad multiplices consulatus triumphosque, et
2 complura eveherentur [3]sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent; neque in parvo paucitas ministeria [4]defecit; interestque reipub. quod usu neces-

1. *Nam fac. recte cives suos*, etc. Ad sententiam Velleii, non ad elegantiam, qua expressa est sententia, proxime accedit Claudianus de IV Cons. Honor. 296 : « In commune jubes si quid, censesve tenendum, Primus jussa subi. Tunc observantior æqui Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipsum Auctorem parere sibi. Componitur orbis Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis; » qui ob oculos habuit Isocratem ad Nicocl. p. 21. A. Paulinus, de Vita Martin. II, 81 : « Jure sacerdotis factis facienda docentur : Exemplum mage suadet opus, quam gratia verbi. » Vide intt. ad Plin. Paneg. 45, et ad Pacat. Paneg. 14. Pari acumine Lucanus, IX, 588: « monstrat tolerare vapores, Non jubet. »

2. *Et maxime ab eo.* Gronovius, Observ. II, 23, p. 414, legere tentabat : « M. Agrippa, et Mæcenate, et Statilio Tauro. » Sed Mæcenatis mentionem ab hoc loco alienam esse, Heinsius ostendit. Simplicissimum est, cum Scheffero, Misc. Obs. IX, pag. 177, et Burmanno scribere : *et proxime ab eo.* Sic ipse Velleius loquitur, II, 76, p. 192 : « Et proximus a Cn. Pompeio, ipsoque Cæsare ex equestri ordine cos. creatus esse. »

3. *Enumerar. sacerd.* Exempl. vetus habet : *enumerentur sacerdotia*, etc. Burer. Edit. pr. *enumerarentur sacerdotia*. Edit. Basil. scripsit *eniterentur;* melius Vascosanus *eveherentur;* quod recepi.

4. *Neque in parvo paucitas ministeria defecit.* Sententiam horum verborum vidit Grævius, Syllog. Epist. t. IV, p. 374. Non solum magna negotia sine magnis adjutoribus geri et administrari non possunt, sed ne parva quidem sine bonis ministris recte curantur; sed ipsa verba aut mutila sunt, aut mendosa.

sarium, et dignitate [1] eminere, utilitatemque [2] auctoritate [3] muniri. Sub his exemplis [4] Tiberius Cæsar Sejanum 3
Ælium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas veteresque et insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adjutorem in omnia habuit atque habet: virum severitatis [5] lætis- 4
simæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis [6] simillimum, nihil sibi [7] vindicantem, eoque adsequentem omnia, sem-

1. *Quod usu necessarium, et dignitate eminere.* Broukhusius ad Propert. II, 19, 32, hoc loco utitur, ut *et* interdum majorem vim, quam *etiam*, habere ostendat. Sed scribendum: « Quod usu necessarium est, dignitate eminere. » Ad hæc verba sua respicit Velleius, II, 128: « Ut quod usu optimum intelligit, etc. »

2. *Utilitatemque.* Mallem, *vilitatemque*, nam constat centies hæc confusa vocabula; sensus vero, homines novos, et idem viles extollendos honoribus et titulis, ut iis parere non recusent alii. Sic Justin. II, 4, de Amazon.: « Ne successibus deesset auctoribus, genitas se Marte prædicabant; » Suet. Vesp. 7: « Auctoritas et quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato et adhoc novo principi deerat: hæc quoque accessit. » Burm.

3. *Muniri.* Edit. pr. *munire*, quod editor Basil. correxit.

4. *Sub his exemplis.* Id est, hæc exempla secutus. Burmannus in vi præpositionis *sub* explicanda miscet non miscenda. Plin. I ep. 18: « Dispice, an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas. » Idem, II ep. 6: « Sub exemplo præmonere, quid debeas fugere. » Pro eo Velleius, II, 128, dicit: « Hæc naturalis exempli imitatio. »

5. *Virum severitatis lætissimæ.* Sil. Ital. VIII, 611: « Læta viro gravitas. » Auson. Parental. II, 6: « Et gravitas comis, lætaque serietas. » Niciæ tribuit Plutarch. t. I, p. 524, C: Οὐκ αὐστηρὸν τὸ σεμνόν. Vide cl. Marklandum ad Stat. Silv. I, 3, 90.

6. *Actu otiosis simillimum.* Eamdem rem sic extulit, II, 98: « Qui, quæ agenda sunt, curet sine ulla ostentatione agendi. »

7. *Nihil sibi vindicantem*, etc. Manifesta imitatio Sallustii, Catil. 54: « Ita quo minus gloriam petebat, eo magis illam assequebatur. » Sic habent multi libri; nec aliter legisse videtur Velleius. In nonnullis paulo exquisitius legitur: *eo magis illum assequebatur*, vel *sequebatur.* At Cortius contra alteram lectionem exoritur, quærens, quid sit *non petebat gloriam*, et *assequebatur gloriam*, existimatque, idem fere esse ac *non petebat*, et *petebat*. Profecto, ubi mens fuerit homini, nescio. Nonne Velleius, a Wassio cum Sallustio

perque infra aliorum [1] æstimationes se metientem, vultu
vitaque [2] tranquillum, animo exsomnem.
1 CXXVIII. In hujus virtutum æstimatione [3] jam pri-
dem judicia civitatis cum judiciis principis certant; ne-
que novus hic mos senatus populique rom. est, putandi,
quod optimum sit, esse [4] nobilissimum : nam et illi an-
tiqui, ante primum bellum punicum, abhinc annos ccc,
Ti. [5] Coruncanium, hominem novum, quum aliis omni-
bus honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad prin-
2 cipale extulere fastigium; et equestri loco natum [6] Sp.
Carvilium, et mox M. Catonem, novum etiam Tusculo
urbis [7] inquilinum, Mummiumque Achaicum in consu-
3 latus, censuras, et triumphos provexere. Et, qui C. Ma-
rium ignotæ originis, usque ad sextum consulatum sine
dubitatione romani nominis habuere principem; et qui

comparatus, quid sit *gloriam assequi*, clarissime ostendebat?

1. *Semper infra aliorum*. Exempl. vetustum habet : « Semperque infra aliorum, etc. » BURER. Auctoritate MS. legendum *semperque*. VOSSIUS. Editio prima *semper* sine *que*.

2. *Vultu vitaque tranquillum*, etc. Mihi suspicio oboritur, scriptorem vet. cod. sic scribere debuisse: « Vultu vitaque tranquillus, animo exsomnis. » Sed legat quisque quod sibi optimum videatur. Sat fuerit mihi lectorem admonuisse. BURER.

3. *In hujus virtutum æstimatione*. Exempl. vetustum habet : *In hujus virtutem, æstimationem*, etc. Ipse videat lector, quid sibi lectu optimum videatur : nam mihi hæc lectio non admodum displicet. BURER. Ego sicut non dubito, quin Rhenanus veram lectionem restituerit, ita nescio, an hic quoque vox *virtutum* præcedentem *viri* absorpserit, ut II, 79, *vir virtutis nobilissimæ* emendavimus pro *virtutis nobilissimæ*. Hæc suspicio confirmatur a Velleio, II, 40: « Hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit. »

4. *Quod optimum sit, esse nobilissimum*. Imitatur Sallustium, Jug. 85: « Ego naturam unam et communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum. »

5. *T. Coruncanum*. Exempl. vet. habet : *Ti. Coruncanium*. BURER. Vide Ciceronem pro Sull. 7, et Liv. Epitom. l. XVIII. Editio prima *T. Coruncanum*.

6. *Sp. Carvilium*. Opinor *v* pro *b* scriptum : nam alias solet scribi *Sp. Carbilius*. BURER. Hujus Carvilii res gestas persequitur Livius, l. x, c. 39 seqq. Sed nihil habet de ejus genere.

7. *Urbis inquilinum*. Sallust. Catil. 31 : « Quum rempublicam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ. »

M. Tullio[1] tantum tribuere, ut pæne adsentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis summo cum sudore consequendum foret; profecto hoc senserunt, in cujuscunque animo virtus [2] inesset, ei plurimum esse tribuendum. Hæc naturalis exempli imitatio ad expe- 4
riendum Sejanum, Cæsarem; ad juvanda vero onera principis, Sejanum protulit; senatumque et pop. rom. eo [3] perduxit, ut quod usu optimum intellegit, id in tutelam securitatis suæ libenter advocet.

CXXIX. Sed proposita quasi universa principatus 1
Tib. Cæsaris[4] forma, singula recenseamus. Qua ille prudentia [5] Rhascupolim, interemptorem fratris sui filii Cotyis, consortisque ejusdem imperii, [6] evocavit; singulari in eo negotio usus opera [7] Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia, quæ recte facienda sunt, simplicique virtute merentis semper, quam [8] captantis

1. *M. Tullio*. Hoc nomen præclare restituit Lipsius. Edit. pr. *M. Fulvio*.

2. *In cujuscunque animo virtus inesset*, etc Eamdem sententiam ita expressit Livius, novorum hominum caussam agens, IV, 3: « Dum nullum fastiditur genus, in quo eniteret virtus. « Sed totus ille locus cum Velleio comparandus.

3. *Eo perduxit*. Exempl. vet. hab. *eo produxit*, etc. Burer. *Perduxit* verius videtur. Vide quæ notavimus ad II, 106.

4. *Principatus Tib. Cæsaris*. Post *Cæsaris* deest *forma*, vel simile. Quæ dictio oscitantia librarii in tertium versum translata est, ut videtur, ubi plane superest. Rhenan.

5. *Rhascupolim*. Hunc Suetonius *Thrasypolum* vocat, Tacitus *Rhescuporim*. Rhenan. De varietate in scriptura hujus nominis, vide Lipsium ad Tac. An. II, 64, et interpretes ad Suet. Tiber. 37, de utroque rege, Rhascupoli et Cotye, *Cary* Histor. Reg. Thrac. p. 72. Pro *Cotys*, quod in edit. pr. est, cum Heinsio scripsimus *Cotyis*.

6. *Formam evocavit?* Videtur hic deesse *per*, ut legatur, *per amicitiæ formam evocavit*. Rhenan. *Formam* sursum in tertium versum, unde incuria librarii decidit, reponatur. Nam ut his superest, sic istic deest. Nec te multum moverit lectio, quæ paulo inferius in margine posita legitur: nam superiore illa inferior hæc inducitur. Burer.

7. *Flacci Pomponii*. De eo vide Heinsium ad Ovid. IV ex P. 9, 75.

8. *Merentis semper, quam captantis*. Vascosanus edidit: *merentis*

2 gloriam. Cum quanta [1] gravitate, ut senator et judex, non ut princeps, et caussas pressius [2] audit? quam celeriter ingratum et nova molientem [3] oppressit? quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiæ secum actæ, domitorem recepit Germaniæ? quibus juventam ejus exaggeravit honoribus, respondente cultu triumphi [4] rerum, quas gesserat, ma-
3 gnitudini? quotiens populum congiariis honoravit, senatorumque censum, quum id senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit, ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? quanto cum honore Germanicum suum in

semper magis, quam captantis. Sed *magis* sæpe omitti, vel tirones sciunt.

1. *Cum quanta gravitate.* Scribendum : *Jam quanta gravitate. Jam* transitioni inservire, notissimum est. II, 36 : « Jam pæne supervacaneum videri potest. » Vide Dukerum ad Flor. Procem. §. 2.

2. *Et caussas pressius audit?* Unus Perizonius vidit, *pressius* poni pro accuratius, attentius, diligentius. Cicero, Tusc. Disp. IV, 7 : « Itaque perturbationes definiunt pressius. » Gellius, I, 3 : « Theophrastus autem anquisitius super hac re ipsa et exactius pressiusque quam Cicero disserit. » Frequens hac potestate Macrobio, v. c. in Somn. Scip. I, 14 : « Invenietur pressius intuenti nusquam interrupta connexio. » Reliqua ejus loca dedit Jacob. Gronovius ad p. 26. Sic etiam ceperim in Seneca de Tranqu. an. I, *pressius judicium;* in Appuleio Met. v, p. 91, *pressiorem cautelam ;* p. 95, *pressiores cogitationes.* Copulam et cum Aldo nepote tollere malim.

3. *Ingratum et nova molientem oppressit?* Hæc verba errore librarii transposita videntur. Ego in tertium superiorem reponenda puto, videlicet post *formam evocavit.* RHENAN. Mutilum locum ita exhibet edit. pr. « Et caussas pressius audit quam celeriter? ingratum et nova molientem oppressit. » Rhenani trajectionem secutus est Vascosanus. Sed majore cum similitudine veri editor Basil. elapsum nomen *Libonem* revocavit; quod ab eo post *celeriter* positum, ego post *oppressit* ponere malim : « Quam celeriter ingratum et nova molientem oppressit Libonem? » ut sequens vox *quibus* nomen *Libonem* extruserit. Vossius *Clementem* excidisse putabat. Sed quo modo Agrippæ servus ingratus in Tiberium? aut quo modo Velleium adulatorem decebat, vilissimum servum inter Tiberii hostes memorare?

4. *Respondenti cultu triumphi,* etc. Exempl. vetustum habet, *respondentem,* etc. Mihi alias sic legendum videtur : « Respondente cultui triumphi rerum quas gesserat magnitudine. » BURER.

transmarinas misit provincias? qua vi consiliorum suorum, ministro[1] et adjutore usus Druso, filio suo, Maroboduum, inhærentem occupati regni[2] finibus, pace majestatis ejus dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, salubribus (consiliorum suorum) [3]medicamentis coegit egredi? quam illum ut honorate, nec secure [4]continet? quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro, Floroque [5]Julio, mira celeritate ac virtute compressit, ut ante pop. ro. vicisse [6]se, quam bellare, cognosceret; nuntiosque periculi victoriæ præcederet
nuntius. Magni etiam terroris bellum africum[7], et quo- 4
tidiano auctu majus, auspiciis consiliisque ejus brevi sepultum est.

CXXX. Quanta suo suorumque nomine[8] exstruxit 1
opera? quam pia munificentia, superque humanam

1. *Qua vi consiliorum suorum, ministro*, etc. Sic interpungi jussi. In edit. pr. nulla est distinctio.

2. *Occupati regni*. Boiohemiam intelligit. RHENAN.

3. *Salubribus consiliorum suorum medicamentis*. Uncis inclusi verba *consiliorum suorum*, e præcedentibus temere repetita. *Medicamentum* Velleius vocat, ut Virgilii verbis utar Æn. VI, 420, *medicatis frugibus offam*. Sic Ælian. Hist. Anim. XI, 17, draconi apposita narrat ἄλφιτα ἀναδεδευμένα μελικράτῳ. Solin. c. 30: « Anguibus objiciunt gramina medicata. » Ut hic serpens offa objecta, sic apud Senecam, Med. 684, et Plinium, H. N. VIII, 15, incantamentis magicis extrahitur latibulo.

4. *Ut honorate, nec secure continet?* Editor Basil. scripsit: « Quam illum et honorate, nec secure continet? » Legendum: « Quam illum ut honorate, ita nec secure continet? » Vocis *honorate* ultimæ syllabæ sequens *ita* extriverunt. *Nec secure* est non negligenter.

5. *Sacroviro, Floroque Julio*. An scribendum *Juliis?* Nam uterque *Julius* nominabatur. Vide Tacit. Ann. III, 40, vol. I, p. 340.

6. *Ut ante pop. ro. vicisse se*, etc. Vascosanus pessime edidit: *populum romanum*. Eadem loquendi forma Livius, XLIV, 32: « Hoc unum bellum prius perpetratum, quam cœptum, Romæ auditum est. » At Velleius expressisse videtur literas Tiberii, de hoc ipso bello ad senatum scriptas. Tacit. Ann. III, 47: « Tum demum Tiberius, ortum patratumque bellum, senatui scripsit: neque dempsit aut addidit vero. »

7. *Bellum africum*. Tac. Annal. II, 52 et seqq., et III, 20, etc. BECL.

8. *Suo suorumque nomine*. Ed. pr. *sua suorumque nomine*; quod Vascosanus correxit.

evecta [1]fidem, templum patri molitur? quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeii munera absumpta igni restituit? qui, quicquid unquam [2] claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum.
2 Qua liberalitate cum alias, tum proxime incenso monte Cælio [3], omnis ordinis hominum jacturæ patrimonio succurrit suo? quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum, sine trepi-
3 datione [4] delectus providet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, auro deo [5]cum, de his queri, quid hic meruit, primum, ut scelerata Drusus Libo iniret consilia? deinde, ut Silium [6]Pisonemque tam alterius dignitatem constituit, auxit [7]alterius? Ut ad majora transcendam, quamquam et hæc ille [8]duxit

1. *Superque human. evecta fidem.* II, 41: « Animo super humanam et naturam et fidem evectus. » Sic etiam loquitur Plinius, H. N. XXXIII, 7: « Evecta supra humanam fidem ara est successu. » Vide Drakenborch. ad Liv. VIII, 24.

2. *Qui quidem quam.* Alias, *qui quicquid unquam.* RHENAN. Hanc correctionem recepi. Edit pr. *qui quidem quam.*

3. *Monte Cælio.* Edit. pr. *monte Cæli*, quod editor Basil. correxit.

4. *Supplementum, sine trepidatione*, etc. Lipsius ad Tacit. Hist. IV, 14, sic interpungit: « Supplementum, sine trepidatione, delectus providet? » ut *supplementum delectus* jungatur. At sic *sine trepidatione* nihil differt a præcedenti *quanta cum quiete.* Repone: « Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, supplementum, sine detrectatione delectus, providet? » Vide Tacit. vol. III, p. 395.

5. *Auro deo cum.* Alias, *aut deorum*, vel, *auribus deorum.* RHENAN. Habet unicus ille Velleii codex hanc cum aliis MSS. communem calamitatem, ut in initio et fine fœdioribus, quam in medio, corruptelis et lacunis laboret. Hujus loci mendum sic tollere conatus est editor Bas.: *apud aures deorum de his queri.* Alii aliter, sed frustra omnes; nec, quo modo emendari debeat, ipse dicam.

6 *Deinde ut Silium Pisonemque*, etc. Hic verba quædam exciderunt, in quibus supplendis, vanum sit conjecturas exercere. Editor Basil. conjecit: « Deinde ut Silius et Piso, quorum alterius dignitatem constituit, auxit alterius. » Cujus conjecturam Vossius et Heinsius pro editionis primæ scriptura nimis festinanter arripuerunt.

7. *Auxit alterius.* Mihi videtur deesse *quam.* Sic enim legendum puto: « ut Silium Pisonemque tam alterius dignitatem constituit, quam auxit alterius. » BURER.

8. *Dixit.* Alias, *duxit.* RHENAN.

maxima; quid, ut juvenes amitteret filios? quid, ut nepotem ex [1] Druso? Dolenda adhuc retulimus: venien- 4
dum ad erubescenda [2] est: quantis hoc triennium, [3] M. Vinici, doloribus laceravit animum ejus? quam diu abstruso, quod miserrimum est, pectus ejus flagravit incendio? quod ex nuru [4], quod ex nepote dolere, indignari, erubescere coactus [5] est. Cujus temporis ægritu- 5
dinem auxit amissa mater eminentissima, et per omnia deis [6] quam hominibus similior femina; cujus potentiam nemo [7] sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

CXXXI. Voto finiendum volumen sit: Jupiter capi- 1
toline, et auctor, ac stator [8] romani nominis, gradive Mars, perpetuorumque custos Vesta ignium, et quic-

1. *Ex Druso*. Exempl. vet. hab. *ex Drusuo*. Hinc mihi legi debere videtur: *quid ut nepotem ex Druso suo?* BURER.

2. *Ad erubescenda*. Exempl. vet. habet: *ad erubescenda est*. BURER.

3. *M. Vinici*. Exempl. vet. hab., *M. Vinicii*. BURER.

4. *Nuru*. Agrippina, Sueton. Tib. capp. 53 et 54. BECLERAUS.

5. *Dolere, indignari coactus est*. Exempl. vetustum sic habet: *dolere, indignari, erubescere coactus est*. BURER. In editione pr. deest verbum *erubescere*.

6. *Et per omnia deis*, etc. Imitatur Sulpic. Sever. Epist. 1, p. 357: « O beatum, et per omnia similem apostolis, etiam in his conviciis, virum. » Dial. II, 5: « Quem per omnia apostolis esse consimilem, fidei virtus, ac virtutum opera testantur. » Vide quæ notavimus ad l. II, c. 35.

7. *Cujus potent. nemo sensit*, etc. In eamdem sententiam Seneca, Anthol. Latin. t. 1, p. 598: « Crispe, potens nunquam, nisi quum prodesse volebas. » Idem, Consol. ad Polyb. 22: « Nemo potentiam ejus injuria sensit, nunquam ille te fratrem ulli minatus est. » Liviæ non dissimilem laudem tribuit Albinovanus, v. 47: « Nec nocuisse ulli, et fortunam habuisse nocendi? Nec quemquam nervos extimuisse tuos? » a quo sententiam mutuatus est auctor Eleg. in Mæcenat. 15: « Omnia quum posses, tanto tam carus amico, Te sensit nemo velle nocere tamen. »

8. *Et stator*. Exempl. vet. habet, *ac stator*. BURER. Omnino probanda Puteani transpositio: « Jupiter capitoline ac stator, et auctor romani nominis, gradive Mars. » Habet quidem Mars nonnullos titulos cum Jova communes, tamquam *conservatoris*, *victoris*, etc. Sed ut nunquam Jupiter *gradivus*, ita nunquam Mars *stator* vocatur; cujus rei testes sunt lapides antiqui.

quid numinum hanc romani imperii molem [1] in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit, vos publica voce obtestor atque precor, custodite, servate, protegite hunc statum, hanc [2] pacem : eique functo longissima statione mortali destinate successores quam serissimos, sed eos, quorum cervices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quam hujus suffecisse sensimus; consiliaque omnium civium aut pia, [3]

1. *Et quicquid numinum hanc romani imperii molem*, etc. Exempl. vetustum sic habet : « Et quicquid nominum honor omni imperii molem in amplissimum, etc. » Burer. Rhenanus ex inquinata veteris codicis scriptura, quam Burerius prodidit, ingeniose elicuit commodissimam lectionem, quam sequi non dubitavi.

2. *Hanc pacem.* Post has voces excidisse videtur, *hunc principem*, ut Lipsius suspicatur. Minime autem probanda est ratio Vossii, *hanc pacem* in *hunc principem*, aut Perizonii, eadem verba in *hunc ducem* mutantis. Nam apud scriptores, qui sub Cæsaribus vixerunt, *pax romana* dicitur pro imperio romano. Tacit. Ann. XII, 33: *qui pacem nostram metuebant;* ubi hanc notionem pulchre, ut solet, explicat Gronovius.

3. In exemplari versus aliquot erant erasi, forsan ab aliquo nebulone facturo periculum, an illitæ membranis notæ expungi possent. Videntur autem extrema verba in talem scripta sensum : « Consiliaque omnium civium aut pia, aut salutaria in felicem exitum provehite; » aut sensum similem. Rhenanus.

FINIS HISTORIÆ ROMANÆ
C. VELLEII PATERCULI.



VARIORUM INTERPRETUM

NOTÆ

AD C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ LIBROS II.

VARIORUM INTERPRETUM

NOTÆ

AD C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ LIBRUM I.

OPERIS TITULUS. C. VELLEII PATERCULI.

De Velleii nominibus, vita scriptisque, dissertationem nostram vide, quam operis initio præpositam habes. EDITOR.

Ibid. *M. Vinicium.*

De quo Tacitus, Ann. VI, 15, ait : « Vinicio oppidanum genus : Callibus ortus, patre atque avo consularibus, cæteris equestri familia erat, mitis ingenio et comtæ facundiæ. » Pater ejus Publius, avus Marcus, ille DCCLV, hic DCCXXXV anno urbis consul. Quibusdam cum lapide Colotiano placet, VINUCIUS : a vulgo Dio, numi, in quis :

P. VINICIVS. M. F. III. VIR.
A. A. A. F. F. F. et L. VINICIVS. L. F. III. VIR.

Et lapis Neapoli (Grut. CCCCL, XXXVIII, 6) :

M. VINICIO P. F. POST MORTEM
MVNICIPIA SVI AERE CONLATO
PIETATIS CAVSA POSVERVNT.

SCHEGKIUS.

Vinicium etiam scribendum docet lapis apud Gruter. CVIII, ubi *M. Vinicius* cos. cum collega *C. Cassio Longino* memoratur. *Quartini* vero cognomen ex Pomponio, l. II, §. 47, de Origine juris, temere arripuisse annalium Rom. confectores docet Rupertus, ubi Vossii notam ad hunc locum refellit : secutus Ruperti vestigia Norisius, in epistola consulari, t. XI Antiq. Rom. p. 404. Cæterum gens Vinicia temporibus Augusti et Tiberii satis nota, ut ex nummis et aliis monumentis patet. V. Ryck. ad Tacit. Annal. lib. VI, cap. 15, vol. I, pag. 546. *L. Vinicium clarum* et *decorum juvenem* dicit Suet. Aug. c. 64. BURMANNUS.

OPERIS TITULUS. *Liber primus.*

Principio, ut conjicimus, de excidio Trojæ egit, aut de dispersione Græcorum in reditu ex Troja. CELLARIUS.

Acturus de rebus gestis populi in cæteros omnes dominati, Velleius omnium fere gentium, quæ, tunc cognitæ, in Romanorum potestatem venerant, origines atque initia sibi prius statuenda proposuerat. Hic vero de coloniis post excidium Trojæ per Europam sparsis mentionem facit: prius alias nominaverat, nunc Metapontum. ED.

CAPUT I, §. 1. *Tempestate distractus a duce suo Nestore.*

Loquitur de Pyliorum exercitu, quod monet Rhenanus, vel fortasse de quodam, qui Nestoris auspiciis Pyliorum classi vel parti ipsius imperabat. Sane Strabo, lib. VI, scribit Metapontum a Pyliis, qui a Troja cum Nestore navigarunt, conditam fuisse. Est autem Italiæ oppidum in tarentino sinu situm. Justinus, lib. XX, tradit, Metapontinos ferramenta, quibus Epeus, a quo conditi sunt, equum trojanum fabricavit, ostentare. Atque hujus forsitan nomen hoc loco desideratur. PUTEANUS.

Hic fuit *Metabus* præfectus in exercitu Pyliorum, qui urbem Metabum condidit in sinu tarentino, inter promontoria salentinum et lacinium. Servius ad Virg. XI, v. 540: « Metabus fuit dux græci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit. » POPMA.

Loqui Velleium de Metabo sive Metaponto, nec Lipsius, qui primo de Epeo conjecerat, negavit. Hic enim Metaponti urbis conditor *Stephano* et *Servio* memoratur. Strabo, lib. VI, ad Pylios, qui cum Nestore ab Ilio navigarunt, universim Metaponti originem refert, ut et Solin. Polybistor. cap. 2. BOECLERUS.

De origine Metabi in diversas sententias abeunt viri eruditi. Metabum conditorem facit Vossius, ductus forsan auctoritate Strabonis, Stephani, Dionysii Periegetæ, Servii, aliorum. Epeum ex Justino, lib. XX, c. 2, facit Lipsius, firmatque verbis Aristotelis. Quam opinionem eo veriorem esse crederem, si ab excidio Trojæ, et ab adventu Æneæ in Italiam (ut nonnulli existimant) exorsus esset Velleius, quum Metabus, Sisyphi filius et Æoli nepos, fuerit antiquior excidio trojano. Vide Salmas. Exercit. Plinian. p. 48. HUDSON.

Ibid. *Teucer.*

Varias auctorum super hac re opiniones quasi fasciculo colligat Servius ad Virgilii lib. I Æneidos: « Teucer, inquit, quum, Troja eversa, sine fratre esset reversus, qui se furore, propter perdita Achillis arma, interemerat; vel, ut alii, quia non defenderat Ajacis fratris interitum; vel quia ossa fratris non retulisset; ut nonnulli, quod Tecmessam concubinam, vel ejus fratris filium Eurysacen, ad avum Telamona de Troja secum

non reduxerit, quia ille alia navi vectus felicius navigaverat; Salamine pulsus a patre, Cydoniam venit. » Ita integrum locum emendandum censeo. Male legitur *Theomissam*, pro *Tecmessam*. Pro *Turesacen* etiam reposuimus *Eurysacen*, et pro *Sydonam*, *Cydoniam*. Ablegavimus quoque *a cena*, quod post *Tyrisacen* MS. Fuldensis inculcabat. Quis enim non videat, imperite illud ex præcedenti voce repetitum? Auctores vero quorsum allegem, quum historia hæc passim apud veteres poetas, præsertim tragicos, sit obvia? Vossius.

Cap. I, §. 1. *Phidippus.*

Enumerat, ex Græcis ducibus, ad bellum trojanum profectis, quam quisque urbem, everso Ilio, condiderit. Horum in numero neque ab Homero, neque a Darete Phrygio, Philippus nominatur. Itaque facile crediderim, *Phidippus*, esse reponendum, de quo sic Homerus ἐν τῷ τῶν νεῶν καταλόγῳ, Iliad. B, 678: Τῶν δ' αὖ Φείδιππός τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην, Θεσσαλοῦ υἷε δύω, Ἡρακλείδαο ἄνακτος. Manutius.

Cap. idem, §. 2. *Rejectus.*

Dubito an non scripserit *ejectus*, quod proprium in hac re verbum. Vid. Gron. ad Liv. XLIV, 19, ad Petron. CXV, et Ovid. Ep. VII, 89: nam *rejici* dicuntur naves, si vento contrario in eumdem locum, unde profectæ sunt, referuntur. Cæs. V de Bell. Gall. 5: « Naves, quæ Meldis factæ erant, tempestate rejectas, cursum tenere non potuisse, atque eodem, unde profectæ erant, relatas. » Vid. Lucan. IX, 368. De *referri*, vidimus ad Quint. Decl. VI, 5. Si *rejectus* tamen placeat, explicabimus a cursu, quem in Græciam dirigebat, vento adverso in Cretam rejectum, ut aliquoties Cicero, *vento rejici*, dixit. Burmannus.

Cic. pro Cæcina, c. 88: « Si quis ex alto, quum ad patriam accessisset, tempestate subito rejectus, etc. » Id. Tuscul. I, 117: « Portum paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam velis passis pervehi liceat! sin reflantibus ventis rejiciemur, etc. » Tanta est horum exemplorum auctoritas, et ad hunc præsertim locum tam apte conveniunt, ut Velleiana lectio possit haberi certissima. Ed.

Ibid. *Tres ibi urbes statuit, a patriæ nomine unam, a victoriæ memoria Mycenas, Tegeam, Pergamum.*

Aliquid deesse constat; nam Mycenæ ab Agamemnonis patria, Pergamum ab urbe Troja nomen accepit: de Tegea nihil additum esse miror. Ut omittam, quod Tegeam non ab Agamemnone, sed ab ejus præcone Talthybio, in Creta exstructam, Stephanus docet in libro de Urbibus. Manutius.

Pergamum, quæ et *Pergamea*, ab Ænea conditam canit Virgilius, Æn.

III, 133; ubi alias de urbis hujus conditoribus sententias profert Servius. De *Tegea* vero quod scrupulum movent viri docti, is facile eximitur, si vel nomen patriæ latius capiamus, non de urbe, in qua natus, sed de regione etiam vicina, ut fecit recte Rupertus: vel potius credamus Agamemnona, Tegeam amasse, ut patriam; quippe ejus mater Aerope Cratei filia dicitur a Tzetze ad Lycoph. 149, qui Crateus, Tegeatæ filius, ex Arcadia erat in Cretam profectus (Pausan. VIII, 53); qui idem est, qui *Cretheus*, vel *Creteus*, pro variis dialectis ab aliis dicitur. Nam ideo ad Cretei hereditatem cernendam Menelaus in Cretam abiisse dicitur, et vices fratris Agamemnonis egisse. (V. Dict. Cret. lib. I, initio, et Meurs. Cret. lib. III, cap. 4); licet Cretenses Cratea filium Minois facerent, et hinc facile patientibus Cretensibus, potuit Agamemnon urbes in insula illa condere. Immo hac forte de caussa Tegeatæ ossa Orestis, Agamemnonis filii, condita apud se habuere (Pausan. III, 3 et 11). Burmannus.

Cap. I, §. 3. *Factum ejus a diis comprobatum.*

Succensent hic Velleio, tamquam, si diis placet, impietatis reo, viri docti et probi; nec satis attendunt Oresten Minervæ, i. e. sapientissimæ deæ, suffragio fuisse absolutum: unde solennis in Areopago ἡ τῆς Ἀθηνᾶς ψῆφος. Meurs. in Areop. cap. X. Ed.

Ibid. *Regnavit* lxx.

Valde ab hac supputatione abit Eusebius in Chronico, in quo est: *Orestes regnavit annis* xv. Sed Lipsius reponere tentabat lxv. Quæ (pace summi viri dixerim) non emendatio est, sed depravatio. Nam quum hoc Eusebius refert ad numerum dcccxli, regnum vero Tisameni filii ejus ordiatur numero dccclvi, clarum est ex ipsius supputatione, xv tantum annos Oresti tribuendos. Vossius.

Ibid. *Pactæ ejus.*

Pactæ ejus, legendum. *Pactæ* et *sponsæ* appellantur puellæ, quæ interposito pacto et sponsu preeis in matrimonium datæ et promissæ sunt. Virg. Æn. X: *gremiis abducere pactas.* Talis autem erat Hermiona Orestis, ut ipse in Pacuvii tragœdia Hermiona contendit contra Pyrrhum: « Prius data est quam tibi dari dicta, aut quam reditum est Pergamo, etc. » Virgil. Æn. III, 330, conjugem Orestis vocat: « Ast illum ereptæ magno inflammatus amore Conjugis, et scelerum furiis agitatus Orestes Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras; » in quem locum plura Servius. Popma.

Vide Virgil. nostræ edit. vol. II, pag. 394. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Post Orestis interitum, filii ejus Penthelus et Tisamenus.*

Tum fere in numero annorum Strabo differt, qui, lib. XIII, scribit *Penthilum in Thraciam venisse* ἑξήκοντα ἔτα τῶν τρωϊκῶν ὕστερον, ὑπ'

αὐτὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον, *sexaginta annis post troica tempora, sub ipsum Heraclidarum reditum in Peloponnesum*. Itaque diserte ille vult, a Troja capta ad hunc reditum annos esse inter tantum sexaginta. A Velleio tamen, quum alii chronologi, tum vetus ille et industrius christianorum Tatianus stat, qui notat *Homerum vixisse* πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου, μετὰ τὰ τρωικὰ ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν, *ante Herculidarum reditum, post trojanas res paulo minus annis octoginta*. Idem numerus in Plutarcho, de Homero. Lipsius.

Cap. I, §. 4. *Penthilus.*

Penthilum Orestæ successisse Strabo in Geographicis auctor lib. XIII, de Tisameno *Pausanias in Corinth.*: Ὀρέστου δὲ ἀποθανόντος, ἔσχε Τισαμενὸς τὴν ἀρχὴν Ἑρμιόνης τῆς Μενελάου καὶ Ὀρέστου παῖς. Quidam Tisamenum primo loco, sicut alii Penthilum ponunt, et in annotatione annorum maxima occurrit discrepantia. Velleiana quidem computatio, in se spectata satis congruit; nam si Ægistho VII, Oresti LXX, Penthilo et Tisameno III annos tribuimus, efficietur octogenarium istud intervallum a Trojæ excidio usque ad Heraclidarum reditum. Beclerus.

Cap. II, §. 1. *Pelopis progenies.*

Hoc illud celebre tempus, quod crebro in antiquis chronicis quasi nota et character temporum signatur, *Reditus Heraclidarum*; atque ab eo initium plerique faciunt historiæ veræ. Diodorus, lib. IV: Ἔφορος ὁ κυμαῖος, Ἰσοκράτους ὢν μαθητὴς, ὑποστησάμενος γράφειν τὰς κοινὰς πράξεις, τὰς μὲν παλαιὰς μυθολογίας ὑπερέβη, τὰ δὲ ἀπὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου πραχθέντα συνταξάμενος, ταύτην ἀρχὴν ἐποιήσατο τῆς ἱστορίας· ὁμοίως δὲ τούτῳ Καλλισθένης καὶ Θεόπομπος, κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν γεγονότες, ἀπέστησαν τῶν παλαιῶν μύθων. « Ephorus cumanus, Isocratis discipulus, quum res publice gestas scribere instituisset, veteres quidem fabulationes omisit; illa vero, quæ ab Heraclidarum reditu facta, colligens, hoc initium fecit historiæ suæ. Callisthenes et Theopompus, qui eodem ævo vixerunt, pariter, ut ipse, abstinuerunt a priscis fabulis. » Varro paulo aliter tamen tempora in hunc finem discernit, apud Censorinum, cap. 21: « Varro, inquit, tria discrimina temporum esse tradit: primum, ab hominum principio usque ad cataclysmum priorem, quod propter ignorantiam vocatur Adelon; secundum, a cataclysmo priore ad olympiadem primam, quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, Mythicon nominatur; tertium, a prima olympiade ad nos, quod dicitur Historicum, quia res in eo gestæ veris historiis continentur. » Lipsius.

Ibid. *Temenus et Cresphontes.*

Stemma est hujusmodi. Aristomachus pater, Cleodæus avus, Hyllus proavus, Hercules abavus fuit. Quod, ut Herodotum, Pausaniam et alios, mittam, constat etiam ex satyro, lib. II, apud Theophilum, quam-

vis apud eum corrupte legas : Ἐρακλίους τοῦ Διὸς οἶμαι ὕλον, τοῦ δὲ Κλεόδημον, τοῦ δὲ Ἀριστόμαχον, τοῦ δὲ Τίμενον. Scribendnm est : Ἡρακλίους τοῦ Διὸς οἶμαι Ὕλλον, τοῦ δὲ Κλεοδαῖον, etc. Ut de nostra in Velleium conjectura vix videatur dubitaodnm ; etsi sciam cognationis gradus ab anctoribus aliquaudo confundi. Vossius.

Temeno Argi cessere ; Cresphonti, per sortem, Messene (Pausaniaa, Messen.). Aristodemns ipse jam fulmine e medio sublatus erat : igitur filii ejns gemini, Procles et Enrysthenes Sparta potiuntur ; a qnibns οἰκίαι δύο βασίλειαι, familiæ duæ regiæ Spartanornm ortæ sunt (Pausan. Lacon.) Bæclerus.

Cap. II, §. 1. *Aristodemus.*

Ergone ipse Aristodemus inter duces? Ita velle Velleium apparet, etsi in dissensu obstinato aliorum scriptorum. His traditnm, Aristodemum, dum apparatur reditus, fulmine tactnm periisse, in ejus locum liberos venisse, Eurysthenem et Proclem. Apollodorus, talium rerum diligens, II Biblioth. : Ἐκεῖ δὲ ὄντος τοῦ στρατεύματος, Ἀριστόδημος κεραυνωθεὶς ἀπέθανε, παῖδας καταλιπὼν διδύμους, Εὐρυσθένη καὶ Προκλέα· « Ibi quum exercitus Herculidarum esset (Naupacti scilicet), Aristodemus fnlminatus occidit, filios geminos relinquens, Eurysthenem et Proclen. » Eadem aut similia Pausanias in Corintbiacis, atque alii. Quis a Velleio? Damnabam ; sed mannm calculumque tenuit Herodotua, qui Spartanos ipsos docet fuisse in eadem bac cum Velleio mente, etsi contra scriptorum vulgus. Ille, lib. VI, 52 : Λακεδαιμόνιοι γὰρ, ὁμολογέοντες οὐδενὶ ποιητῇ, λέγουσι αὐτὸν τὸν Ἀριστόδημον τὸν Ἀριστομάχου, τοῦ Κλεοδαίου, τοῦ Ὕλλου, βασιλεύοντα ἀγαγεῖν σφέας ἐς ταύτην τὴν χώραν, τὴν νῦν ἐκτέαται, ἀλλ' οὐ τοὺς Ἀριστοδήμου παῖδας « Lacedæmonii, uemini poetarum assentientes, tradunt ipsum Aristodemum, qui Aristomachi, qni Cleodæi, qui fuit Hylli, regnantem eos reduxisse iu hanc regionem, quam nunc obtinent, non autem ipsos Aristodemi liberos. » Ergo bene et ex recondita sententia Velleins. Lipsius.

Ibid. *Atavus.*

Distinctio interponenda : *Aristodemus, quorum* ; nam quem ait fnisse atavum? ipsum Herculem. Stemma tale : Hercnles Hyllnm genuit, bic Cleodæum, hic Aristomachnm, hic Temenum, Cresphontem, Aristodemum. Ex Herodoto supra, aliisque. Lipsius.

Atavus est quinto gradu, abavi vel abaviæ pater. Sed Hercules fuit istorum abavns, Hyllus proavns, Cleodæus avus, Aristomachus pater. Non tamen ansim mutare, quia latini auctores cognationnm appellationes laxe et libere interdum usurpant, ut Liviam, Caii Cæsaris *proaviam*, Tacitus vocat *aviam* ; Julinm Cæsarem, *magnum avunculum* Octavii, Velleius, et Suetonius *avunculum*. Meminit istornm Heraclidarum, præter Græcos, Ammianns, lib. XXVIII : « Ita cothurnatos et turgidos, ut Heraclidas illos, Cresphontem et Temenum, putes. » Popma.

CAP. II, §. 2. *Immixtusque castris hostium, de industria, imprudenter, rixam ciens, interemptus est.*

Ex historia videtur ita interpungendus hic locus, emendandusque: « Immixtusque castris hostium de industria, ab imprudente, rixam ciens, interemptus est. » Historia peti potest ex Pausania, Apollodoro, et aliis. URSINUS.

Ille imprudenter? immo dedita opera et studiose rixam civit. Sed tu verba interpunge, sententiam et te expedies: *imprudenter*, *rixam ciens*, *interemptus est*. Vult interemptum imprudenter, et ab hostibus ignaria eum esse regem; quod verum est. LIPSIUS.

Stat a Lipsio Bœclerus; aliud ex Acidalio desumpsit Ruhnkenius. Nihil mutandum arbitror, sed *de industria imprudenter* sic intelligo, ut *deliberata quadam imprudêntia* id Codrus fecerit. *Imprudenter* pro *incaute* bonis quoque scriptoribus usitatum. *Ad flammam accessit imprudentius;* Ter. Andr. I, 1, 103. *Non imprudenter feceris, si me celaris;* Cornel. Nepos in Hannib. II; nost. edit. pag. 232. ED.

CAP. idem, §. 4. *Sed ii insequentesque Archontes usque ad Charopem.*

Tredecim fuere, quorum seriem et nomina Eusebius refert, et Meursius in Archontibus Athen. lib. I, cap. 1. Continuatur autem hæc narratio infra cap. 8. BŒCLERUS.

CAP. idem, §. 5. *Peloponnesii.*

Locus hic mihi aliquando mendi fuit suspectus, sed sanus est. Quod clarum ex Strabonis libro IX Geograph. ubi narrat, Heraclidas, a Codro ex Attica pulsos, Megaridem occupasse, ac condidisse Megara. Neque moverit quemquam, quod ille Heraclidas, Noster Peloponnesios vocet. Hæc enim neutiquam inter se pugnare, liquet ex præcedenti Velleii narratione. VOSSIUS.

Ibid. *Digredientes.*

Victi scilicet prælio, et a Codro profligati ex Attica. Strabo, lib. IX, pag. 393. BŒCLERUS.

CAP. idem, §. 6. *Insulam circumfusam*, etc.

Hæc vero mira, si Tyria classis insulam condere potuit, quod nos scimus unius esse, a quo omnia condita. Atqui sententia ea necessaria in his verbis: rescribe *insula circumfusa;* et pariter *divisa*. Nam ista mens: oppidum Gades conditum in insula, Oceano circumfusa. LIPSIUS.

Sed tuetur librorum consensum et auctoritatem cl. Salmasius ad Tertullian. Pal. cap. 2, p. 121, ea ratione, quod hic *condere*, sit *urbibus inædificare;* ut Græcorum κτίζειν, *urbibus instruere*; itaque et *insulam*, *Gades*

dictam, et *condere insulam*, esse *urbibus instruere*. Cæterum, quæ de *Gadium* origine memorantur, vide omnino apud Strabonem, lib. III, non procul a fine; Plin. IV, 22, et V, 19; Diodor. lib. V. Boeclerus.

Cap. II, §. 7. *Sedem cepere.*

Lesbon, id est Lesbon, et circumjacentes insulas occupavere. Lesbon autem nominat Velleius, quia notissima. Vossius.

Immo Strabo, l. XIII, pag. 582, præter Lesbum, etiam Lesbo vicinæ continentis Æolidis ab iis insessæ meminit. Hudson.

Cap. III, §. 1. *Pelasgi Athenas commigravere.*

Lipsius miratur Dionysium, lib. I, dum casus et sedes Pelasgorum exsequitur, nullam Atticæ mentionem facere. Atqui continebatur id jam in verbis Thucydidis, quæ ex lib. IV Dionysios adducit, ubi *Pelasgi Lemnum olim et Athenas incoluisse* dicuntur. De utraque sede etiam Strabo, lib. V, p. 221. Fuerunt autem Pelasgi vaga et migrationibus dedita gens, πολύπλανον καὶ ταχὺ τὸ ἔθνος πρὸς ἐπαναστάσεις, teste eodem, lib. XIII, pag. 261, unde a Dionysio πλανῆται vocantur, lib. II, pr. Porro quæ Athenas commigrandi plerisque caussa fuerit, Thucyd. annotavit, lib. I: Ἐκ γὰρ τῆς ἄλλης Ἑλλάδος οἱ πολέμῳ ἢ στάσει ἐκπίπτοντες παρ' Ἀθηναίους οἱ δυνατώτατοι, ὡς βέβαιον ὄν, ἀνεχώρουν. « Ex cætera enim Græcia potentissimi quique bello aut seditione pulsi, Athenas, tamquam stabilem sedem, sese conferebant; » ut habet versio generosissimi Erenckeli. Bocl.

Cap. idem, §. 2. *A Thessalo.*

Thessaliæ nomen non reperitur apud Homerum, quum tamen in Bœotia Thessali Herculis filii meminerit, a quo non potest videri dicta Thessalia. Juvat Velleianum argumentum hæc Scaligeri ad Euseb. notatio. Bocl.

Cap. idem, §. 3. *Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in isthmo condidit.*

Hoc ita capiebat magnus Scaliger, in Animadversionibus Eusebianis, quasi dicat Velleius, eam urbem, quam suo ævo Corinthum dicebant, antea, quum ab Alete condita, Ephyram fuisse nominatam. Atqui id falsum esse, eo probare nititur, quod Corinthum jam ante tempora fuisse trojana constet. Sed quam Scaliger in Velleio, illam ego hic in Scaligero εὐστοχίαν requiro. Quid enim certius, quam Paterculum solum dicere, Aletem restituisse Corinthum, quæ ante id tempus vocitabatur Ephyra? Atque hoc sequentia satis comprobant, quibus Ephyram jam trojanis temporibus agnoscit. Equidem decepit virum maximum vox *condidit*, quæ hic nihil aliud, quam *ex integro restituit*. Simili locutione *Tyrios Alexandri auspiciis conditos* ait Justinus, lib. XVIII. Ita quoque *Ecbatana Seleucum condidisse*, scribit Plinius, lib. V, cap. 14. Denique sic

vulgo Constantinopolim, quæ ante erat Byzantium, condidisse dicitur Constantinus Magnus. Vossius.

Cap. III, §. 3. *Ab Homero nominari Corinthum.*

Sicut rursum Ὅμηρος τὴν Ἐφύρην περὶ Κορίνθου ἔφη· notante Stephano in Ἐφυρ. Beclerus.

Cap. IV, §. 1. *Ut prædiximus.*

Ante lineas aliquot dixit. Itaque vix dubium quin hic glossema sit illud, *ut prædiximus*. Quæ voces sæpissime toto hoc opere reperiuntur, et ob id meritissimo Lipsio sunt suspectæ. Raphelengius.

In glossematis adnotandis parcus esto. Vide Ruhnken. notam ad lib. II, cap. 21, §. 1, pag. 80. Ed.

Ibid. *Cumas.*

Ἱπποκλῆς ὁ κυμαῖος, καὶ Μεγασθένης ὁ χαλκιδεύς, ut ait Strabo in V, Geograph. Itaque male quidam codices habent, *Magasthene*. Scribit vero Jos. Scaliger ad numerum Eusebii DCCCCLXVI, Velleium sentire, Cumam ante Troica conditam. Miror illi viro id excidisse: nam, juxta Velleianum calculum, Herculis ἀποθέωσις XL duntaxat annis Trojæ excidium antecessit; Cuma autem condita aliquando post Aleten, qui ab eo jam erat quintus. Vossius.

Cap. idem, §. 2. *Neapolim condidit.*

Immo Palæpolim prius. Livius, lib. VIII: « Palæpolis erat haud procul inde, ubi nunc Neapolis est. Duabus urbibus idem populus habitabat. Cumis erant oriundi. » Lipsius.

Unde et *Neapolis*, i. e. *nova urbs* dicta. Strabo, lib. V: Μετὰ δὲ Δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων· ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσσαίων τινὲς, καὶ Ἀθηναίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. Antea *Palæopolin* fuisse e Livii VIII, 22, monuit ad h. l. Lipsius. Verba historici faciunt ad explicationem Velleii et Strabonis: « Palæopolis fuit haud procul inde, ubi nunc Neapolis sita est; duabus urbibus populus idem habitabat: Cumis erant oriundi. Cumani Chalcide Euboica originem trahunt. Classe, qua advecti a domo fuerant, multum in ora maris ejus, quod accolunt, potuere. Primo in insulas Ænariam et Pithecusas egressi, dein in continentem ausi sedes transferre. » Beclerus.

Ibid. *Utriusque urbis... fides facit eas nobilitate atque amœnitate sua dignissimas.*

Sententia: fides utriusque urbis Romanis præstita effecit, ne deleretur, civesque sedibus amœnissimis pellerentur. Krausius.

Male; sed Velleiana phrasis idem sonat ac: non minus constantiæ erga Romanos fama quam locorum amœnitate commendabiles. Ed.

Cap. IV, §. 2. *Sed aliis.*

Nihil mutandum. *Alterum* pro *uno ex duobus* sæpe poni, ne observatione quidem dignum est. *Alius* autem pro *altero* etiam apud optimæ notæ scriptores usurpari solet. Cic. in Brut. : *Genera asiaticæ dictionis duo sunt : unum sententiosum .... ; aliud genus est*, etc. Hæc si negligentiæ culpa vocanda est, facile, ut opinor, Velleio potuit excidere, præsertim quum, in plurali numero, *alteri* minus usitatum sit. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Et mox Æolii.*

Strabo aliter, lib. XIII : *Τετράσι γενεαῖς πρεσβυτέραν φασὶ τὴν Αἰολικὴν ἀποικίαν τῆς Ἰωνικῆς, διατριβὰς δὲ λαβεῖν καὶ χρόνους μακροτέρους·* « Traditum est Æolicam coloniam quatuor ætatibus Ionica priorem fuisse, et moras traxisse ac longius tempus ; » de quibus moris etiam Velleius mox meminit. Vide Scalig. Animadv. Euseb. ad num. DCCCLXXV. Boeclerus.

Ibid. *Smyrnam.*

Variant de conditore ; vel certum ex Tacito, lib. IV Annal. « At Smyrnæi, ait, repetita vetustate, seu Tantalus Jove ortus illos, sive Theseus divina et ipse stirpe, sive una Amazonum condidisset. » Adde Strabonem, lib. XIV. Schegkius.

Cap. V, §. 1. *Illuxit.*

Heinsius margini adscripserat *eluxit*, et certe ita sæpe Cicero et alii. Sueton. Tiber. 56 : *aliquanto magis in principe eluxit*. Sed quidni, ut novum sidus, Homerum, et solem poetarum considerasset Velleius, qui *illuxit*, ut dies lætus et candidus solet, et de quo passim Cicero et alii hoc verbo utuntur ; et hinc mox noster ei *fulgorem carminum tribuit*. Burm.

Ibid. *Qui magnitudine operum, et fulgore carminum*, etc.

Editio princeps exhibet *operis*, quod probum est. Sic paulo post : *cujus operis primus auctor fuerit* ; et libro II : *Neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum.* Ita et alibi sæpe Velleium locutum observavimus. Vossius.

Retinuimus *operis*, quod erat in Rhenani codice. Boeclerus.

Ita sæpe Quintilianus, præcipue libro X, cap. 1. Burmannus.

Cap. idem, §. 2. *Ante illum quem.*

Locus oblitus voculis aliquot ab librariis nimium liberaliter invectis, quippe suffecisset : *quod neque ante, quem imitaretur, neque post, qui eum imitari posset, inventus est.* Gruterus.

CAP. V, §. 2. *Archilochum.*

« Qui vixit regnante Romulo » (Cicer. Tuscul. 1); olympiade nimirum VI, vel VIII. Herodoto tamen, regnante Gyge; quod incidit in tempus olympiadis XX, ni fallor. SCHEGKIUS.

Archilochus ille. præstantissimis poetis, quoties in exemplum nominandi sunt, tum ab aliis, tum a Cicerone conjungitur, Orator. cap. 1: « In poetis, non Homero soli locus est (ut de Græcis loquar), aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro; sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. » Idem. II, de Finib. 4. BECLERUS.

Sic et Valer. Maxim lib. VI, cap. 3, Archilochum Homero proximum ponit: « Maximum poetam, aut summo proximum, carminum exsilio multaverunt. » HEINSIUS.

CAP. idem, §. 3. *Hic longius a temporibus belli.*

De Homeri ætate, vide Claud. Salmas. in Exercit. Plin. pag. 608; J. G. Vossium de Poetis Græcis, et H. Dodwell. Diss. III, de Cyclis Veterum. HUDSON.

CAP. VI, §. 1. *Abhinc annos ferme* DCCLXX.

Ergone hoc gestum post Romam conditam? non, ex ipso Velleio et temporum textu. Adde omnino centenariam notam, et scribe DCCCLXX. LIPSIUS.

In supputandis temporibus subinde Velleius ad annum consulatus M. Vinicii, cui suum opus inscripsit, tamquam ad solennem terminum decurrit. Est autem is U. c. DCCLXXXIII, *Tiberiani principatus* XVI; quod, vel ex Onuphr. Panvin. Comment. in lib. II Fast., semel hic notasse, sufficiat. BECLERUS.

CAP. idem, §. 2. *Tertio et tricesimo loco.*

Diodoro Siculo est, *tricesimo loco* saltem: at Eusebio, *tricesimo sexto.* Quid miremur varietatem hanc in re locis temporibusque remota? Sane res syriaticæ parum perspecte cognitæ Græcis Latinisve. LIPSIUS.

Ibid. *Pharnaces Medus.*

Justinus, lib. I, *Arbacem* habet, non *Pharnacem.* VOSSIUS.

Pro *Arbace* emendamus *Arsacem*, ex nummis græcis et historia. URSIN.

Non in alio magis variatum nomine; potior tamen pars *Arbaces* exprimit, quam doctissimi viri Fabricius et Bongarsius sequuntur, et hic hunc in modum legunt; mihi tamen non adeo res clara, quia et veteribus non clarum auctoribus. Vide Orosium, lib. II, cap. 2. SCHEGKIUS.

Strabo, Diodorus, Athenæus, aliique Græci, hunc *Arbacem* nominant: quomodo etiam in multis Justini codicibus legere est; nam alii habent, *Arbactus.* Movet Orosius, lib. II, cap. 2, ut neutrum damnem. Cæterum apud Velleium, cum viris eruditis malim rescribere, *Arbaces.* Sed recla-

mat Ursinus, et ex historia nummisque græcis, scribendum censet, *Arsaces*. Quod historicorum fidem advocet, nullius duco, quum solum apud Tzetzem, ac quosdam sequioris ævi scriptores, ita id nominis scriptum invenias. Majoris videatur, quod nummos græcos advocet; sed quid hi ad Medos, eoque præsertim tempore, quo Mediam Græci nunquam intraverant? Non dubito itaque, quin nummi, quorum auctoritate est subnixus, non hunc, sed posterioris seculi *Arsacen* indicent. Obiter addo, hunc a Suida in Sardanapalo *Perseum* appellari. Nam ait: οὗτος ἐσφάγη ἀπὸ Περσέως. Sed locum mendosum esse arbitror, nec aliter puto, judicabit, qui eumdem in *Arbace* consuluerit. Forte autem scribendum, Βελέσυς. Hic, ut Diodorus, aliique testantur, adjutor fuit Arbacis in omni hoc negotio. Viderint alii. Vossius.

Cap. VI, §. 3. *Vir generis regii.... et disciplinæ convenientissimæ vir.*

Aut distinctionem solam muto, aut voculam etiam ejicio temere iteratam. Quid enim in eo, ut nunc interpungitur, elegantiæ, bis τὸ *vir* repeti? Itaque posterius abjicies, et leges: *vir gen. regii, f. sev. justissimarumq; legum auct. et disciplinæ convenientissimæ: cujus*, etc. Sensum pulcherrimum ita nemo non videt: quem quid ego explicem? Verum si retinere tibi libido, ecce etiam ita bonam facies sententiam, si puncto bene verba interstinguas: *Legum auctor, et disciplinæ convenientissimæ, vir cujus*, etc. Vim quamdam et affectum peculiarem sic exprimimus. Utram ergo nunc vis? de me si quæris, neutram rejiciam, priorem tamen priorem habeo. Acidalius.

Continentissimæ postulat usus latini sermonis. Manutius.

Conantur emendare, *continentissimæ*; sed conantur. Nos scribimus, *convenientissimæ viris*. De Lycurgo sermo est, quem auctorem ait severissimarum legum, et simul disciplinæ aptissimæ viris. Nonne ita est? Spartana illa disciplina et institutio, adstricta, rigida, et quæ vere faceret viros. Lipsius.

Alterum *vir*, ex compendio ortum videtur ex *inventor*. Bipont.

Nobis placet Lipsiana lectio, quam etiam exosculatur Gruterus. Ed.

Ibid. *Quamdiu Sparta diligens fuit.*

Sublatæ leges anno U. c. DLXV, quum stetissent DCCC. Cicero, Tuscul.; Valer. I, 3; Justin. l. III, alii. Becler.

Cap. idem, §. 4. *Ante annos.*

Dissentit a Livio, et aliis, qui, Carthaginem esse conditam ante Æneæ adventum in Italiam, tradiderunt: idque, opinor, verius: quos Virgilius quoque secutus est. Manutius.

Ibid. *Quam quidam Dido autumant.*

Solennis fere adjectio auctoribus latinis: cujus ratio Servio proposita

in illud: « Imperium Dido Tyria regit urbe profecta. Dido, inquit, vero nomine Elissa antea dicta est; sed post interitum a Pœnis, Dido appellata fuit, id est virago, punica lingua; quod quum a suis civibus cogeretur cuidam de afris regibus nubere, et prioris mariti amore teneretur, forti se animo interfecerit, et in pyram injecerit, quam se ad expiandos prioris mariti manes exstruxisse fingebat. » Hactenus Servius, non ille vulgo vulgatus, ne quid erres, sed doctissimi et humanissimi Fr. Modii, amici nostri nullo meo merito, cujus nuperum adversum casum ex animo doleo, et libens merito vellem, ut vellet. SCHEGKIUS.

Ita Servius P. Daniel. ad I Æn. p. 200, *Elissæ verum et proprium nomen, Didonis autem vocabulum (quod punica lingua viraginem notat)* ab eventu impositum docet. Qua de re, et Elissæ historia, accurata quædam notavit P. Faber Semest. I. I, 13; inprimis de nomine Didonis vide Sam. Bochartum in Chanaane, lib. I, cap. 24; ubi Servium et Eustathium redarguit, iisque tandem accedit, qui Didonem πλανῆτιν interpretantur, quasi vagam sive divagatam; nescio an præferenda iis opinione, qui ab amore deducunt, pag. 515 et 516. BECLERUS.

CAP. VI, §. 5. *Vir regii generis.*

De genere regio Carani satis olim constitit, quum ex argivis regibus, qui et Heraclidæ erant, oriundus esset; unde Liv. XXXII, 22, dicit: *Argivos credere Macedonum reges a se oriundos.* BURMANNUS.

CAP. idem, §. 6. *Æmilius Sura.*

Sintne hæc integra et sine hiatu: immo sintne Velleiana, addubito. Non solet inserere aut advocare verba auctorum, nec in compendio isto valde decet; tamen sunto. Quis iste Æmilius Sura? non reperi. Hoc tantum, in Plinii indicibus aliquoties laudari *Manilium Suram.* An illum teneas, an hunc substituas, tu vide. LIPSIUS.

Multis disputavit hoc de loco Vossius pater, libro de Historicis latinis, contenditque ab ipso Velleio hic loci insertum esse id fragmentum *Æmilii Suræ*, ac alios laudat complures, qui in eadem sint sententia. At vero quum Velleius noster ab imperio Nini ad M. Vinicii consulatum annos statuat MDCCXL, Sura autem ad sua tempora ab eodem imperio annos MDCCCCXCV, facile apparet Velleio hunc scriptorem esse multo recentiorem. HEINSIUS.

Ibid. *Inter hoc tempus.*

Caute lege. Quod hoc tempus? an Velleianum, uti solet numerare? minime; sed hoc, quo summa rerum, victis Macedonibus et Antiocho, pervenit ad Romanos. Ab eo, inquam, tempore sursum computando ad Ninum, tot sunt anni. Nisi observas, numeri nimis falsi. LIPSIUS.

Ita quidem *Rhenani* editio, quam plerique sequuntur, hæc verba Velleianis accenseuit, quum priora, *Æmilii Suræ*, inclusisset uncis. Sed neque

20.

Id quod ex sequentibus clare apparet. Ad rem ipsam quod attinet, satis notum est Græcorum chronica, historicos Assyriis et Nino principem locum semper tribuere, licet non primus, sed tertius Assyriorum rex fuerit; vide not. Bongars. ad Justin. I, 1, 4, d. et Franc. Fabric. ad Oros. I, 4. Bæclerus.

Cap VII, §. 1. *Mollissima dulcedine.*

Suavitatem capio *stili et lenitatem.* Ita Dionysius: Ἡσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς, καὶ ὀνομάτων λειότητος, καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς, quem secutus Fabius, X Institut. orat. 1, *lenitatem verborum et compositionis probabilis* in hoc poeta laudat, *darique* ei *palmam* testatur *in illo medio genere dicendi.* Bæclerus.

Ibid. *Qui vitavit, ne in id, quod.*

Forte aliquis mallet legere: *vitavit, ne in id, in quod Homerus, incideret;* sed non novum, præpositiones, quæ geminandæ videbantur, semel tantum ponere. Apposite Nepos, Cimon. III: *incidit in eamdem invidiam, quam pater suus;* et ita Noster, lib. II, 115: *et ob ea, quæ, si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuisset;* ubi nihil opus reponere, *ob ea, ob quæ*, ingrata geminatione præpositionis. Sic et Græci. Lucas, Act. XIII, 3: ἀφορίσατε δή μοι τόν τε Βαρνάβαν καὶ τὸν Σαῦλον εἰς τὸ ἔργον, ὃ προσκέκλημαι αὐτούς, pro εἰς ὅ, ut quidam contendunt legendum esse. Burmannus.

Ibid. *Ne in id, quod Homerus, incideret.*

Quam ob causam Homerus de patria et genere suo nihil prodiderit, his verbis exsequitur Heliodorus, libro et loco jam dictis: Αὐτὸς μὲν, inquit, οὐδὲ πόλιν, ἢ γένος ὀνομάζων· τί δὲ σκοπῶν, ὦ πάτερ, ἐσιώπα τὴν ἐνεγκοῦσαν; ἤτοι, τὸ φυγὰς εἶναι καταιδούμενος· ἐδιώχθη γὰρ ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὅτε ἐξ ἐφήβων εἰς τοὺς ἱερωμένους ἐνεκρίνετο, ἀπὸ τοῦ κηλῖδα φέρειν ἐπὶ τοῦ σώματος νόθος εἶναι γνωρισθείς· ἢ καὶ τοῦτο σοφίᾳ κατεργαζόμενος, κἀκ τοῦ τὴν οὖσαν ἀποκρύπτειν πᾶσαν ἑαυτῷ πόλιν πατρίδα μνώμενος· id est: « Ipse autem (nempe Homerus) neque patriam neque genus nominavit. Quorsum autem spectans, pater, tacebat patriam? Aut quod pudebat illum exsilii; erat enim pulsus a patre, quando ex ephebis inter consecratos recensebatur, ex eo quod notam ferret in corpore spurius cognitus; vel hoc etiam sapienti consilio fecit, ac dum veram celaret, omnem urbem patriam sibi vindicabat. » Boxhorn.

Cap. idem, §. 2. *A Tuscis Capuam, Nolamque.*

De Capua condita variæ sententiæ, et alibi promptæ: nec libet exsequi. De Nola, ab *Japygibus conditam* eam Justinus ait; at Solinus, cap. 8, a *Tyriis.* Quod Solinianum jure miratus sum; nam quæ alia oppida, in Ita-

liæ eo tractu, Tyrii condiderunt? nos non legimus, et fidenter rescribimus, a *Tyrrhenis*, ut consentiat cum Velleiana traditione, aut si forte, *Thuriis*. Sane et Polybius, *Tyrrhenos habitasse*, ait, *Phlegræos campos, qui circa Capuam et Nolam sunt.* Lipsius.

Cap. VII, §. 3. *Capuam.*

Unde *Oscella* dicta. *Capua* (inquit Florus, lib. I. cap. 16) *et ipsa caput urbium, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata.* Nominis ratio ambigua scriptoribus. Livius, lib. IV: « Vulturnum Hetruscorum urbem, quæ nunc Capua est, ab Samnitibus captam, Capuamque ab duce eorum Capy; vel, quod propius vero est, a campestri agro (idem Plinio visum, lib. III, c. 4) appellatam. » Suetonius Cæsare, Dionysius, Strabo, a Capy; quorum opinio magis ex argumento agit. Silius, lib. II: « Tum Capys ut primus dederit sua nomina muris. » Schegkius.

Cap. idem, §. 4. *Pace diligentiæ Catonis dixerim.*

Diligentiæ codex Rhenani. Noli itaque audire editiones, quæ exhibent *diligentis.* Vossius.

Cap. VIII, §. 1. *Olympiorum.*

Hoc est illa celebris *periodus Iphiti olympica*, qua agonem a Pelope institutum, ab Atreo et Hercule repetitum, deinde rursum posteriorum negligentia omissum, Iphitus Praxonidæ filius, post annos cccc (ut rotunde loquamur) restauravit. Ut ad hunc temporum characterem, et per eam ad tempus Romæ conditæ Noster liquida designatione perveniret, pleraque huic notitiæ inservientia haetenus vestigavit. Hoc initium est verioris, certe distinctioris, apud scriptores historiæ: Ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, teste Justino Martyre Paræn. ad gent., cui consonat, quod apud Euseb. Chron. ?, n. MCCXL, legitur: « Ab hoc tempore græca de temporibus historia vera creditur. Nam ante hæc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt. » Beclerus.

Ibid. *Initium.*

Laborant in sequentibus interpretes: Lipsius corrigebat haud feliciter *certamen..... Olympiorum initum habuit auct.* Sed *initum* sic otiosum videtur. Gruterus aliter interpungendo medetur, *Olympiorum initium habuit auctorem Iph.* Sed quorsum diceret Velleius initium habuisse, cujus auctorem ponit? Nobis videntur verba *Olymp. init.* interposita ad olympiadum initium significandum. Forsan legendum, *Olympiadum.* Bipont.

Acidalius proponit *initium habuit et auct. Iph.* Sed virgula conjunctionem supplere potest, neque Velleianæ consuetudini repugnat. Bipontina

magis ingeniosa quam vera est conjectura, quæ nulli satis firmæ rationi insistit. Ed.

Cap VIII, §. 1. *Mercatumque.*

Mercatus olympici meminit etiam Justinus, lib. XIII: *Quæ* (epistolæ) *recitatæ in mercatu olympico magnos motus fecerunt. Mercatus* autem est, quem Strabo (ut recte notavit Lipsius), lib. VIII, πανήγυριν vocavit. Hinc Philoxenus in Glossis: *Nundinarum*, ἑορτῶν, πανηγύρεων. Quo spectat, quod nundinæ, et festa, olim fere inciderint in idem tempus. De quo vide disserentem Macrobium, lib. I Saturn. cap. 16. Vossius.

Ibid. DCCCXXIII.

Prima olympias Iphitæa præcedit duntaxat natalem Urbis (ex Velleii mox sententia) annis XXII. Sunt autem ab illo ad consulatum Vinicii anni DCCLXXXII. Itaque clarum est, scribi debere, DCCCIV, detracta centenaria nota. Lipsius.

Cap. idem, §. 2. *Atreus, quum Pelopi patri funebres ludos faceret.*

Rara aut nova hæc sententia, ut multa nobis in Velleio. Nam plerique alii, non ad Atreum, sed ad Herculem, gloriam hanc referunt: quia, ut ille inquit, *quicquid ubique magnificum est, in claritatem ejus referre consensimus.* Atqui Velleius vult Herculem duntaxat hic certasse, nec ἀγωνοθέτην fuisse, sed ἀγωνιστήν. Illud etiam alibi reperio, ludos hos factos in honorem Pelopis defuncti, et fuisse funebres. Clemens ad Gentes: *Pisa autem vobis, o Græci, est sepulchrum aurigæ Phrygis, et Pelopis inferiæ.* Ipse Apollodorus, qui Herculem auctorem facit, tamen Pelopis aram exstructam hic agnoscit, grande argumentum pro sententia Velleiana. A quo enim justius tales ludi aut honos, quam a filio? Verba Apollodori: Ἔθηκε δὲ καὶ τὸν ὀλυμπιακὸν ἀγῶνα, Πέλοπός τε βωμὸν ἱδρύσατο· *Instituit et olympicum certamen, et Pelopi aram posuit.* Opinio autem, quæ Herculem auctorem fecit, originem habuit ab Homero, qui de quatuor equis certatoribus et victoribus meminit, interceptis ab Augea Eliensium rege. Vide, si voles, locum ipsum Iliados, Λ vers. 6, 7. Itaque passim grammatici et historici transeunt in hanc partem: immo et Pindarus disertis verbis Olymp. Eid. B: Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης ἀκρόθινα πολέμου. Non dissentit tamen solum, sed refutat Strabo, lib. VIII, et docet Homericis versibus non hanc esse mentem. Lipsius.

Ibid. *Omnisque generis certaminum.*

Omnisque codex vetustus, qui unicus Velleium conservavit: nec temere damnarim, hoc est *omnis etiam generis.* Heinsius.

Eodem fere sensu *que* usurpatur in illa jam omnibus nota loquendi formula: *Nobis sermo, isque multus, de te fuit.* Cic. Att. l. V, ep. 1. Ed.

CAP. VIII, §. 3. *Tum Athanis.*

Quando? et quo refers hoc *tum?* an ad olympiadem primam? Videtur ex serie sermonis. Tamen ratio aut certe auctoritas dissuadet: aliiqua volunt, archontes istos desiisse demum olympiadis septimæ anno primo. Ita clare Eusebius, et Dionysius Halicarnassæus, lib. I Antiquit., ubi de condita urbis Romæ. Aut benigne igitur laxeque interpretare, *tum*, id est, annis aliquot post; aut potius mecum cense hiatum defectumque hic esse, et periisse, quæ interseruit a prima olympiade ad sextam. LIPSIUS.

CAP. idem, §. 4. *Sexta olympiade.*

Fuerit annus *sextæ olympiadis tertius*, non *septimæ secundus;* sicut Scaliger scripsit, lib. V *de Emend. tempor.*, ubi *de primis urbis Palilibus* agit; quam commentationem omnino vide. Congruit Velleio Eutropius, Orosius, II, 4. Sigonius in Comment. Fast. accedit Dionysio, qui 7 olym. anno primo, post Ilium captum anno CDXXXIII, conditam prodidit, lib. I et II Antiq. Cæteras dissensiones chronologorum (inter quos non facilius unquam quam inter horologia convenit) prolixe habes apud diligentissimum Onuphr Panvin., Comment. in Fast. lib. I. Plerique cum Velleio nostro Varronem sequuntur; cujus ipsius tamen industriam conjecturis, non certis rationibus, niti existimat Scaliger. BECLERUS.

Ibid. *Parilibus.*

Propertius, IV Eleg. 4: « Urbi festus erat; dixere Palilia patres, Hic primus cœpit mœnibus esse dies. » BECLERUS.

Parilibus, recte editio Rhenani; vide Heins. ad Ovid. IV Fast. 721. BURMANNUS.

Palilia etiam antique dicta fuisse a Pale, dea pastorum, cui fiebant feriæ, docet Varro de L. L. V, 3. Sed mutato elemento *Parilia* dici volunt *a pariendo*, quasi *Pares* vocatur: alii malunt, a partu Iliæ. BIPONT.

CAP. idem, §. 5. *Latini avi sui.*

Obsecro, an *Latino* nomen fuit avo Romuli? quem testatissimum est Numitorem fuisse. Nisi tamen sententiæ rarioris adfectator Velleius, quam in Dionysio quoque habes: *natum Romulum ex Electra, Latini filia.* Sed vix opinor, et potius literulæ adtextu scribam, *Latinis.* Vult legiones fuisse e Latio. LIPSIUS.

CAP. idem, §. 6. *Quamquam jam.*

Planius commodiusque, si legatur: *quam, jam asilo facto i. d. l. auxit.* MANUTIUS.

Aliæ de hoc loco conjecturæ multæ, sed omnes post Heinsii correctio-

nem, *quamquam eam*, inutiles. Jacobsius, in præfatione germanicæ versionis, legit: *quamquam etiam*. Ed.

Cap. VIII, §. 6. *Raptus virginum sabinarum.*

Deperditi membri initium est; non, ut Vossio videtur, glossema ex margine huc translatum. Ed.

Cap. IX, §. 2. *Neque fratris initiis.*

Fratris initia, refer ad Attali Philadelphi operam, quam Romanis bello macedonico adversus Persen navavit. Nam bello adversus Nabidem Lacedæmoniorum tyrannum jam ante, et adversus Antiochum Magnum gesto, nulla ejus opera commemoratur ab historicis, quum Eumenes utroque bello Romanis auxiliator occurrat apud illos passim. Heinsius.

Cap. idem, §. 3. *Qui et prætor et consul triumphaverat.*

Ab antiquariis nostris (Sigonio et Manutio) erroris damnatur Velleius, aut exscriptor, nec unquam in prætura triumphasse Paullum. Ergo corrigunt: *Paullum, qui et priore consulatu triumphaverat;* sed ipsi corrigendi. Ego recte et vere aio a Velleio ita scriptum. Lapis Romæ (Gruter. p. 298, 2):

L. AEMILIUS L. F. PAULLUS COS. II. CENS.
AUGUR. TRIUMPHAVIT. TER.

Si ter triumphavit Paullus, quando primum, nisi in prætura? Nam duo alii triumphi manifesto in consulatu utroque intervenerunt: prior de Liguribus, hic de Perse. Triumphasse autem in prætura etiam Plutarchus satis argumento est, qui ait, missum Paullum *adhuc prætorem in Hispaniam proconsulari imperio, cum fascibus duodecim, ibi occidisse ad* XXX M *hostium;* in Livio, XVIII *millia* legas, libro XXXVI; sed nempe de solis Lusitanis. Si autem tot millia cæsa, nonne debitus triumphus? Immo et delatus, quod ex Livio ibidem colligas, qui mox addit, *decretam supplicationem, ob res ab Æmilio in Hispania gestas;* at ea semper fere dux triumphi. Sed et idem Livius de triumpho indicat in Epit. XLVI. Triumphavit ergo, et marmori ac Velleio hoc credamus. Adde et Suidam in Λεύκιος. Lipsius.

Cap. idem, §. 4. *Perseum.*

Primogenia editio, *Persam*. Malo, *Persen*. Ita postea etiam ejusdem editionis auctoritate scribendum est. Vossius.

Membranæ *Persam*, ut opinor, vere: sic ut *Perses* et *Persa* dicatur, quomodo *Æetes* et *Æeta*, *Orestes* et *Oresta*; ita *Philocteta*, et *Laerta*, apud Dictyn Cretensem, et sic infra scribendum quoque sit *regis Persæ*, non *Persei;* sed illic *Persi* verior forte est scriptura; ut *Achilles*, *Achilli*, et similia; sic *Orestes*, *Oresti*, Gellio, lib. VII, cap. 1; eidem *Sophocli*, *Euripidi*, *Demostheni;* et id genus alia passim, de quibus Vossius de Analog. II, cap. 9. Quamquam Valer. Maximus, *Persæ* dixit secundo casu, lib. VI, cap. 2; et Tullius in Agraria, II; sed et idem Valerius,

libro I, cap. 5, a Paullo Æmilio expeditionem adversus Persen meditanti omen acceptum, quod filia *Persam periisse* diceret, canem suum designans, enarrat. A. Gell. lib. VII, cap. 3: *Rhodiensis civitas Persa Philippi filio Macedonum rege amico usa est;* et mox ex oratione Catonis, *Persa rege victo.* Ubi tamen et *Persen regem* habet, non *Persam*, ibidem variis locis. Cicer. II Agrar.: *bella gesta cum regibus Philippo, Antiocho, Persa.* Nunc tamen persuadeor fere, ut credam *Persea* scriptum a Velleio, quomodo passim Livius quoque, non *Perseum. Perseus, Persei, Persi, Persea.* De simili derivatione nominum vide Gronov. l. IV Obs. c. 15 Mox c. 11: *Post victum captumque Persen*, bene prima editio, non *Perseum;* nisi et illic *Persea* malumus, Liviano more. Propertius, Elegia ultima libri IV: «Et Perseu proavi simulantem pectus Achillis.» Quem locum vir magnus Justus Lipsius Velleianis curis ad lib. I, cap. 6, temere sollicitavit. HEINSIUS.

CAP. IX, § 4. *Samothraciam.*

«Inclyta religionibus insula, nocentiumque asilum certum» (Plutarchus in Camillo) Hanc Servius, in illud Poetæ: «Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbes,» contra illustrissimum et omnia doctissimum virum a Samo distinguit: «Dardanus, ait, profectus ad Phrygiam Ilium condidit: Jasius vero Thraciam tenuit, ubi est Samos, quam et Samothraciam nominavit: nam alia est insula Samos, Junonis.» *Insulam Samum*, prodit Varro apud Lactantium, lib I, cap. 17, «prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique Jovi nupserit; itaque nobilissimum templum ejus est Sami, et simulacrum in habitu nubentis figuratum, et sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur.» Hinc Augustino, lib. VI de Civitate Dei: *dilecta Junonis insula nominata.* In Samothracia, quam Strabo et Diodorus, lib. IV, describit, tres aræ, quæ trinis diis (quas sustulisse et secum portasse Æneam firmat Servius) parent: MAGNIS. POTENTIBUS. VALENTIBUS.; de quibus Varro et Macrobius, lib. III. Lapis Murciæ in Hispania, *di magni Castor et Pollux.* SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 5. *Prætoris navalis.*

Prætorem navalem, recte quidem dici alias ostendam. Sed hic ita distinguere quasdam editiones video, ut *navalis* ad *triumphum* referatur; et certe ita Livius, lib. XLV, cap. 42: «Cn. Octavius kalendis decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit.» Et ita vertit gallicus Paterculi interpres, neque nobis displicet; quia vix videtur necessarium hic prætorem navalem vocare, quem paulo ante dixerat *classi præfuisse.* BURMANNUS.

Ibid. *Triumphi fuere celebres.*

De his triumphis consulendus Sigonius, Commeot in Fast. et triumph.

Rom., ad an. DXXCVI, de bello Illyrico contra Gentium, Flor. II, 13, et quos ibi nominavit Camers., item Zonaras, II, pag. 109. BECLERUS.

CAP. IX, §. 6. *Cujus tantum priores excessit.*

Intellige, *cujus triumphus.* ED.

Ibid. *Omnium ante actorum comparationem.... vicerit.*

Quippe, « cujus spectaculo triduum impleverit. Primus dies signa tabulasque; sequens, arma pecuniasque transvexit; tertius captivos, ipsumque regem attonitum adhuc, tamquam subito malo stupentem. » Flor. lib. II, cap. 12. SCHEGKIUS.

Quapropter in exemplum declarandæ rei triumphalis typisque æneis effigiandæ delectus est a diligentissimo antiquitatis romanæ vindice, Onuphrio, libello de Triumph. BECLERUS.

CAP. X, §. 1. *Olympieum.*

Recte: nam ita *Cæsareum*, *Augusteum*, et similia de templis dixisse constat. BURMANNUS.

Ibid. *Tum rex Syriæ.*

Vulgo, *regem Syriæ*. Rex Ægypti fuit Ptolemæus, Syriæ autem Antiochus: quod historiæ significant. Itaque *rex*, non, *regem*, omnino legendum, quod Livii indicat Epitome lib. XLV. Ptolemæus autem hic est, cui Philometori cognomen fuit; et *C. Popillium*, qui virgula Antiochum circumscripserit, non *Marcum*, Livius nominat. MANUTIUS.

Aut tria hæc verba spuria sunt, aut cum Aldo legendum: *tum rex Syriæ.* VOSSIUS.

Ibid. *M. Popilius.*

Immo, *C. Popillius*; quod suadent Polybius, Cicero, Livius, Valerius. Zonaras tamen M. Popillium etiam nominat; sed errorem ejus redarguunt facile testes, quos dixi, omni exceptione majores. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 4. *In concione.*

De his rebus erudite tractat Onuphrius, lib. de Triumph. supra laudato. BECLERUS.

Ibid. *Extra urbem.*

Ad Bellonæ, juratus. SCHEGKIUS.

Ibid. *Si quis eorum invideret operibus.*

Opera, res gestæ. Ita πράξεις et ἔργα usurpant Græci. Florus statim in

proœmio : « Populus romanus septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit. » Boxhornius.

Cap. X, §. 5. *Et quidem consors.*

Proprie *consortes* sunt coheredes, qui communi et nondum diviso patrimonio pariter utuntur, dicti. Sic Horat. III, od. 24 : « ... Quum perjura patris fides Consortem, socium, fallat et hospitem. » Ita disjunctim legenda illa, non *consortem socium*, ut recte Passerat. ad Propert. lib. I, 21. Scholiastes Crucquii vero eleganter exponit *consortem*, *in asse*, id est, qui totam hereditatem cum alio pro communi possidet, et ita Varr. lib. V de L. L. p. 57 : « Consortes, ad quos eadem sors pertinet. » *Sors* autem est hereditas. Unde Festus *dissortiones* explicat, *divisiones patrimoniorum inter consortes*; et ita cape illa Claudii apud Sueton. 28 : « abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur. » Hinc ad alias conjunctiones transferri jam notatum aliis. Burmann.

Cap. XI, §. 1. *Libera custodia.*

Credo sic dictam, sive quod intra certos terminos libera ambulatio permissa, sive ad discrimen carceris : quia in hunc scelera, flagitia, atque servili pœna dignissima fæx conjiciebatur; in illam non nisi qui alicujus dignationis liberalique pœna digni; senatores nimirum vel duces captivi. Colligitur ex Ciceronis Bruto : *Domi*, ait, *teneamus eam septam liberali custodia*; et Sallustii Catilinario. Schegkius.

Liberis custodiis Romæ quidem magistratuum aut senatorum domus adhibitæ; sed et munitioribus oppidis per Italiam captivi honoratiores sæpe servabantur. Livius XLV : « Patres censuerunt, ut Quintus Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret. Bitis, regis Thracum filius, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Cæteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. » Adde cap. 43; de *Alba* etiam lib. XXX, cap. 17, exemplum habemus, ubi capto Syphace, « consulti patres, regem in custodiam Albam mittendum. » Ratio apud Strabon. V, duplex redditur, « quoniam in penetralibus regionis sita Alba, et præterea probe munita esset ». De libera custodia egit Lipsius ad Tacit. VI, Ann. III, 4, et Savaro ad Sidon. lib. I, epist. 7. Beclerus.

Ibid. *Pseudophilippus.*

Florus, II, 14, quosque Camers. indicavit. Beclerus.

Tacitus, Annal. XII, 62; Liv. Epit. XLIX; Amm. Marc. XIV, 11. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Magnum Alexandrum.*

Arrian. I; Justin. II, 6, 13. Pro *impetrasse a Lysippo*, cl. Freinshemius noster ad Curt. III, 11, 27, legit, *imperasse Lysippo*. Beclerus.

Posset quidem ex morositate et difficultate excellentium sæpe artificum lectio vulgata defendi, quæ in codice primigenio clare exstat; sed quia Arrianus, lib. I, de Exped. Alex. cap. 17, dicit Lysippum fecisse has statuas, κελεύσαντος Ἀλεξάνδρου, accedo emendationi Freinshemii. Ita sæpe hæc verba *imperare* et *impetrare* confusa a scribis. V. Quintil. Decl VI, 23.
BURMANNUS.

CAP. XI, §. 6. *Cum inimicis contentiones.*

Cum Scipione Africano: quas inter calamitates Metelli ducit Plinius. Cicer. in Officiis, *sine acerbitate dissensionem*; Valer. *graves testatasque*, vocant. Recte *testatas*, quasi quæ literarum testimonio signatæ, moris ex simplici et antiqua recepti vita, qua publice, qua privatim inimicitias denuntiare: de quo literarum decus ad Tacitum. Hoc addi velim, amicitiam qui renuntiabat, etiam interdicebat domo. Tacitus, lib. V: « Sed Cæsar, missis ad senatum literis, disseruit morem fuisse majoribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eum finem gratiæ ponere. » Et ut publice fecialis, ita quandoque privatim præco. Clemens Alexandrinus: « Amicitiam, quam diu coluerat, misso præcone renuntiavit, non quod pœniteret, sed quod fortunæ statim pertimesceret. » Simile quid mihi lectum in Petronio, quod jam nunc non succurrit. SCHEGKIUS.

Sic et se offensionum pro utilitate publica non pavidum jactat Tiberius lib. IV Ann. Taciti, c. 38, ad quem locum nos plura hac de re. GRUTERUS.

CAP. XII, §. 3. *Virtutibus simillimus.*

Novissime cusi, *similibus*, non tam editoris cura opinor, quam operarum incuria. Lib. II, c. 6: « Qui Tib. Gracchum, idem Caium fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quam huic errori similem. » Tamen ibidem placuit aliquando magis, *tam virtutibus*, *ei*, (sive etiam *ejus*) *omnibus*, *quam hoc errore similem*; nunc abstineo. ACIDALIUS.

Ibid. *Omnibus belli ac togæ dotibus*, *ingeniique ac studiorum eminentissimus.*

Nihil addendum nec mutandum, sed virgula post *studiorum* interponenda. Nemo ante Ruhnkenium de hoc loco sollicitando cogitavit. ED.

CAP. idem, §. 5. *Temporis noxiæ.*

Quam ullius ejus temporis noxiæ, editio prima. Recte: hoc vult enim, nullam a Carthaginiensibus datam fuisse sat justam tertio bello punico Romanis secum decertandi caussam. *Ullius noxæ*, sc. invidia, quod præcedit; *noxæ* enim malo, quam *noxiæ*. Dido apud Nasonem: « Invidiam noxæ detrahit ille meæ. » *Noxa* enim culpa, crimen; *noxia* damnum: sic *noxiæ fore*, Liv. lib. X, 19. Carthago magis invisa nomini romano ob veterem invidiam, ac æmulationem imperii, quam ullius eam sub tempestatem noxæ. HEINSIUS.

Noxa et *noxia* ab auctoribus confundi solent : si quod tamen discrimen habendum sit, pæne ausim Burmanno contradicere ; nam apud comicos, purissimi sermonis auctores, et apud quos vere lectionis plerumque fidem facit versus mensura, *noxia* sæpius quam *noxa* pro *culpa* accipitur. Ter. Hec. II, 3, 3 : *Quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.* Eun. V, 2, 13 : *Unam hanc noxiam mitte.* Plaut. Bacch. IV, 9, 81 : *noxia carere ;* et multa similiter. Maneat itaque Velleii prisca manus. Distingue post *noxiæ*, et hunc locum, si libuerit, confer cum præcedenti, similiter sed frustra tentato, item cum alio, I, 16, 4, quem Ruhnkenius feliciter restituit. Elliptici genitivi Nostro sunt in deliciis. Ed.

Cap. XII, § 5. *Annis* dclxvii.

Abit a se Velleius, si scriptura sincera. Supra enim monuit lxv ann. Carthaginem ante Urbem conditam ; igitur exactius constaret cum Eutropio, qui dclxx annos exprimit. Pugna quoque de tempore hujus secundi bellici punici. Livii Epitoma cum Orosio et Eutropio initium ponit alterum et sexcentesimum annum U. c., et intra quintum postquam cœptum, consummatum. Dissentiunt Fasti, quibus U. c. ann. dciv. Hæc curatius tractare fastographorum est. Schegkius.

Cap. idem, §. 7. *Adeo odium.... ne in victis quidem deponitur.*

In victis non movendum, nam ita veteres loquebantur. Just. I, 5 : *animum minacem duntaxat in illo fregit.* Burmannus.

Ibid. *Neque ante invisum esse desinit quam esse desiit.*

Nihil mutandum, sed cogitatione supplendum *invisum quicquam*, et sententia pro generali habenda, ac si scriberetur : « Neque invisum quicquam ante desinit esse invisum, quam omnino esse desiit. » Ed.

Cap. XIII, §. 1. *A. Mummius.*

Prænomen in MS. desiderabatur, sed ejus loco erat minusculum *a*. Quod an non plane delendum sit, ambigo : nam et alias prænomen omittit Velleius ; nisi ubi eum et collegam simul nominat. Sed de hoc non est pugnandum. Vossius.

Pro *a Mummius* quod in codice legebatur, recepit in textum Krausius, auctore Herelio, *et Mummius*, quod interpretandum *Mummius quoque.* Placet ; nam et elementorum forma simillima est, et prænomen redundabat. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Novis hominibus.*

Ecce, disertim inter novos homines Mummium ponit Velleius. Atqui

Valerius Maximus, l. VI, c. 4, *ut nobilem, ita enervis vitæ*, dicit. Sed non dubium mihi est, quin apud eum, *ignobilem* rescribi debeat. Vossius.

Cap. XIII, §. 3. *Polybium.*

Ineptissimus est Maccius, qui inter alia, quæ in Polybium congerit convitia, *datum fuisse pædagogum Scipioni nostro*, calumniatur, meritus hac vanitate censuram calami Vossiani in Arte Histor. cap. 22: scilicet adjutor maximarum rerum manu consilioque, et a prima adolescentia rebus gerendis adhibitus, pædagogi nomine contemptim dicetur. Ammian. Marc. XXIV, 7: « Legerat (Julianus) Æmilianum Scipionem, cum historiarum conditore Polybio Megapolitano Arcade, et triginta militibus, portam Carthaginis impetu simili subfodisse; » unde facile deprehendimus, præcipuorum Scipionis operum socium et adjutorem fuisse Polybium. Cujus equidem prudentia gerendarumque rerum peritia, cum præcellente ingenio veluti certat in gravissimo historiarum opere: quod, singulari instituto politicæ informationis atque disciplinæ, omnium inter Græcos industriam superat. Becleros.

Ibid. *Panætiumque.*

Tullio IV de Fin. 9, vocatur *homo inprimis ingenuus et gravis*, *dignus illa familiaritate Scipionis et Lælii Panætius*. Becleros.

Ibid. *Elegantius.*

Recte Acidalius remotam vocis significationem observat. Ita Livius, lib. XXXV, 14, de Pyrrho dicit, *neminem elegantius loca cepisse*, *præsidia disposuisse*, id est, ut hodie loquerentur, majore cum judicio et electu, et cap. 31: *Zeno ex principibus unus*, *magnæ ob elegantar actam vitam auctoritatis*. Cicer. III ad Fam. 8: *quid elegantius a me fieri potuit;* et ita passim. Burmannus.

Ibid. *Dispunxit.*

Verbum solenne nummulariorum, et qui medium Janum adsident. Seneca, lib. IV de Benefic. cap. 31: *Apud me istæ acceptorum*, *expensorumque rationes dispungentur*. Hinc Tertulliano: *Deus meritorum judex et dispunctor*. Liberalia vero Scipionis studia ex historicorum, et passim Ciceronis libris abunde in mundo; de quo fertur, dixisse, *nunquam se minus otiosum esse*, *quam quum otiosus; nec minus solum*, *quam quum solus*: magnifica vox et magno viro aè sapiente digna. Schefferus.

Cap. XIV, § 1. *Statui priorem hujus voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in artum contracta distinguere.*

Observa. Ergone in priore libelli hujus parte catalogus similis? ipse palam dicit. Sed quæ fuerit hujus voluminis prior pars, id vero non li-

quet. An cœpit ab Urbe condita? an potius ab ea capta? Hoc ego crediderim, ratiocinatione facta ex mole et congerie rerum. Ibi igitur opportune colonias recensuit, sed eas duntaxat, quæ deductæ a nata urbe ad eamdem a Gallis captam. Fuerunt autem numero septemdecim, notæ omnes et pleræque inclytæ. Favet nostræ conjecturæ hoc, quod, nisi illic recensuisset, cur hic omitteret? cur de industria et testato ordinetur, *post septem annos, quam Galli urbem ceperunt?* Sane omissio illa aliter prætexi aut excusari non potest. Lipsius.

Mirum, quantopere hic hæsitarit summus vir Justus Lipsius. Desiderare se ait priorem illam partem, ubi auctor noster similiter colonias enumeraverit, quæ ante Romam a Gallis captam sint deductæ. Statuit igitur, Velleii historiam olim in plures, quam duos fuisse libros divisam. Ego plane ab ejus sententia recedo; et faciunt pro me hæc ipsa Velleii verba, e quibus ille se explicare non potuit. Sensus est: Statui hic abrumpere priorem partem operis mei, ordirique posteriorem, ubi inseruero quædam de temporibus coloniarum. Unde ipse postea Velleius ait, particulam hanc operis formam propositi excedere. Itaque vere ἐκβασιν, sive excursum dixeris, quæ hinc usque ad initium libri posterioris sequuntur. Voss.

Cap. XIV, §. 1. *Deducta sit colonia.*

Totam hanc egressionem Velleianam veluti commentario illustravit Sigonius de Antiq. Jur. Ital. lib. II, sicut, quæ de *militaribus* mox dicuntur, lib. III; ubi et supplet, quam Velleio præterire placuit, *militarium coloniarum recensionem.* Ex hoc scriptore et Pighii Fastis petantur ea, quæ explicando Nostro idonea huc transcribenda neutiquam judicavimus. Beclerus.

Ibid. *Nam militarium et caussæ, et auctores, et ipsorum præfulgent nomina.*

Ex ipso præfulgent nomine corrigendum, ni fallor. Militares enim coloniæ, ut serius deductæ, utpote a Sulla, triumvirisque, divisque Julio ac Augusto, aut deductorum nomina plerumque præferebant, aut legionum, e quibus essent deductæ. Sic *Colonia Julia*, *Colonia Augusta*, *Colonia Octavianorum*, *Decumanorum*, *Sextanorum*, atque ita porro; *caussæ* autem ex *ipso præfulgent nomine*, quia militares dictæ, hoc est veterano militi in præmium assignatæ. Heinsius.

Cur non, ex *ipsarum præfulgent nomine?* Burmannus.

Ibid. *Civitates propagatas.*

Lipsius singulari numero scripsit, *civitatem propagatam*, accepitque de Romana; quid si non alieno sensu nobiscum legatur, *civitatis res propagatas?* Sed nos nihil mutandum censemus. Lectio vulgata et plana est et elegans. Vult Velleius, deductis passim coloniis, per varias terrarum partes propagatas, id est conditas vel prognatas, civitates fuisse. Boxhornius.

Lipsius voluit *civitatem propagatam*, scilicet *de jure civitatis dato*, sicuti passim sequitur. Videtur tamen idem sensus e lectione usitata (quam non temere mutare debemus) prodire: quidni enim *propagantur civitates*, *dum communione juris romani civitates denuo quasi fiunt*: id est, tales, sive romano jure gaudentes? Bæclerus.

Facit, ut vulgatam lectionem tueamur, primum quod fidem manuscripti codicis religiose colamus, deinde quod non modo stirps unde propagines educuntur, sed ipsæ propagines latine dicantur *propagari*, ut metaphorice in illis Ciceronis in Ver. VII, 179: «Quum ipse sui initium generis ab se gigni et propagari vellet.» Top. 69: «Bona, ex quibus plura bona propagantur.» Ut igitur, *civitatem romanam propagari*, ita *plures ab illa civitates propagari*, haud insolenter dici potuit. *Civitas* vero est *civium communio*, quod etiam de coloniis a civibus habitatis verum est; itaque Cicero, pro Muræna, cap. 23, «homines in suis civitatibus et municipiis gratiosos,» scripsit. Ed.

Cap. XIV, §. 2. *Post septem annos.*

Diodorus Siculus altero, a capta urbe Roma a Gallis, anno, Sutrium coloniam commemorat. Quare suspicor hic librariorum vitio *Sutrium* male scriptum, pro *Satricum*, quo sexennio post a senatu deducta colonia est: missa civium rom. millia duo; bina jugera et semisses agri adsignati, anno Urbis cond. CCCLXXI, qui in Fastis Capitolinis annus, ni fallor, CCCLXIX numeratur; Livius, lib. sexto Annalium. Deceptus igitur Car. Sigonius, vir cæteroquin accuratissimæ diligentiæ; qui, Annotat. ad Livii XXVII, negat annum ab eo expressum coloniæ constitutæ Satrici. Quod non reprehendendi, sed docendi gratia moneo: ne quem forte tanti viri, quæ summa est in literis, auctoritas frangat. Rursum *Satrici*, anno CCCLXXIV a Prænestinis expugnatæ, meminit Livius; iterumque anno CDXXV, libri noni. *Sutrium* vero nominat, lib. XXVII et XXIX, inter duodecim colonias, quæ de XXX bello punico secundo opem Romanis postulantibus negaverunt, nimirum, Ardea, Nepet, Sutrium, Circei, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Cales, Narnia et Interamna. Duodeviginti vero coloniæ copiis fortunisque præsto fuerunt: «Signia, Norba, Saticula, Brundusium, Fregellæ, Luceria, Venusia, Hadria, Firmium, Ariminum, Pontia, Pæstum, Cossa, Beneventum, Æsernia, Spoletum, Placentia et Cremona.» A. Schot.

Ibid. *Nepe.*

Livio et Plinio *Nepet.* Schefferus.

Lego, *Nepet.* Ita scribendum ejus urbis nomen, docent Charisius ac Priscianus; nec aliter apud Livium, aut Plinium, legas. Ptolemæo est Νέπετα. Interim, ut hoc dubitem, facit Procopius, lib. XV Rerum Goth. cui urbs hæc Νέπα vocatur. Immo et similiter *colonia Nepensis* dicitur Frontino; nam a *Nepet*, fit *Nepetensis.* Vossius.

Cap. XIV, §. 3. *Campanis data est civitas.*

Immo ante data, si Livio fides. l. VIII: « Campanis equitibus, honoris caussa, quia rebellare cum Latinis noluissent, sine suffragio civitas data. » Id ipse refert in consules L. Furium, C. Mævium; essetque quadriennium ante Velleii notam. Sed enim Livius ibi signate de equitibus tantum commemorat, Noster de Campanis universis. Illi ergo beneficio hoc priores affecti. Lipsius.

Ibid. *Eodem anno Cales.*

Confundit duos consulatus Postumii et Veturii, et a seipso dissentit; nam anni cccl, quos dicit abhinc esse, numerantur Sp. Postumio Albino i (ii), Veturio Calvino iterum coss., anno cdxxxiii, at non tum Cales colonia deducta est, sed iisdem primum coss., id est, anno cdxx, ut refert Livius, lib. VIII. Popma.

Cap. idem, §. 4. *Interjecto deinde triennio.*

Consule et ad hunc locum amicissimi Pighii elaboratissimos Fastorum libros; quos quum morte præventus non absolverit, manebit perpetuo imperfecta Venus illa historica. Gruterus.

Ibid. *Alexandria.*

Rursus turbat calculum, et non a Livio tantum, sed ab aliis omnibus chronologis fastisque Capitolinis dissentit. Diodorus Siculus Alexandriam conditam dicit olympiadis cxii anno secundo, Sp. Postumio, T. Veturio coss.; Solinus, anno sequenti, L. Papirio, C. Pœtelio coss., quos sequuntur A. Cornelius Cossus, Cn. Domitius Arvina, quibus coss., censores Q. Publilius Philo, et Sp. Postumius Albinus civitatem Acerranis dederunt. Sed in hoc minus culpanda oscitantia Velleii, quam Livii, qui septennii totius intervallo aberravit, et tunc urbem condidisse retulit Alexandrum, quem multo ante dixerat obiisse. Popma.

Livii error inde natus est, quod inter T. Veturii, Sp. Postumii, an. cdxx, et A. Cornelii, Cn. Domitii, an. cdxxii, consulatum, omisit L. Papirium Cursorem, C. Pœtelium coss. an. cdxxi, quorum ad tempus referre debuerat conditam Alexandriam, non ad annum cdxxviii: confer Livii interpretes. Sed a Velleio diserte interjecti tres anni, ubi nostris in fastis unus tantum reperitur, nunquam nisi difficillime expediri poterunt. Ed.

Ibid. *Acerranis data civitas.*

Cn. Domitio, A. Cornelio iterum cos. Eadem de re Patavinus scriptor, lib. VIII. Ex Festo, nunc municipium, nunc præfectura, Acerræ: Frontino colonia est. Hi censores lustrum xxiii condidisse putantur, et consules antea fuerunt: Q. Publilius Philo quidem cum Ti. Æmilio Mamercino, ann. cdxv; Postumius vero, ut jam dixi, cum T. Veturio. A. Schot.

CAP. XIV, §. 4. *Luceria.*

Decennio toto Livius dissentit. Quid ista fastidiose colligam? Commentarius proprius huic rei instituendus sit: quam tamen satis industrie libarunt Sigonius et Onuphrius, boni vindices rerum romanarum. LIPSIUS.

Ibid. *Interjecto triennio.*

Dissentit a Livio, qui post Luceriam insequenti anno Sinuessam deductam scribit, et Interamnam eodem anno, quo Satriculum, atque ita istas tres deductas L. Papirio Cursore V, C. Junio Bruto Bubulco II coss., anno CCCCXLI. POPMA.

CAP. idem, §. 6. *Interjectoque biennio.*

Ne hoc quidem quadrat. Non enim inter Q. Fabii V, et P. Decii IV et M. Curii, P. Rufini consulatus anni sex intererant, sed tantummodo quatuor, ut, præter fastos et chronologos, testatur Cicero in Catone his verbis: *Vixerat M. Curius cum P. Decio. qui, quinquennio ante eum consulem, se pro republ. quarto consulatu devoverat;* ubi quinquennio annumeratur annus consulatus ipsius Decii et relinquitur interjectum quadriennium. Quod sequitur, *abhinc annos ferme* CCCXXX, nimium discrepat. Quippe Rufinus et Curius coss. anno CDLXIV, Vinicius cos. anno DCCLXXXIII: ergo intercedunt anni CCCXIX. POPMA.

CAP. idem, §. 7. *Beneventum.*

« Colonia quum deduceretur, appellari cœptum melioris ominis caussa; namque eam urbem antea Μαλόεντα appellarunt.» Festus et ibi divine Scaliger. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 8. *Firmum et Castrum.*

Castrum novum a Livio nominatur, lib. XXVI, inter maritimas colonias, meminitque *Firmi*, lib. XXVII; Epitoma vero, lib. XI, coloniam deductam an. CDLXV significat. Sed Paterculi potius calculum probat Onuphrius Panvinius, qui atque deductam an. circiter CDXXCIX. Nondum enim anno CDLXV, victi Tusci in romanam potestatem concesserant, ut colonia constitui potuerit. A. SCHOT.

Ibid. *Postque* XXII *annos.*

Mendosus locus: repono XVII; aliter, ut Lucilii verbis utar, *perversa æra et summa subducta improbe.* Jam inde enim a primi belli punici exordio ad Sempronium et Manlium Torquatum coss., vix viginti anni numerantur in tabulis illis in Capitolio Romæ collocatis, quarum certissima annorum ratio esse putatur. Equidem sic conjeceram, et post eadem Car. Sigonio, in Livii lib. XXVII, in mentem venisse magna cum voluptate legi. A. SCHOT.

Cap. XIV, § 8. *Fregellæque.*

Emendo (post Sigonium) *Fregenæque* ex Epitome Livii, lib. XIX : « Coloniæ deductæ sunt, Fregenæ, in agro salentino Brundisium. » Mentio exstat et initio libri XXXVI Livii inter maritimas colonias, quas vacationem rei militaris non habere decrevit senatus. A. Schot.

Ibid. *Floralium ludorum factum initium.*

Plin. lib. XVII, cap. 14 : « Floralia xiv kal. maii, ex libris Sibyllæ, ut omnia bene deflorescerent, instituta. » Eadem et L. Postumio Albino, M. Popillio Lænate coss. an. dlxxxi celebrata, discas ex Ovidio, V Fastorum, 329 : « Annuimus votis, consul cum consule ludos Postumio Lænas persoluere mihi. » Varro, I de Re rustica : « Robigus ac Flora : quibus propitiis, neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent. Itaque publicæ Robigo feriæ, Robigalia, Floræ ludi, Floralia instituti. » A. Schot.

Cap. XV, §. 3. *Quamquam.... ambigitur.*

Recte hoc addidit. Livius enim annis undeviginti ab hoc calculo discrepat, qui, lib. XXXIV, P. Africanum iterum, Ti. Sempronium Longum coss. edit, Urbis cond. an dlx. A. Schot.

Ibid. clxxxvii.

Emenda clxxxv. Burmannus.

Ibid *Cassius censor.*

Consentiunt Velleius et Appianus, lib. I Bellor. Civil. Uterque censori Cassio theatri ædificationem, Scipioni consuli demolitionem tribuit, at Valerius Maximus, lib. XI, c. 4, a Messalla et Cassio censoribus theatrum inchoatum, Epitoma Liv. lib. LVIII, et Fasti Capitolini, a Scipione Nasica dirutum post consulatum, circa annum dcii. Augustinus, de Civitate Dei, lib. I, c. 32, a Scipione pontifice destructum refert; quem ratio temporum refellit : nam Scipio, qui fuit pont. max. anno dcxx, quinquennio post consulatum, quem cum Bruto Gallæco gessit, habuit cognomen *Serapionis*, cujus pater P. Scipio Nasica. Popma.

Ibid. *A Lupercali in Palatium versus.*

Genus loquendi antiquum, quo optimi auctores utuntur. Sallust. *Catilina in Galliam versus.* Cicero, in Lælio : *Primum instituit in forum versus agere cum populo;* quod Plutarchus in Gracchis dixit. Πρῶτος τότε στραφεὶς ἔξω πρὸς τὴν πρὸς ἀγορὰν δημηγορῆσαι; sed Cicero C. Crasso, Plutarchus C. Graccho tribuit. Popma.

Cap. XV, §. 3. *Cui in demoliendo eximia civitatis severitas, et consul Scipio restitere.*

Nulla mutatione, conglutinatis saltem, quæ dissiliere, syllabis, malo, *cui inde moliendo*; id est, quum jam in eo esset, ut moliretur. Acidalius.

Lege, *cui inde moliendo*, pro deinde: nam quod volunt *demoliri* positum pro *moliri*, in eo fallunt et falluntur. Nec felicius a Lipsio castigatum, *in emoliendo*; miror equidem tot tantosque viros hic dormitasse. Heinsius.

Acidalii conjecturam recepit Bipont. Gruterus conjiciebat, *id demoliendo*, ut compositum pro simplici caperetur; sed minus a loquendi consuetudine recedit Acidalius, si *inde* pro *deinde* accipias. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Sallues.*

Gryphii liber (et Onuphr.), *Sallyes*; nos *Salyes*, e Strabone, lib. IV et Obsequente. Plinius tamen, lib. III, c. 4, *Sulyos* nominat; Florus et Epitome Liviana, *Salvios*. Manutius.

Ibid. clvii.

Emenda cum Lipsio, clii. Raphel.

Ibid. *Carthago primo in Africa.*

De hac colonia Plinius, libro et cap. 5; Appianus, I Bellor. Civilium; Plutarchus in Gracchis. Epitoma Livianæ Historiæ, lib. LX: « C. Gracchus, continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, et una in solo dirutæ Carthaginis, quo ipse triumvir creatus, coloniam deduxit. » Plutarchus XII colonias ait a Druso deduci jussas, decem Appianus; quas esse has Onuphrius Sigoniusque conjecerunt, *Scyllatium*, *Minervium*, *Tarentum*, *Neptuniam*, *Derthonam*, quas nominat Velleius noster; item *Nolam*, *Ariciam*, *Lavinium*, *Abellinum*, *Ferentinum*, *Tarquinios*, *et extra Italiam Carthaginem*. Post, ut ait J. C. lib. L Pandect. tit. XV, cap. 8: *In Africa Carthago*, *Utica*, *Leptis magna a divis Severo et Antonino juris italici facta sunt.* Diciturque Viennæ hujusmodi inscriptio lapidea: nec. col. kar. i. d. d. d., quod nescio an Carthagini novæ in Hispania attribuatur. A. Schot.

Ibid. *Ut prædiximus.*

Nec dixit, nec opportunitatem dicendi ullam supra habuit. Raphel.

Sed in secundo libro dicet, unde Bipontinus editor non immerito colligit, tractatum fuisse hunc locum, jam opere absoluto, ac deinde inter duos insertum libros. Ed.

Cap. idem, §. 5. cliii.

Lipsius credit legendum, cxlvi. Raphel.

CAP. XV, §. 5. *Tres et viginti.*

Lege, XVIII. MANUTIUS.

Error calculi manifestarius, vel legend. *tresdeviginti* : nam XVII intercedunt anni inter M. Porcium Catonem, Q. Martium Regem coss. anno DCXXXVI, et C. Marium VI, L. Valerium Flaccum coss. anno DCLIV.
POPMA.

Legendum arbitror : *deducta colonia*, *et post duodeviginti annos in Bagiennis Eporedia*. Quod primo distinctionem mutaverim, et pro *est* reposuerim *et*, facile probabit, qui coloniarum hunc catalogum legerit: mox etiam scribendum, *duodeviginti*, non, *tres et viginti*; quod monuerant etiam Pighius in Annalibus Romanorum, et Philippus Cluverius in Italia Antiqua. VOSSIUS.

Ibid. *Nisi militaris.*

Videtur ergo duo genera colonarium facere, civilem et militarem: illam dicere, quæ ex civibus togatis et miscellis deducta; hanc, quæ e legionibus cohortibusve, quum militia scilicet defunctæ collocabantur in oppidis et agris, et id quasi præmium habebant sanguinis pro rep. fusi; sed tamen Velleius, quidquid excuset, ne togatas quidem illas cum cura satis enumeravit. Video omissas in hoc recensu colonias ad XIX, et quasdam ex iis vel maxime illustres: e Livio disces. LIPSIUS.

De coloniis militaribus Frontinum lege et Car. Sigonium, qui omnis antiquæ doctrinæ promus condus est, lib. III de Jure Italiæ, cap. 4; de coloniis vero extra Italiam, Onuphrium Panvinium, lib. III Reip. Rom.
A. SCHOT.

CAP. XVI, §. 1. *Quum hæc particula.... tam præcipiti festinatione.... pronive gurgitis ac verticis modo... signem stilo.*

Miras hic ampullas videmus, et prorsus declamatore dignas; quas in historico quis ferat? Est præterea tam alienus totius operis proposito iste, a quo sibi temperare non potuit, excursus, et cum iis quæ præcesserunt tam male connexus fatiscit, ut nullo modo venia sit dignus, quam tamen indulsit ei Bœclerus not. ad h. l., sed, ut nobis quidem videtur, nimium patienter. Adde quod in ipso contextu operis, l. II, c. 36, ejusdem materiæ pars aliqua tractabitur, ubi, si usquam, locus huic digressioni commodus fuisset. ED.

CAP. idem, §. 2. *In eamdem formam.*

Nempe temporis. Accipe *formam* pro *spatio determinato*, ut supra *propositi formam operis*. Mox *congruere*, non *congruens*, manifesto legendum, auctore Heinsio. *Capso* ex codice manuscripto Vossius restituit. (*Capsus* est septum sudibus factum. Hesych. Κάψοι, οἱ τοῖχοι. Adi Salmas.

in Spart. Hadrian. cap. 12, et in Vopisci Proculum. CELLARIUS.) Post *nihilominus* virgulam recte putat inserendam Ruhnkenius, quam in textum recipere nullo reclamante potuisset. *Separata ab alienis*, intellige, se sponte ab alieni generis animantibus segregantia. *Quæque*, non *quoque*, certa lectio est, quamvis repugnante manuscripto. *Similitudinem*, retinendum; nihil enim est cur sextum casum a Ruhnkenio propositum desideres: immo sic loqui debuit qui paulo infra dixerat, *in idem congruere spatium*. *Temporum et profectuum*: nempe simul floruerunt et artem suam expoliverunt, quod infra c. 17, 5, rursus exprimitur: *et in studium par et in emolumentum*. Sensus intricatæ periodi sic expeditus patet. Nunc de tota, quanta est comparatione si judicium ferre licet, bis peccat; primum quoniam ignobilis, deinde quod parum opportuna et nimis ex longinquo petita, ægre huc pertracta videatur. ED.

CAP. XVI, §. 3. *Novam comicam.*

Tò *comicam* delent Aldus et Lipsius. Tu scribe, *at nova comica*. Ita quippe corrigendum satis evincit subsequens *imitanda*, pro quo perperam illi *imitandam*. *Comicum* quicquid ad comœdias pertinet; sic *comicum artificium* Ciceroni. HEINSIUS.

Fortasse melius subaudias *artem*: ut *rhetorica*, *poetica*, *dialectica*, absolute dici solent. ED.

Ibid. *Neque imitanda reliquere.*

Estne quisquam ita hebes animo sive, sive oculis, *imitandam* qui videre nequeat scribendum? ACIDALIUS.

Frustra emendant, *imitandam*. Nam illud, *imitanda*, capiendum, ac si neutri sit generis, ut subaudiatur *opera*. Sic paulo post: « Reperiet eminentia cujusque operis artissimis temporum claustris circumdata. » VOSSIUS.

Warburton, in Bibl. Brit. t. VII, p. 264, legit *emendandum*. Forte *immutandam*, quippe quæ obtinuit deinde, nec, ut prisca, mutata transiit in novum genus. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 4. *Socratico ore.*

Manilius, lib. II, de Homero: « .... Cujusque ex ore profusos Omnis posteritas latices in carmina duxit. » Frustra igitur mutant, *rore*. VOSSIUS.

Optima, nec tentanda lectio. Cic. I de Orat. 10, vocatur *fons et caput philosophorum Socrates*; de Nat. Deor. 34, *parens philosophiæ*, cum quibus cæterorum passim elogia consentiunt. Hieronymus plane ad Nostri figuram congruit *in Apolog. pro lib. adv. Jovin.*: *Legite Platonem*, *Theophrastum*, *Xenophontem*, *Aristotelem*, *et reliquos*, *qui de Socratis fonte manantes diversis concurrere rivalis*. BOECLERUS.

CAP. XVI, §. 5. *Ut nemo memoria dignus.... nequiverint.*

Duæ negationes pro una, Græcorum more; *nemo nequiverit*, pro nemo quiverit. Plura exempla notavi alias, de usu antiquæ locutionis. POPMA.

Somniasse videtur doctissimus vir: nam hic, ut plerumque apud Latinos, duæ negationes affirmant. ED.

Ibid. *Nequiverint.*

Lege, *nequiverit.* MANUTIUS.

Vulgatam tamen non damnat Sylburgius. RAPHEL.

Neque hic mutandus numerus. Ita enim solent latine loquentes, ubi *alter* geminatur; sic infr. II, 19: « Quum Marius adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio. » Livius, XL, 46: « Nec tantum reipubl. prosit, quod omnibus nobis egregie placetis, quam quod alter alteri displicetis, nocent. » Justin. XV, 2: « Dum auxilium ferre alter alteri volunt. » Virg. II, 667: « Alterum in alterius mactatos sanguine cernam. » Ovid. in Ep. II: « Alter in alterius jactantes lumina vultum, Quærebant taciti, noster ubi esset amor. » Et ita *alius alio more viventes*, Sallust. Catilin. 6, recte vindicavit Rivius et illustravit exemplis. BURMANNUS.

CAP. XVII, §. 1. *In Accio circaque eum romana tragœdia est.*

Primo vetustus codex *in Accio* exhibebat, quod retineri debuit. Nam Accius et Pacuvius principatum tragœdiæ sub illa tempora sibi vindicabant. Quin immo horum dramata multo post, Neronianis quoque temporibus, quotidiana in scenis exhibebantur, non sine multo applausu, ut ex Suetonio patet; quamquam, post Pomponii Secundi et Annæi Senecæ dramata exhiberi in theatris sub eamdem tempestatem cœpta, frigere paulatim magis ac magis cœperunt ac contemni. Innuit et Martialis non defuisse sua ætate, qui hos ipsos multum admirarentur: « Attonitusque leges terrai frugiferai, Accius et quicquid Pacuviusque vomunt. » Ipsi tamen Pacuvio Accium aliquanto duriorem visum e Gellio liquet, Noct. Att. libro XXII, cap. 2. Cæterum utrumque et alii conjungunt, Gellius in primis frequenter; Noster ipse libro II, cap. 9, quo modo et illic scribendum: « Clara etiam per idem ævi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragœdiis Pacuvii atque Accii, usque in græcorum ingeniorum comparationem evecta. » HEINSIUS.

Ibid. *Per Cæcilium, Terentiumque, et Afranium.*

Ergo Plautum inter laudabiles comicos omittis? Quo tibi mens, quæ ante recta? Sed judicio hoc factum, non neglectu aut contemptu: quia Plautus paulum istis major, nec fecerit ad Velleianæ opinionis firmamentum. LIPSIUS.

CAP. XVII, §. 2. *Historicos (ut et Livium quoque priorum ætati adstruas, etc.)*

Ita emendarunt, quum in MS. invenissent: *Historicos et ut Livium quoque*, etc. Rescribendum potius: *Historicos etiam (ut Livium quoque*, etc.). Notissimum, *et*, lineola supra scripta, valere *etiam;* qui fons est erroris.
VOSSIUS.

Livium, qui circa annum Urbis conditæ DCCXXX scripsit, priorum ætati nemo poterat adscribere, quum intra octoginta illos ante Vinicium consulem annos, haud dubie contineretur. In codice scriptum *et ut*, unde verisimile est quoddam hoc in loco latere mendum. Si mihi obtemperarem, libens rescriberem: *historicos* (*ut Sallustium quoque, etc.*) Sallustius enim qui circa annum DCCX maxime floruerat, veteribus adnumerari rectius potest, et ipse priscas dicendi formulas sectabatur; et sæpe ante oculos Velleii fuisse videtur, ut multi jam animadverterunt. Sallustium maxime laudat Noster, ut dignum Thucydidis æmulum, lib. II, c. 36; quodque præsertim ad rem facit, illum ibi infra suum ævum collocat, quum inter auctores sibi coævos Livium adnumeret. De historicis latinis singulari tractatu disseruit Gerardus Joannes Vossius, quem, si vacat, consule. ED.

CAP. idem, §. 5. *Hujus ergo.... et in emolumentum.*

Bipontina dedit: « Hujus ergo recedentis in suum sæculum ingeniorum similitudinis, congregantisque semet in studium par et emolumentum. » Bene ac, nisi fallor, Ruhnkenio ex parte felicius, quanto ad codicis fidem propius: sic quoque melius servatur generalis sententiæ tenor. Utinam tamen tentare liceret, *in suum quasi seculum!* et infra Ruhnkenii textum servarem: *congregantisque se et in studium par et in emolumentum;* quod interpretor: tunc et unanimo conatu conspirant ingenia, et æque proficiunt. ED.

Ibid. *Memolumentum.*

Emolumentum cum vulgatis libris si tuemur, videtur capiendum pro co, quod supra dixerat *profectum*, *in similitudinem temporum et profectuum*, ut vocabulum id hic loci haudquaquam sollicitandum a Lipsio fuerit; præsertim quo et alibi non semel Noster sit usus. Glossæ veteres Labbæi; *Emolumenta*, τοὺς χρηματισμούς: *Emolumenti*, χρημάτων. *Emolumentum*, ὠφέλεια, κέρδος, ἐπίνοια, ὄνησις, ὠφέλημα· vides non unam ejus vocabuli significationem. Infra, libro II, *emolumentum victoriæ* et *emolumentum triumphi* occurrunt; apud Juvenalem, *emolumenta sacramentorum* et *laborum emolumenta;* apud Fulgentium, initio Mythologiæ, *emolumentum negotii*, quod glossa MS. codicis Leidensis *profectum* vel *lucrum* interpretatur. HEINSIUS.

CAP. XVII, §. 7. *Operis impedimentum.*

Resisto. Perfecti patratique operis quomodo aliquid impedimentum esse potest? nec dii quidem, ut vetus verbum habuit, revocaverint aut impedierint facta. Vide num legendum *indicamentum* sit. Velleii mens ita suadet, qui jam ante dixit, *difficilem in perfecto moram esse*, et ingenia novæ laudis stimulo aliorsum trahi, et quærere illibatam materiam. Itaque nunc addit: maximum hoc esse perfecti operis indicium, transiri vulgo ad aliud opus. LIPSIUS.

Id est, in eo ipso impeditur operis cujusque perfectio; quare nihil hic innovandum; nam quamvis præcesserit *difficilis in perfecto mora est*, loquitur ibi pro captu hominis, ulterius procedere desperantis. Alioquin tantum abesset, ut ars ulla consummata dici mereatur, ut sentiam cum Seneca, « id quod unum toto agimus animo nondum perfecimus, ut pessimi essemus; » lib. VII, Nat. Quæst. 31. GRUTERUS.

Optime veram Velleii mentem defendit Gruterus. Hæret tamen in auctore negligentiæ nota, qui tam parvo intervallo duas sententias vix inter se bene concordes adhibuerit; quamvis alioqui locus hic non infabre sit expolitus, et, ut in declamatione, laudari possit. ED.

CAP. XVIII, §. 1. *Una urbs Attica pluribus annis eloquentiæ*, etc.

Si legas *eloquentia*, hoc totum minima mutatione restitues. MANUTIUS.

Interpolata hæc a variis varie. Ni mea scriptura verior est, pignus dabo in omnes fortunas meas. Totum locum sic restituo: « Una urbs Attica pluribus annis eloquentia, quam universa Græcia operibus floruit: usque adeo, ut corpora gentis illius separata hinc inde in alias civitates, ingenia vero solis Atheniensium muris clausa existimes. » Abolita quædam literarum syllabarumque affinitate, quædam alio traducta: omnia recte, ut spero, nunc et ordine reposita. Athenas inquit, longius dicendo, quam Græciam universam agendo floruisse. Et certum, ut quidam vult, de eloquentia solum institui comparationem; sed institui, quod nescio idem ne ille putarit, cum rerum actione, lectio, quam adfert, id certe non exprimit, manifesto et liquido nostra. Sed pro rebus gestis *opera* ponere, Velleio ut et aliis tralatitium. Ante paginas aliquot præcessit de L. Paullo, « Ut si quis eorum invideret operibus ac fortunæ suæ. » ACIDALIUS.

Quamquam Acidalius existimaverit *eloquentiam Atticorum* cum *operibus cæteræ Græciæ*, i. e. rebus gestis, comparari; idque tanta fiducia, ut dicat: « Ni mea scriptura verior est, pignus dabo in omnes fortunas meas; » periculose locutus esset, si quis impetum animi, suis conjecturis nimium faventis, pro ratione accepisset. Quis enim ex toto contextu non videt, ingeniorum tantummodo et studiorum, non etiam operum fieri comparationem? BECLERUS.

Operibus pro *uberius* bene recepit Ruhnkenius cum Acidalio, Schegkio, et aliis; Lipsius autem *uberius*. ED.

CAP. XVIII, §. 1. *Ingenia vero solis Atheniensium muris.*

Justinus, lib. II, cap. 6: « Literæ certe ac facundia, et hic civilis ordo disciplinæ veluti templum Athenas habent. BECLERUS.

CAP. XVIII, §. 3. *Quæ urbes et in Italia.*

Scribe, *quæ urbes, ut in Italia*, etc.; nec multum Gruterus abludit, qui tamen locum adulteratum esse arbitratur, etiam Lipsius tria verba expungit. Atqui si de oratorio studio hæc dicta accipis, quo certe videntur referenda, veris sunt veriora; id quod unice Athenis, apud Græcos, Romæ apud Latinos floruisse constat. Pari utique modo supra, cap. 17, Noster: « Neque hoc in Græcis, quam in Romanis evenit magis; » ubi gentis utriusque fatum pari modo componit. Sed mirum, quod de Pindaro et Alcmane subjungit: quum major poetarum pars græcorum nec Athenis, nec Romæ latinorum fuerint nati. Oratores, philosophos, poetas tragicos ac comicos plerosque sibi vindicant Athenæ, fateor; cæterorum paucos omnino: non Hesiodum, non Archilochum, Callimachum, Antimachum, Philetam, Apollonium, Sappho, Alcæum, Simonidem, non mille alios; nam de Homeri natalibus in certamen Attici cum sex urbibus venere frustra. HEINSIUS.

MS. lectio erat: *existimatumque urbes, et initalia talium studiorum fuere steriles;* unde forte legendum: *existimatum Quæ urbes etiam, ut aliæ, talium.* Gruterum voluisse video *et in Italia*, etc. Quæ lectio ferri melius potest, si unica litera mutata scribamus, *ut in Italia*, etc. Sed non video quomodo hæc cum præcedentibus apte satis cohæreant; nam de Græcis solum sermo fuit. VOSSIUS.

Non existimandum est, illa verba (*et multæ aliæ*) plane irreptitia esse; fuit enim in MS. *et initalia*, ex quo non nemo fecit, *et multæ aliæ*. Quæ conjectura licet nemini possit usquequaque probari, tamen nec illa parum difficultatis in sensu adfert, si retineamus, *et in Italia*, vel, *ut in Italia.* BECLERUS.

Et multæ aliæ, desunt Rhenani, Erasmi et Stephani editionibus. *In Italia*, etc. non male, ut urbes græcæ in Italia sive Græcia magna intelligantur. BURMANNUS.

Nescio cur lectioni suæ *item aliæ* minus indulserit Burerius, quæ quidem ad verum sensum proxime videtur accedere. Malim tamen, *et item aliæ.* Nam apud Varronem de L. L. V, 5: « Democritus secuti, et item alii, qui infinita principia dixerunt. » Apud Terentium Andr. I, 1, 49: « Post quam amans accessit pretium pollicens unus, et item alter. » Sic quidem codicis fidei minimum detraxeris. ED.

Ibid. *Falso sibi vindicant.*

Juvat cum Heinsio interrogare: an vero et Hesiodum falso sibi Ascra vindicat, et Archilochum Paros, et Simonidem Ceos, et Theocritum Syra-

cusæ, etc? Sed forsitan de Græcia solum, id est, de Græciæ continenti parte sermo habetur; id tamen Velleio diserte pronuntiandum erat. Et oratores tantum citaverat: unde igitur Alcman et Pindarus in medium procedunt? Multa in his manca, mutila, dehiscentia, et, dicam quod sentio, curtus mihi videtur iste finis. Nam, ut quisque fatebitur, si modo declamationis hujus partes inter se comparaverit, nimis pauca de urbibus dixit Velleius, tam late de temporibus exspatiatus. Nihil vero de Italia dictum; nisi quis defendat parenthesin illam, *ut in Italia*, quæ omnium fere consensu vel inducta est vel mutata. Tum qui modo (cap. 16) sesquipedalium verborum amatorem se profitebatur, repente in tam exiles desinere sonos et tamquam κεχηνότα obmutescere, quis non miretur? An fragmentum deperditum fuerit? credo. Sed forsitan in opere tam deproperato aliquid perfectum quærere supervacaneum est. Ed.

VARIORUM INTERPRETUM

NOTÆ

AD C. VELLEII PATERCULI

HISTORIÆ ROMANÆ LIBRUM II.

Liber *secundus*. In Rhenani editione, *posterius volumen*. Heinsius.

Inde forsitan Lipsii manavit error, qui supra, cap. 14, §. 1, *hujus voluminis* interpretabatur, *hujus libri*; et sic forte Rhenano visum. Sed apud optimæ notæ scriptores, *volumen* dicitur nunc opus integrum, nunc quisque operis liber : hæc epitome uno volumine contenta fuit. Ed.

Cap. I, §. 1. *Non gradu.*

Albinovanus Pedo ad Liviam de excessu Drusi : « Non ex præcipiti dolor in tua pectora venit, Sed per mollitos ante timore grados. » Seneca, epistola 75 : « Quid ergo ? infra illum nulli gradus sunt : statim ad sapientiam præceps est. » Heinsius.

Cap. idem, §. 2. *Tum Scipio.*

Quando ? an eversa Carthagine ? Minime, sed remoto tamen ejus metu. Quum jaceret Carthago, insorgere luxus apud Romanos cœpit; et structa hæc, quæ dicit. Scipio quidem porticus has fecit censor, ut ipse paulo post adnotat : hoc fuit decem circiter ante eversam Carthaginem annis. Simile de Metello et de Octavio. *Tum* igitur, benigne interpretabere, et quasi dixisset, sub id tempus. Lipsius.

Dissentit a se ipso Velleius, quum hic refert Scipionem Nasicam porticus in Capitolio fecisse post excidium Carthaginis : mox, cap. 3, *censorem porticus fecisse*. At is censor fuit anno DXCV, cum M. Popillio Lænate, decem annos ante bellum punicum tertium. Popma.

Sed (ut recte monuit Lipsius) tum sublatus erat Carthaginis metus. Ed.

CAP. I, §. 2. *Metellus.*

Porticus Metelli ad finem circi Flaminii. Varro, Vitruvius, Plinius, lib. XXXIV. SCHEGKIUS.

Vid. lib. I, cap. 11, §. 3, pag. 25.

Ibid. *In Circo Cn. Octavius multo amœnissimam.*

Quæ a veteribus duobus appellata nominibus, *Corinthia*, a structura, *Persei* sive *Macedonica*, ob regem Persea devictum, et triumphum, in quo hæc talia fercula. Plinius in Flaminio ponit; meminit Cicero in Officiis. SCHEGKIUS.

Plinius, lib. XXXIV, cap. 3. PUTEANUS.

Ibid. *Amœnissimam.*

Ita Rhenani editio: perperam *amœnissima* plures ediderunt. BURMANN.

CAP. idem, §. 3. *Ut sæpius Romanorum gereretur adversa.*

Victis prætoribus duobus M. Vetilio, C. Plantino, et Cl. Unimano. Florus, Cicero, II Offic.; Valerius, lib. VI; Plinius, lib. VIII; Orosius, Eutropius, alii. SCHEGKIUS.

Utrorumque varia fuit fortuna, sed *Romanorum* sæpius adversa. Noli audire, qui *Romanis* proponunt. ED.

Ibid. *Numantinum gravius exarsit.*

Florus, lib. II, cap. 18, §. 2: « Numantia... IV millibus Celtiberorum, XL millium exercitum per annos XIV sola sustinuit; nec sustinuit modo, sed sævius aliquanto perculit, pudendisque fœderibus affecit. » ED.

CAP. idem, §. 4. *Hæc urbs nunquam* X *plura.*

Legendum: *Hæc urbs nunquam plura, quam* X *millia, propriæ juventutis armavit.* MANUTIUS.

Puto legendum: *nunquam* X *plura, eaque propriæ juventutis*, vel sic potius, *nunquam plura quam* X *prop.* Puto etiam hic mendum esse in numero, nisi forte in eo scriptores inter se dissentiant. Nam Appianus in Iber. scribit numantinum ante bellum non fuisse amplius VIII millia. Florus, lib. II, et Orosius, lib. V, cap. 7, quatuor tantum millia Numantinorum, XL millia Romanorum sustinuisse, atque adeo vicisse tradunt. Postea vidi quosdam codices, in quibus ita legitur, *nunquam* X *millibus plura.* PUTEANUS.

Docti viri emendarunt, *nunquam plura quam* X *millia*; sed usitatior modus loquendi et Velleio familiarior postulat, ut legamus, *nunquam decem millibus plura.* URSINUS.

Transposita videntur, ordinandaque: *nunquam plura quam* X *propriæ.* LIPSIUS.

Τὸ *quam* ex præcedenti *nunquam* a librario perperam conflatum est; quare cum Ursino et Puteano Vossius delebat id jure optimo. Arbitramur, non solum esse eradendum, sed legendum præterea, *nunquam plus decem millia*; vide nos infra ad cap. 110. Livius, lib. XLI, 12: *plus septingenti capti*; mox: *amplius tria millia militum amissa*; l. XXIII, c. 35: *hominum cæsa plus duo millia*; cap. 40: *hostium plus quinque millia cæsa*, et alibi idem: *plus trecenta vehicula amissa*; l. XL, c. 3: *plus annum*. Nota sunt illa Terentiana ex Adelph., *plus quingentos colaphos infregit mihi*; nam *plus* ponitur pro *plus quam*. Heinsius.

Lipsius nihil mutavit, nihil delevit, ordinem tantum restituit. Litera M, id est millia, merito ex ejus lectione, ut ex primario codice, exsulat, quum vulgo subaudiatur, apud Velleium vero frequentissime; nos Lipsio assentimur. Ed.

Cap. I, §. 4. *Magni nominis virum.*

Non propter natales suos, sed ob illustrem posterorum famam. Ed.

Cap. idem, §. 5. *Mancinum verecundia.*

Num Mancinus impunitus fuit, quem Romani nudum, ac manibus post tergum religatis, Numantinis tradidere? atqui vel maxima ea pœna fuit. Ita igitur concipe hunc locum: « Sed Pompeium gratia impunitum habuit. Mancinum verecundia, quippe non recusando, perduxit huc, etc. » Inter alios, præcipue hoc firmat Cicero, lib. III Officiorum: « C. Mancinus, ait, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, Sex. Atilius, ferebant. Qua accepta, est hostibus deditus. » Vossius.

Mancinum verecundia, quippe non recusando, perduxit huc. Sic distingue; mox dele τὸ *fecerunt*, aut muta in *fecerant*. Heinsius.

Bipontina lectio: *Mancinum verecundia, culpæ pœnam non recusando, perduxit huc, ut*, etc. Sed Vossiana recta est: frustra Bœclerus veterem distinctionem defendit; etiam a Ruhnkenio frustra servatur, quod scilicet Mancinus pristinis honoribus restitutus, ad novos quoque postea evectus, statuam sibi ponendam curaverit eodem habitu quo deditus fuisset, teste Plinio, XXXIV, 5. Videtur enim Velleius Pompeii impunitatem Mancini pœnæ opponere; nec ipse Bœclerus satis explicare potuisset sequens illud sine nominativo verbum, *perduxit*. Ed.

Cap. II, §. 3. *Omnibus statum concupiscentibus.*

Nobis hæc impura. Quid est *concupiscere statum?* aut quis sic e prisco Latio? Quid hoc etiam ad Gracchi leges? Emendo: *omnium statum concutientibus.* Et profecto verum est. Leges istæ Tiberii, inquit, omnium fortunas et statum concutiebant. Quomodo? quia agros jamdiu possessos, alienatos, venditos, in dotem datos, iterum vindicabant in publicum, et

auferebant dominia priscis. Itaque omnes in metu, et fortunæ plurium incertæ. Appianus et Plutarchus pulchre hoc diducunt : ille primo Civilium, hic in Gracchis; tu vide. Quod ad phrasim, immo quod ad mentem, pariter Velleius infra de Caii legibus : « Nihil immotum, nihil tranquillum, nihil denique in eodem statu sinebat. » LIPSIUS.

Posset etiam rescribi *statim ;* sed revera nihil dilucidius Lipsiana emendatione, *statum concutientibus.* GRUTERUS.

Status est conditio vitæ certa ac stabilis. Ita et infra : « quippe nullum habentibus statum, quilibet dux erat idoneus. » Nemo enim, paulo humanior, Sempronia lege agros plebi communicatos nescit. De eadem hac lege Cicero in Sextiana : « Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat : grata erat populo; fortunæ constitui tenuiorum videbantur. » Non necessaria itaque emendatio Lipsii, *omnium statum concutientibus.* VOSSIUS.

Concutientibus jam Lipsius esse scribendum viderat, sed ab applausu destitutus, quem merebatur, etsi ne sic quidem persanato loco. Lege, *omnem urbis statum concutientibus.* Naso, in Pont. : « Quum status urbis erit, qualem nunc auguror esse, Et nullus populi contrahet ora dolor. » Tacitus, Hist. I, cap. 4 : « Cæterum, antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quæ mens exercituum fuerit. » Sic et *civitatis status:* auctor de Causis corruptæ eloquentiæ, cap. 73 : « Is optimus civitatis status habendus est, quo nil tale patimur; » atque ita passim scriptores; notum et axioma antiquum, « optimum esse civitatis statum sub rege justo. » Apposite omnino Val. Max. IV, 1 : « Hæc oblivio concussum reipub. statum in pristinum habitum revocavit. » Idem de Gracchis : « quia statum civitatis conati erant convellere, insepulta cadavera jacuerunt. » Cicero, Catil. I : « P. Scipio Ti. Gracchum reip. statum mediocriter labefactantem interfecit. » Ampelius : « Decimus Brutus Gallæcus Gracchum generum agrariis legibus reip. statum turbantem cum Opimio consule oppressit; » ubi lege *C. Gracchum.* Idem denuo : « Prima seditio Tib. Gracchi, quem de judiciariis et agrariis legibus statum civitatis moventem Scipio Nasica in Capitolio oppressit. » Vides illis esse, *statum turbare* et *movere*, et *convellere*, quod Nostro *urbis statum concutere.* Cicero, *concutere rempublicam ;* Lucanus, *concutere Romam ;* apud Senecam, Œdipo : « Non expedit concutere felicem statum. » HEINSIUS.

CAP. II, §. 3. *Octavioque.*

Cujus Cicero modicam, et reip. tolerabilem, et plebi necessariam largitionem vocat; adi Plutarchum in Gracchis, Epitomen Livii. SCHEGKIUS.

Ibid. *Coloniisque deducendis.*

Colonias ergo deduxit Tiberius? Cave credas. Literula ne te induxerit, quin magis tolle. Nam scripsit Velleius, *colonisque.* Intelligit autem hos, quibus agri adsignati, quique in eos deducendi futuri coloni eorum sive cultores; γεωργούς, inquam, οὐκ ἀποίκους. LIPSIUS.

Lipsio assentiuntur Freinshemius, Bœclerus, et cl. Ruhnkenius. Sed deducendas omnino fuisse colonias ex Gracchi lege manifestum est ex Cicer. Agrar. II, 12 : « Jubet coloniarum deducendarum caussa decemviros habere pullarios. » Quod effugit viros doctos. KRAUSIUS.

CAP. II, §. 3. *Gracchum fratrem.*

C. Gracchum Puteanus malit : recte ; nam per *g Gaium* scribebant, quo facilius neglexit librarius iterationem ejus literæ. *Cæsar* pro *C. Cæsar* sæpe occurrit consimili errore apud scriptores ; vide nos infra ad cap. 119. HEINSIUS.

CAP. III, §. 1. *Qui optimus vir a senatu judicatus.*

Liv. XXIX, 14 ; XXXVI. 40, et alibi : elogium *quod sibi quisque mallet, quam ulla imperia honoresve suffragio seu patrum seu plebis delatos*, sicut recte judicat idem scriptor. BŒCLERUS.

Ibid. *Pronepos autem Cn. Scipionis, celeberrimi viri, P. Africani patruus.*

P. Africani patrui edidi, secutus emendationem Manutii certam et veram. *P. Scipio Nasica*, *Serapio* cognominatus ob similitudinem formæ cujusdam victimarii, fuit filius P. Scipionis ejus, qui a quibusdam *Corculum* appellatur et porticus in Capitolio fecit, nepos P. Scipionis ejus, qui vir optimus judicatus est, pronepos Cn. Scipionis Calvi, qui cos. fuit cum M. Marcello anno DXXXII, et fratrem habuit P. Scipionem consulem quadriennio post, patrem Africani majoris. Hoc ergo Cn. Scipione Calvo, celeberrimo viro, patruo Africani, orti sunt Scipiones Nasicæ. Vidend. Cicero, Livius, alii. POTMA.

CAP. idem, §. 2. *Cum catervis suis.*

« Nam Gracchus domo quum proficisceretur, nunquam minus terna, aut quaterna millia hominum sequebantur. » Asellio apud A. Gellium, lib. II, cap. 13. SCHEGKIUS.

CAP. IV, §. 1. *Populo romano hereditate relicta.*

Romanos doli mali in adeunda hereditate Attali insimulat Mithridates apud Sallustium, et Horatius, Carm. II, od. 18 : « .... neque Attali Ignotus heres regiam occupavi. » SCHEGKIUS.

Ibid. *Sed M'. Aquilio.*

Sana lectio. Scripserat Velleius, Aristonicum a Perperna victum ; desiderabatur, ut de eodem triumphasse illum diceret. Id falsum erat, quia Perperna in provincia erat mortuus. Sed quum ei successor esset datus

M'. Aquilius, is, reliquiis belli confectis, egit triumphum, quem Perperna meruerat. Ob hanc caussam τὸ *sed* adjectum. Reticetur vero *a*, frequenti Velleii more. Ita infra, *expulsum civitate L. Saturnino*; et deinde, *quum proxima regio castris Pompeio retinetur*; item, *proruto vallo militibus receptus est*; posteaque, *hoc M. Antonio acto illis legionibus saluti fuit*; nisi tamen dandi casu hæc intelligere mali., et hoc verius. VOSSIUS.

Eutropius Orosiusque negant Aristonicum in triumpho ductum, victore Perperna ante triumphum mortuo. Sed Justinus, XXXVI, 4: « Perperna consul prima congressione Aristonicum superatum in potestatem suam redegit; Attalicasque gazas, hereditarias populi romani, navibus impositas Romam deportavit. Quod ægre ferens successor ejus M'. Aquilius consul, ad eripiendum Aristonicum Perpernæ, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit; sed contentionem consulum mors Perpernæ diremit. » Sic Velleianæ favet opinioni; et Sallustius, epistola Mithridatis ad Arsacen, in fragmentis: « Aristonicum hostium more per triumphum duxerunt. » Vide notam in nostro Sallustio, p. 409. ED.

CAP. IV, §. 1. *M'.*

Recte; non *M.* ut vulgo: sane *Manius* dicitur non solum Val. Maximo, sed et in Fastis; atque ita etiam apud Strabonem, lib. XIV, in editis olim exemplaribus legebatur, quod non bene in sua editione mutavit maximus Casaubonus. Apud Justinum tamen, lib. XXXVI, *Marcus Aquilius* dicitur; sed *Manius* rescribendum. VOSSIUS.

Ibid. *Crassum Mucianum.*

Apud A. Gellium, lib. I, cap. 13, ait Sempronius Asellio, Mucianum quinque habuisse rerum bonarum maxima et præcipua: quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod jurisconsultissimus, quod pontifex max. Hunc consulem missum Cicero, II Philipp., Justinus, Orosius, Livius, et sequentibus consulibus, hoc est, proconsulem interemptum, Noster cum Julio Obsequente narrant; in eo variat Florus, lib. II, cap. 20, qui non occisum, sed captum vult. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 2. *Virtutique expertæ in Africa, respondit in Hispania*

Tollendum omnino, *in Hispania*; est enim superfluum, quum *missusque in Hispaniam* modo præcesserit, ut videmus. HEINSIUS.

Sed tunc et tollendum *in Africa*, quod his opponitur; in Velleio tollere, quæ supervacua videntur, periculosum, qui amat cumulare sæpe eadem. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 3. *Clariori urbium excidio.*

Sic Florus, libro II, cap. 18: *Post illa duo clarissima urbium incendia*, etc.; ubi male quidam emendant, *clarissimarum*. VOSSIUS.

CAP. IV, §. 4. *Quum omnis concio adclamasset.*

Occlamasset nonnulli volunt, quod improbatur ab Acidalio ad lib. I, 9; *occlamitare* certe apud Plautum habemus. Fuit quum scribendum arbitrarer, *succlamasset*, quomodo fere Livius, quum de dissentientibus aut orationem improbantibus agit, ut libro XLIV, cap. 45; Valerius Maximus, lib. VI, cap. 11, 3, in hac ipsa de Graccho narratione: « Jure enim cæsum videri respondit; cui dicto quum concio, tribunitio furore instincta, violenter succlamasset; » tamen *acclamare*, ne quid temere mutetur, in utramque partem, æque ac *succlamare*, sumi videas nonnunquam, ut in illis Curtianis, lib. X, cap. 21, ubi Alexander ad milites: « Equidem quum alios dimittere in patriam, alios mecum paulo post deportare statuerim, tam illos acclamantes video, qui abituri sunt, quam hos, cum quibus præmissos subsequi statui. » Sic Ascon. Ped. in Cicer. Milonianam, in argumento: « Cicero quum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne metu quidem circumstantium militum potuerunt; itaque non ea, qua solitus est, constantia dixit. » HEINSIUS.

Ibid. *Quorum noverca est Italia.*

Similiter Petronius in Eumolpiano carmine, quod vulgo inscribitur *de Mutatione reip. romanæ* : « Aut qui sunt, qui bella jubent? mercedibus emptæ, Ac viles operæ: quarum est mea Roma noverca. » ACIDALIUS.

Invidiose notat concionem, quasi multitudinem collectam ex operis mercenariis, non a matre Italia genitam ad bella; sic Cæsar in oratione apud Petronium: *quorum est mea Roma noverca.* Nimirum urbs, aut regio, est noverca alienigenarum qui in eam confluxerunt, at indigenarum merito mater et censetur et appellatur. POPMA.

CAP. idem, §. 6. *Corpus velato capite.*

Nota morem antiquum. Qui sua morte obierant, illorum cadavera palam ferebantur, ita ut unusquisque defuncti faciem posset cognoscere; sed Africani corpus capite velato elatum fuit, ne livor in ore appareret, quod veneno ab uxore necatus esset, ut auctor de Viris illustribus refert. Plutarchus tamen aliter in Romulo, Scipionis Africani cadaver oculis fuisse omnium expositum, præbuisseque facto suspicionem et sensum. POPMA.

Ibid. *Super totum terrarum orbem Roma extulerat caput.*

Imitatus est illud principis poetarum de Roma: « Verum hac tantum alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi. » BOXHORNIUS.

CAP. IV, §. 6. *Conflatam insidiis.*

Variæ suspiciones de hujus obitu. Appianus, lib. I Bellor. Civil., veneno sublatum testatur; Plutarchus in Fulvium rejicit; Cicero, epistola ad Pætum, in C. Carbonem; Plin. lib. VI, c. 44, in Metellum Macedonicum; Livii Epitoma cum Cicerone in Somnio, in Semproniam uxorem, Gracchorum sororem. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 7. *Anno ferme* LVI.

Metæ temporum, quas Velleius mox ponit, evincunt scripsisse eum LIV. LIPSIUS.

Lipsius emendat LIV. Antonius Bendinellus potius sequentia corrigit, et legit, *in quem creatus est anno* XXXVIII (pro XXXVI, quod in libris erat), loc. controv. VIII. BECLERUS.

Ibid. *In quem creatus est anno* XXXVI.

Atqui sive a consulatu Paulli patris, cum quo ille consule, teste Livio lib. XLIV, bello Macedonico interfuit, anno ætatis XVII, ad priorem Africani consulatum; sive retro a morte ipsius, quæ in annum ætatis LVI incidit, de quo omnes consentiunt; sive, inquam, hoc modo, sive illo. annos numeres, reperies Africanum anno XXXVIII primum consulem factum esse. PUTEANUS.

CAP. V, §. 1. *A. Bruti.*

Is est, qui de Gallæcis et Lusitanis ex ulteriore Hispania triumphavit, *Decimus*, non *Aulus*, a Cicerone et aliis nominatus: ut vel mendum sit hic in prænomine, vel, adoptatus ab A. Postumio Albino, prænomen. ex vetere consuetudine, sumpserit, quod nummus indicat argenteus patricii veneti nobilissimi, Andreæ Lauretani, sic inscriptus: A. POSTUMIUS. ALBINUS. COS. BRUTI. F. MANUTIUS.

Omnino *D. Bruti* legendum est, non *A. Bruti*; nam A. Postumius Albinus, Bruti filius, qui habetur in argenteo denario, non ad eum, de quo hic agit Velleius, sed ad D. Brutum, Cæsaris percussorem, refertur, qui M. Bruti consanguineus fuit, et ab A. Postumio Albino cos., ut videtur, adoptatus, BRUTI F. ex adoptionis formula dictus est. Vide Plutarchum et Dionem. URSINUS.

Ibid. *Ingenti vi hominum urbiumque.... numero.*

Qui minus hic *vim* et *numerum* cumulari patiemur, atque inf. c. LXX, *multitudinem et vim hominum?* BURMANNUS.

Ibid. *Audita.*

Quidam libri, *adita erant.* SCHEGKIUS.

Male mutarunt *audita*, ludit enim Velleius : a lita sunt, inquit, quæ audita vix fuerant. Istarum argutiarum nimius amator erat Cicero. Vide Quintil. lib. IX, cap. 3. Ed.

Cap. V, §. 2. *Contrebiam.*

Valerius, lib. II, cap. 2, et Florus vocant *Trebiam;* auctor de Viris illustribus *Contebrium* oppidum. Ego Velleii scripturam integriorem arbitror, et urbem eamdem esse, quam Ptolemæus et Antonius *Conteributam* nominant, et collocant in Bætica. Popma.

Cap. idem, §. 3. *In procinctu.*

Vocabulum Musæum, et varie veteribus usurpatum. Apud A. Gellium, lib. X, cap. 15, Fabius Pictor *classem procinctam*, interpretatur *exercitum armatum;* et Apuleium, libro II, *procinctus pompæ*, adparatum pompæ denotat; et, *habere in procinctu*, idem, quod habere in mundo sive promptu. Quintilianus, pro Milite : « Neque in militiam gravissimo asperrimoque bello ita venit, ut nesciret sibi mortem in procinctu habendam. » Seneca, lib. I de Clementia, cap. 1 : « Nemo non, cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est; severitatem abditam, clementiam in procinctu (vulgo *in promptu*, ut et notavit doctissimus Modius) habeo. » Et, *reversus e procinctu*, idem Ammiano libro XVIII, quod *ex bello*. Adi Ciceronem, lib. I de Natur. Deor., A. Gellium, Festum. Schegkius.

Florus, III, 10, 12, de Ariovisti bello loquens : « Itaque tantus, inquit, gentis novæ terror in castris, ut testamenta passim etiam in principiis scriberentur. » Boeclerus.

Ibid. *Non deterritus proposito* (*perseverantia ducis*).

Mallem, *non deterrita proposito perseverantia ducis;* amat enim Velleius has locutiones, pro *perseverans dux*. Burmannus.

Krausius Burmanni lectionem recepit, quæ se non paucis exemplis tuetur, ex ipso præsertim Velleio desumptis; notum jam ipsis pueris hoc elegantiæ genus. Sed ut vulgatam retineret, Bipontina interpretabatur, *perseverantia quæ ducem decet.* Nos hunc ablativum cum τῷ *victorem* construere malumus, ut sic invertatur periodus : « Quem moriturum miserat militem, eumdem factum ducis perseverantia victorem recepit. » Omnium minime toleranda Ruhnkenii emendatio, quæ duas voces e textu adimit, vulgari nimis apud novos interpretes uncorum audacia. Ed.

Cap. VI, §. 1. *Eloquentiaque longe præstantiorem.*

Contra omnium tamen sententiam, Tiberium fratrem facile principem eloquentiæ laudat Florus. Schegkius.

Epitome Livii, lib. LX: « C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis,

eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit.» Eloquentiam ejus extollit A. Gellius quoque lib. X, cap. 3; lib XI cap. 13; idem testatur non defuisse, qui hunc M. Tullio anteferrent, ubi et *acrioris* vocabulo usus est: «Fortis et vehemens orator existimatur esse C. Gracchus: nemo id negat; sed quod nonnullis videtur severior, acrior, ampliorque esse M. Tullio, ferri id qui potest?» HEINSIUS.

CAP. VI, §. 2. *Longe majora et acriora repetens.*

Repetendi verbo potuit usus esse Velleius, quod Caius non primus rempublicam conturbarit, sed secutus fraternum exemplum. HEINSIUS.

Altiora si legas, tunc intelligendum erit ut in Cic. de Leg. I, 18: *Alta et a capite repetere.* Gracchus inchoatum a fratre opus, quo in majus extolleret, rursus a principio moliebatur, altiusque fundabat; sed Krausius vulgatam ex Heinsii mente defendit. ED.

CAP. idem, §. 3. *Plus quingentis jugeribus.*

Idem tradunt Plutarchus, Appianus, Aurelius Victor, aliique; atque ita etiam apud epitomatorem Livii legendum esse, docuerunt Sigonius et Antonius Augustinus. Sine dubio itaque in mendo cubat Siculus Flaccus, de Conditione agrorum: *Gracchus*, inquit, *legem tulit, ne quis in Italia amplius, quam ducenta jugera possideret*, etc. Omnino legendum est, *quingenta jugera*. Hinc quoque apparet, corruptam esse Columellæ lectionem, lib. I, de R. R., cap. 3, ubi ait: «Criminosum tamen senatori fuit, supra quinquaginta jugera possedisse;» nam et hic similiter rescribendum, *quingenta*. VOSSIUS.

Ibid. *Frumentum plebi dare.*

Lege Sempronia frumentaria, quam tulit C. Gracchus, trib. pleb., M. Fulvio, M. Plautio coss., anno DCXXIX, ut semisse et triente frumentum menstruum plebi ex publico viritim daretur (Cicero, pro Sextio, Tuscul. III, in Bruto; Appianus, lib. I Bell. Civil.) POPMA.

Ibid. *Instituerat.*

Edidit Krausius *instituebat*, ex aliena conjectura; sed cui bono? ED.

CAP. idem, §. 4. *Quem C. Gracchus in locum Tiberii fratris triumvirum nominaverat, eum socium regalis assumpserat potentiæ.*

Eum socium, vetus liber. Lege, *eoque socium.* Sic cap. 60, sub finem: «Inter dissimillimos crescebat odium, eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis;» cap. 109: «Eratque etiam eo timendus, tamquam in omnes semper venturus;» cap. 15: «Immunes adhuc clade belli, et eo feroces ac truces;» Livius, lib. XXXIII, cap. 37: «Magno circuitu

per aperta, eoque tuta loca ad collegam pervenit. » Nihil magis obvium apud optimos scriptores; Tacito id ipsum non semel restituimus. HEINSIUS.

Forte, *dein socium*, etc., vel *denique*. BURMANNUS.

Vel *quem* pro *eum* scribatur; vel, quod satius, hæc periodi particula, *eum socium regalis adsumpserat potentiæ*, parenthesi includatur. ED.

CAP. VI, §. 5. *Non dicam Gracchi.*

Hoc sensu quidam id dictum putant, tamquam ad sacrosanctam tribuni plebis dignitatem Velleius respexerit. Sed, ut sacrosanctus, violari non debuerat Gracchus, quod tamen factum non indignatur Noster. Id unum nefarium ducit, quod non Gracchi (nocentis, quamvis inclyti civis), sed cujuspiam civis romani caput pretio repensum fuerit. ED.

CAP. idem, §. 6. *Euporo.*

Auctori Virorum illustrium *Euphorus*, Plutarcho *Philocrates*, et Valerio Maximo *Euporus*, an *Philocrates* vocitatus. SCHEGKIUS.

Ita et Victor. Plutarcho dicitur *Philocrates*; sed, veterem de hoc nomine dissensionem esse, liquet ex Macrobio, lib. I, cap. 11. VOSSIUS.

Ibid. *Pomponii.*

Valerius Maximus, lib. IV, cap. 7, et auctor de Viris illustribus, id *Lætorio* tribuunt. PUTEANUS.

Lætorium huic comitem dant Valerius, Orosius et Victor; quem Plutarchus *Licinium* appellat mendose. VOSSIUS.

Ibid. *Sustentatis.... hostibus ejus.*

Quam male censuerit Heinsius delendum esse pronomen *ejus*, facile sentiet qui animadverterit, neque suos neque reipublicæ hostes a Pomponio sustentatos, sed *ejus*, scilicet Gracchi. *Hostes* vero pro *inimicis* positum. Etenim bellum hoc erat patriciæ cupiditatis adversus plebeiam ambitionem hostiliter decertantis. ED.

CAP. VII, §. 1. *Viva adhuc matre Cornelia.*

Non omittatur, ob raritatem, exemplum feminei roboris. Seneca, de Consol. ad Marciam: « Ex una tibi familia duas Cornelias dabo: primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem. Duodecim illa partus totidem funeribus recognovit; et de cæteris facile est, quos nec editos, nec amissos civitas sensit: Tiberium Gracchum et Caium, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, et occisos vidit et insepultos. Consolantibus tamen miseramque dicentibus: Nunquam, inquit, non felicem me dicam, quæ Gracchos peperi. » LIPSIUS.

CAP. VII, §. 1. *Optimis ingeniis male usi.*

Sallustius tamen in Jugurtha, Gracchos veram gloriam injustæ potentiæ anteposuisse adfirmare videtur; et Cicero, II in Rullum, Gracchorum consiliis et sapientia multas reipublicæ partes constitutas non negat. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 2. *Haruspex Tuscus.*

Herennius Siculus. Sed aliter Valerius, lib. IX, cap. 12. MANUTIUS.

CAP. idem, §. 3. *Damnatum postea publico judicio.*

Quod a Jugurtha, muneribus acceptis, corruptus fuisset. Vid. Sall. in Jugurth. et Plutarch. in Gracchis, in fine. PUTEANUS.

Ob acceptas a Jugurtha pecunias; sed indigne. Cicero pro Sestio: « Unus in hac civitate, quem quidem ego possum dicere, præclare vir de republ. meritus, L. Opimius indignissime concidit; cujus monumentum celeberrimum est in foro, sepulcrum desertissimum in litore Dyrrhachino relictum est; atque hunc tamen flagrantem invidia propter interitum C. Gracchi semper ipse P. R. periculo liberavit, alia quædam civem egregium iniqui judicii procella pervertit. » In ejusdem laudibus sæpe in Bruto, de Legib. et in Pisonem. SCHEGKIUS.

CAP. VIII, §. 1. *Marcio.*

Martio, et mox Narbo *Martius*, Rhenanus, Erasmi, Stephani, aliorumque editiones; sed recte Vossius et Heinsius *Marcium*, consulem, urbem vero *Martium* Narbonem scribunt: a legione enim *Martia* habet nomen, non itidem *Marciorum* gens, quæ a *Marco*, *Marcia* dicta, et in numis et lapidibus *Marcia* scribitur. Colonia vero *Narbo Mart.* apud Gruter. CCXXIX, et in numo apud Goltzium. Cæterum putem totam hanc de Narbone colonia delendam periodum, et huc translatam ex lib. I, cap. 15; nam quid huc faciat, non video. BURMANNUS.

Ibid. *Quum lis ejus IV M. æstimaretur.*

Non grandis omnino hæc multa judiciaria, uti series et scopus indicat Velleiani sermonis. Tamen Franc. Hotomanno visa justo minor, rescribitque, *quadringentis millibus*. Non assentior. Quid? Cicero duobus locis an pari fiducia corrigitur, qui minoris summæ auctor? Ille sic III in Verrem, 80: « Qua in civitate C. Catoni, clarissimo homini, H-S XVIII millibus lis æstimata sit. » Iterum IV in eumdem. 10: « Quo damnato (Catone) tum quum severa judicia fiebant, H-S XVIII millibus lis æstimata est. » Si quid ergo hic mutandum (certe opinor), Ciceronis numeri obtineant et reponantur. LIPSIUS.

CAP. idem, §. 2. *M. Metelli fratres.*

Fœdum mendum sententiam contaminavit: qui enim antiquas notas, II.,

quibus *duo* significatur, ignorarunt, M. reposuere. Duos porro Metellos fratres simul triumphasse, Marcum de Sardis post annum quam consul fuerat, Caium, cui Caprario cognomen fuit, ex Thracia in consulatu, testatur Eutropius, his verbis: « C. Cæcilio Metello et Cn. Carbone coss., duo Metelli fratres triumpharunt, alter ex Sardinia, alter ex Thracia. » MANUTIUS.

Circa eadem tempora Metelli fratres uno die. Ita edidi, secutus Gryphii libros, minime quamvis displiceat doctissimi Manutii conjectura sana e libris insanis, quem vide. SCHEGKIUS.

Legit Pighius (Annal. ad a. U. e. DCXL), *M. et C. Metelli.* Malim, omissa copula, *M. C. Metelli fratres.* Sic Ciceronem in Bruto dixisse memini: *Tum C. L. Memmii oratores fuere mediocres*, etc. VOSSIUS.

CAP. VIII, §. 2. *Non minus clarum.*

Colligit paria fratrum, qui eumdem simul honorem gesserunt: ut Q. Fulvius Flaccus et L. Manlius Acidinus Fulvianus, fratres germani, coss. eodem anno DLXXV, C. Metellus Caprarius et Q. Metellus Numidicus, fratres patrueles, simul fuerunt censores anno DCLII. Ante hos, Scipiones duo, fratres germani, eodem anno simul ædilitatem gesserunt, L. Scipio Asiaticus et P. Scipio Africanus major, ut testantur fragmenta quæ Polybio adscribuntur. POPMA.

Ibid. *In collegio consulum.*

Fasti Capitolini hoc mire conferunt: L. MANLIVS. L. F. L. N. ACIDINVS FVLVIANVS. Q. FVLVIVS. Q. F. M. N. FLACCVS. HEI FRATRES GERMANI FVERVNT. SCHEGKIUS.

Hoc eodem anno duo quoque fratres Q. et P. Mucius Q. F. Scævolæ prætores fuerunt. PUTEANUS.

Ibid. *Quod solis contigerat Scipionibus.*

An, ut fratres germani duo Scipiones censuram simul gererent, quod proxima videntur indicare superiora verba? nulla mentio, nullum omnino vestigium in historiis. Quid igitur? hoc fortasse. Quum Velleius colligat fratres eumdem simul honorem assecutos, fieri potest, ut quemadmodum de triumphantibus Metellis, consulibus Q. Fulvii filiis, censoribus rursus Metellis, postremo narrationem suam concludat, exemplo duorum fratrum germanorum, qui ædilitatem eodem anno administrarint; hi fuere, P. Scipio, qui postea Hannibalem devicit, et Lucius, ejus frater, quod Polybius, initio lib. X, plane declarat. MANUTIUS.

Sed postea etiam *Lucullorum exemplum* habemus in Plutarch. Lucull. BECLERUS.

CAP. IX, §. 3. *Magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum.*

Excidit haud dubie nomen *Ennii* hoc loco: « Magnumque inter hos

ipsos facientis operi suo locum Ennii. » Cur enim tam celebris poetæ non meminisset inter complures alios minoris famæ, quos huc congessit? et tamen securi interpretes hunc scopulum præternavigarunt. Confirmant sequentia : « ut in illis plus limæ, in hoc pæne plus videatur fuisse sanguinis. » Nam in Ennio ab antiquis requirebatur lima; unde et *rudis* dictus ut plurimum, et *arte carens*; certe apud Statium, Lucani Genethliaco : « Cedat Musa rudis ferocis Enni; » et apud Nasonem, Tristium secundo: « Ennius ingenio maximus, arte rudis; » In Amoribus, apud eumdem : « Ennius arte carens, animosique Accius oris. » Valerius Maximus, libro VIII, cap. 14 : « Superior Africanus Ennii poetæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera sua illustrata judicaret : vir Homerico, quam rudi atque impolito præconio dignior; » ubi frustra Barthius, Adversariorum lib. XIX, cap. 15, *rudi eoque impolito præconio* reponi velit. Non meminit quidem Ennii Noster libro I, cap. 17, ubi de Accio, Cæcilio, Terentio, et Afranio agit; sed caussam præmittit: « nam nisi aspera ac rudia repetas, et inventi laudanda nomine; » quod ad Ennium eique suppares referri debet, qui *asperi et rudes*. Heinsius.

Hottingerus, a Krausio citatus, rejicit nomen Ennii, de quo fieri hoc loco posse mentionem negat, quod jam ante ann. U. c. DLXXXV vita ille cesserit. Itaque, secundum Basileensis editoris conjecturam, scribit *evecti*, illudque et alterum participium *facientis* ad *Accium* refert, secutus aliqua ex parte Quintiliani judicium, lib. X, cap. 1 : « Nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus, quam ipsis (Accio et Pacuvio) defuisse. Virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. » Huc accedunt loci Cicer. Orat. II, A. Gellii, XIII, 2, alii, ex quibus, quamvis aperte testatur Quintilianus limam utrique defuisse, plus tamen defuisse constat Accio quam Pacuvio. Sed multo plus momenti affert singularis amor quem jam antea Paterculus in Accium professus est, quum ait l. I, c. 17, in Accio circaque eum romanam omnem tragœdiam efflornisse. Nec illud Velleii judicium miraculi loco habent, qui sciunt Accium et Pacuvium in romana scena regnasse, diu etiam postquam perpolita lingua et mores fuerant, nec cessisse nisi paulatim ab Annæo Seneca ejusque imitatoribus pulsos, non sine difficili certamine : nam ex quo famosissima, quam deperditam lugemus, Ovidii Medea primum quodammodo telum in illos conjecerat, multi jam anni effluxerant, quum Martialis cæcos eorum admiratores exagitabat : « Attonitusque leges terrai frugiferai Accius et quidquid Pacuviusque vomunt. » Si propiora Nostro tempora repetamus, Persius, sat. I: « Est nunc Brisæi quos venosus liber Acci, Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur Antiopa.... » Columella, lib. I, præf., Virgilium et Accium laudibus consociat; Ovidius ipse non semel Accium prædicat. Quid illi, quos, ætate majores, minus offendebat sermonis antiqui simplicitas rudis et horrida? Cicero veteribus tragicis quantum tribuit? Quod si quis miretur nusquam in Velleii opere locum Ennio datum esse, docto

illi et venerando latinarum patri Musarum, immensam libri prioris lacunam consideret. Nos Hottingero grates agimus, qui fœdum ex auctore mendum sustulerit, ipsi repugnanti nescio qua temeritate illatum. Sed fidi editoris non erat quidquam de Ruhnkenii texto mutare, quem religiosa fide tibi, lector, exhibuimus. Ed.

Cap. IX, §. 5. *Historiarum auctor jam tum Sisenna.*

L. Cornelius Sisenna, de quo Cicero Brut. 64, de Leg. I, 2. De hoc et sequentibus historicis latinis Vossium præsertim consule. Ed.

Cap. idem, §. 6. *Fuit Cœlius.*

Est L. Cœlius Antipater, de quo Cicero in Bruto. Ejus nomen in Cæcilium transiit. Strab. libro V: Καὶ ὁ Καικίλιος, ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεύς, ubi legendum Κοίλιος. Popma.

Ibid. *Rutilius.*

Cujacius, lib. II Observat. cap. 27, eum intelligit, qui Asconio quæstor sive legatus Mucii Scævolæ, procos. Asiæ, fuit, et quem Noster infra (cap. 13) damnatum repetundarum tradit. Schegkius.

Cæteri alium intelligunt, qui, auctore Athenæo, lib. IV, historiam romanam græca conscripsit lingua; sed is Krausio idem vir est. Ed.

Ibid. *Pomponium.*

Scil. *atellanarum scriptorem*; itaque præmittit: *sane non ignoremus*; q. d. dum in his temporibus signandis versor, non omittendus est Pomponius, diversorum quidem studiorum, sed ejusdem ætatis scriptor. Euseb. Chron. 1, de iisdem temporibus: « L. Pomponius bononiensis atellanarum scriptor clarus habetur. » Bucleræus.

Ibid. *Inventi a se operis.*

Nescio an vere atellanarum inventionem Pomponio tribuat: nam Livius, l. VII, circa annum Urbis cccxc, fabellas atellanas in scena actas refert; et Novius, atellanarum scriptor celeberrimus, fuit vetustior hoc L. Pomponio bononiensi, quem Velleius æqualem Sisennæ, Eusebius in Chronicis ait floruisse olympiade clxxii, anno Urbis dclxii. Meminerunt ejus Cicero, Seneca, Macrobius et alii, ut notavi ad Varron. de Ling. Latina lib. V. Popma.

Cap. X, §. 1. *Prosequamur notam severitatem censorum.*

Krausius, *notæ severitatem censorum*; quod paulo durius. Hoc factum verbis prosequitur Velleius, ne, quum sit plerisque notum, si absit, a multis desideretur. Non tamen Krausianam lectionem temere damnandam censemus. Ed.

CAP. X, §. 1. *Abhinc annos* CLVII.

Lege CLIV. MANUTIUS.

Locus videtur mendosus; nam ab his censoribus, anno scil. ab U. c. DCXXVIII, ad Vinucium cos., CLV tantum anni sunt: itaque hic puto legendum: illas vero notas II, ex Æmilii Lepidi prænomine esse conflatas, ac huic numero conglutinatas: quodnam vero hujusce Lepidi prænomen fuerit, nescio. PUTEANUS.

Ibid. *Lepidum Ælium.*

Bene, judice Lipsio, Aldus CLV. *Lepidum Æmilium*, ut etiam edidit Schegkius; in gente enim Ælia cognomen *Lepidi* non reperitur. RAPHEL.

Ibid. *Si quis tanti habitet.*

Videtur Tiberium notare, qui senatori latum clavum ademit, quem cognovisset, sub kal. jul. demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in urbe conduceret, teste Suetonio in ejus vita, cap. 35. PUTEANUS.

Ibid. *Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in præcipitia pervenitur.*

Ut Ruhnkenio, ita Krausio sordet hoc in loco vulgata, qui (auctore *J. Sterke*, in Actis Lit. Societ. Rheno-trajectanæ) scribit: « A rectis in prava, a pravis in vitia, a vitiis in præcipitia. » Sed locum sic emendatum multo minus probasset Ruhnkenius, cujus notam vide. Nos hic quoque nihil mutandum contendimus: vitiosa potest esse regula necdum prava, si cætera recto, aliqua tamen ex parte sinuato margine sit; prava tunc solum fiet, quum distorta erit; supererit deinde, ut frangatur. Sic mores primo recti, deinde inflexi, mox depravati, denique omnino fracti ac perditi sunt. ED.

CAP. idem, §. 2. *Domitii ex Arvernis, et Fabii ex Allobrogibus victoria.*

Ille Bituitum sive Betultum regem eorum perfide vinxit, Valerio si fides lib. IX, cap. 6; hic cum isto felicius pugnavit. Vide Cæsarem lib. I, Belli Gall. Et quod Noster Domitium ex Arvernis, Fabium ex Allobrogibus tradit, dissentiunt Strabo, lib. IV; Orosius, lib. III, cap. 13; Florus, lib. III, cap. 2. De cognomine *Allobrogis*, Pædianus. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 3. *Uti ante hunc, nobilissimæ simplicitatis juvenem, Cn. Domitium, fuere, singulis omnino parentibus geniti.*

Sæpe loco locus explanatur, aut emendatur; ut hic pro *uti*, VII legendum esse, si quis Tranquilli verba in Nerone de Domitiis animadvertat, facile conjiciet; sunt autem hæc: « Functi consulatibus VII, triumpho censuraque duplici, et inter patricios allecti. » MANUTIUS.

Locus, quem haud temere transeam, a verbis corruptum, ab historia involutum. Quid illud *uti?* corrigunt VII, et receptum id jam in libros, quasi certum. Ego miror: nam ad vestigia scripturæ haud improbum hoc fateor; quid tamen ad Velleii mentem, aut historicam fidem? Ecce Velleius ait, *peculiarem quamdam et artatam numero felicitatem Domitiæ familiæ se notare.* Ubi ea hic? quodne septem in ea consules? nam illuc referunt. Ridiculum; ego triginta gentes romanas dabo, in qua longe plures: dabo unam Claudiam, in qua viginti octo. Denique quomodo fides constabit, de septem triumphis? nam hoc additur, *omnes pæne ad triumphi insignia pervenisse.* Atqui volve, revolve annales, duos modo triumphos in Domitia gente reperies, quod Suetonius notat, diligens et fidus observator talium rerum. Hæc incommoda in ista correctione sunt. Nos ergo legimus IV, *ante hunc*, id est, quatuor, ista mente: in una familia fuisse quatuor singulis parentibus genitos, ipsosque singulos (nam hoc illud rarum quod intelligit, ex unicis unicos semper natos); et eos omnes ad consulatum pervenisse, ad triumphum pæne omnes. Velim igitur etiam scribi: *singuli parentibus geniti*, clarius ad hanc sententiam exprimendam, non *singulis.* Quod tamen si retines, eodem trahe. Ab hac nostra correctione Velleii verba sunt, *artata numero felicitas;* et de paucis ostendit se loqui; etiam Suetonii Domitianum stemma, quod initio Neronis legis. Ibi enumerat ab Domitio Allobrogico, quatuor parentibus suis unicos, ad Domitium usque patrem Neronis, qui est iste ipse Velleianus *nobilissimæ simplicitatis juvenis.* Hæc ergo liquent; et omnes isti consules. Sed de triumpho quid? ubi quatuor? Nego esse debere: nam dixit Velleius (cujus verba jure pensito) *pæne omnes.* Ergo pervenerint uno minus; sed hos ipsos tres quomodo expedio? Ex eodem Velleio, qui dixit non *triumphos*, sed *triumphi insignia.* Ergo sunto duo triumphi, alter Domitii Allobrogici notus; alter Domitii Calvini de Hispanis, anni DCXXI. Tertius autem Domitios, avus Neronis, donatus est sub Augusto *ornamentis triumphalibus*, ex *germanico bello.* Suetonius auctor. Jamne tenebrosæ nostulæ lux facta? mihi videtur. LIPSIUS.

Eumdem hunc *nobilissimæ simplicitatis* juvenem, Sueton. Ner. 5, *omni parte detestabilem* vocat. Cæterum partem controversiæ suo modo diremit Krausius, ita scribendo: *fuere (singuli) singulis parentibus geniti;* sed ejus emendatione nil opus erat. ED.

CAP. XI, §. 1. *Natus equestri loco.*

Forte, *natus agresti loco.* Sane ipse Paterculus sub finem voluminis ait, Marium *obscuro loco natum.* Plinius vero, lib. XXXIII, cap. 11, *aratorem Arpinatem* nominat; cum quo consentit Juvenalis, Sat 8; item Julius Celsus, qui eum *rusticanæ, ac ne romanæ quidem originis* fuisse asserit Denique Valerius Maximus, Plutarchus, omnesque alii vilissimam ei originem assignant. VOSSIUS.

Cap. XI, §. 1. *Quantum bello optimus.*

Genus locutionis infrequens, cui par illud Sallustii, Histor. I: « Quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est. » Terent. Heauton. V, 2: « Quam in minima spe situs erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet suas. » Popma.

Cap. idem, §. 3. *Quippe intra* xii *ferme annos.*

Nempe Q. Metelli Numidici, neque enim ad Velleii tempus hæc vox referenda est. Notat autem Onuphrius Cæciliam gentem pontificatus max. iv, dictaturas ii, magisteria equitum totidem, consulatus xx, censuras vii, triumphos ix, intra annos ccl adeptam fuisse, quibus honoribus functi sunt viri xix. Nævius poeta, ut est apud Asconium, *fato Metellos fieri consules*, dixit, ad quod respexit Cicero in proœmio I Act. in Verrem. Puteanus.

Ibid. *Amplius* xii.

Facile est reperire numerum xii Metellorum, quos coss. censores et triumphales, ita ex Fastis digeremus, initium facturi ab a. U. c. dcxxx.

(Æra media.) CONSULES.

A. U. C. 630. Q. Cæcilius Metellus Balearicus, Macedonici filius.
634. L. Cæcilius Metellus, Metelli Calvi filius.
636. L. Cæcilius Metellus Diadematus vel Delmaticus.
638. M. Cæcilius Metellus, Macedonici filius.
640. L. Cæcilius Metellus Caprarius, Macedonici filius.
644. Q. Cæcilius Metellus Numidicus.
655. Q. Cæcilius Metellus Nepos, Balearici filius.

CENSORES.

A. U. C. 633. Q. Cæcilius Metellus Balearicus.
638. L. Cæcilius Metellus, Calvi filius.
651. Q. Cæcilius Metellus Numidicus.

TRIUMPHALES.

A. U. C. 632. Q. Cæcilius Metellus Balearicus, de Balearibus.
637. L. Cæcilius Metellus Delmaticus, de Delmatia.
640. M. Cæcilius Metellus, de Sardis.
C. Cæcilius Metellus Caprarius, de Macedonibus.
644. Q. Cæcilius Metellus Numidicus, de Jugurtha.

Ita consulatus septem, censuras tres, triumphos quinque Cæciliorum habemus. Non ergo numerus ille xii (quem non *duodecim*, sed *duodecies* io Velleio pronuntio) esset minuendus; sed annorum, intra quos hæc decora genti evenere, augendus: nam hæc minime intra xii annos contigerunt, et debuisset scribere Velleius *intra* xx, vel xxv *fere annos*. Sed si Velleji

vulgatum numerum servare volumus, et intra XII fere annos reperire totidem, id est, XII dignitatum insignia, numerare incipiamus ab a. U. c. 630 ad a. 642, et exibunt quinque consulatus, duæ censuræ, et quatuor triumphi, et unus modo numerus deerit, quem defectum supplebit τὸ *ferme*: si enim modo excedamus ad a. 644, duo accedent; sed captasse videtur Velleius æquum illum annorum XII et dignitatum XII in eamdem gentem congruentem numerum. Vid. et Pigh. Annal. ad a. U. c. 633. Ut autem uno aspectu celeberrimæ gentis decora appareant, quæ omnia contigere duorum fratrum, nempe Q. Metelli Macedonici et L. Metelli Calvi filiis, tale stemma subjicio.

Q. METELLUS MACEDONICUS.

Q. Metellus Balearicus, cos. 630, cens. 633, triumph 632.	L. Metellus Delmaticus, cos. 636, triumph. 638.	M. Metellus, cos. 638, triumph. 640.	C. Metellus Caprarius, cos. 640, triumph. 640.
Q. Metellus Nepos, cos. 635.			

L. METELLUS CALVUS.

L. Metellus, cos. 634, cens. 638.	Q. Metellus Numidicus, cos. 644, triumph. 644, cens. 651.

Burmannus.

Cap. XII, §. 1. *Ut præcaventibus fatis.*

Credo hæc duo inserta propter necessitudinem, et summam conjunctionem quæstoris cum suo præside, de qua Cicero de Divinatione et epistolis ad Memmium. Schegkius.

Nihil puto apertius τῷ *præcaventibus*, quæ voluerunt jam tum concordiæ, si potuissent, fundamenta ponere in quæstura. Burmannus.

Cap. idem, §. 2. *Cimbris ac Teutonis.*

Nota Ciceronem de provinciis consul. et Sallustium in Jugurtha hos Gallorum generali nomine concelebrare. Schegkius.

Florus quoque, lib. III, 3, *ab extremis Galliæ profugos* dixit; sed confudisse sæpe veteres Galliæ et Germaniæ limites satis constat. Vide mox cap. 19 (pag. 359). Burmannus.

Cap. XII, §. 3. *Collegæ sufficiebant.*

De collegio Cicero, in epistola X, ad Appium: « Amplissimi sacerdotii collegium; in quo non modo amicitiam violari apud majores nostros fas non erat, sed ne cooptare quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. » Schegkius.

Ibid. *Populus crearet.*

« Pontifex maximus, et rex sacrificulus, et flamines a populo creati; pontifex quidem tributis comitiis, rex centuriatis, flamines curiatis, tum quum reliqui sacerdotes a collegiis cooptarentur; quos omnes postea Cn. Domitius ad comitia populi tributa transtulit anno DCLI, Mario et Oreste coss.; quam legem post a Sylla sublatam, et iterum a T. Labieno tr. pl., Cicerone cos., relatam, iterum M. Antonius cos. post Cæsaris dictatoris necem abrogavit; qua insequenti anno una cum cæteris Antonianis legibus Sc. sublata, res rursus ad populi comitia rediit. » Libuit hæc ex Sigonio, I de Antiq. Jur. Civ. Rom. 19, adscribere. Bæclerus.

Cap. idem, §. 4. *Amplius* CL *millibus hostium.*

Ducenta millia cæsa fuisse scribunt Epitome Livii, et Oros., et Eutrop.; amplius CL millia Plutarchus. Puteanus.

Cap. idem, §. 5. *Quibus nomen erat Raudiis.*

Magna est varietas apud auctores in hoc nomine. Apud Plinium de Viris illustribus codd. quidam habent, *Claudium campum*, alii *Laudium*; quo modo et scriptos quosdam habere Vinetus testatur; quidam veteres *Savidum* apud Flor. lib. III, vulgares codd. *Claudium* edunt; scripti autem *Raudium*, quo modo hic quoque legendum puto. Puteanus.

Ibid. c. m. *hominum.*

Epit. Livii lib. LXVIII; Eutrop. lib. V; Flor. lib. III; Oros. lib. V, CXL millia cæsa scribunt; Plutarch. in Mario, CXX millia. Capta autem LX millia omnes scribunt; quo fit, ut hic putem scribendum, *amplius* CC M *hominum.* Puteanus.

Ut alii summas cæsorum captorumve concipiunt, videatur geminanda centenaria hic nota: CC M *hominum.* Lipsius.

Cap. XIII, §. 2. *P. Rutilium.*

Rufum. Est ille ipse historicus, de quo supra, consul cum Manlio; vita Socraticum probavit; certatim in eo extollendo scriptores. Minutius, in Octav. « Quod si mundus divina providentia et alicujus numinis auctoritate regeretur, nunquam mereretur Phalaris et Dionysius regnum, nun-

quam Rutilius et Camillus exsilium, nunquam Socrates venenum.» Damnatus Smyrnam commigravit literarum studio. Ovid. lib. I de Ponto: « Et grave magnanimi robur mirare Rotili, Non usi reditus conditione dati: Smyrna virum tenuit.... » SCHEGKIUS.

CAP. XIV, §. 1. *Cultello percussus.*

Sic Livius lib. LXX; Appian. lib. I; Auctor. de Vir. illustr.; Senec. de Brevit. Vit.; Oros. l. V: at Cicer. de Nat. Deor. ejus percussore *Q. Varium* nominat. Plin. lib. XXVIII, cap. 9, scribit eum *caprinum bibisse*. PUTEANUS.

Florus, quasi de fatali morte, « Drusum, inquit, ægrum rerum temere motarum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit. » Cæteri tamen percussoris manu (Ciceroni *C. Varius*, *homo importunissimus*, vocatur) periisse consentiunt. Seneca de Brev. vit. 6, « disputatur, an ipse sibi manus attulerit: subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est; aliquo dubitante, an mors voluntaria esset; nullo, an tempestiva. » Idem, Consol. ad Marc. 16, *intra penates interemptum*, *incerto cædis auctore*, memorat. BECLERUS.

Ibid. §. 3. *Censorini.*

Puto esse C. Marcii Censorini, qui consul fuit a. U. DCCXLVI, quem laudat infr. c. 102, et ad quem Horatii ode 8, lib. IV. Sisenna vero est T. Statilius Sisenna, consul a. DCCLXIX, de quo vide Ryck. ad Tacit. II Annal. 1. BURMANNUS.

Ibid. *Neque quisquam in eam despicere possit.*

Non ait idem, quod in præcedentibus, Velleius: nam *despicere* valet, ab alto inspicere. Falluntur itaque, qui verba hæc pro glossemate inducenda esse contendunt. VOSSIUS.

CAP. XV, §. 1. *In legibus Gracchi.*

Sed quorsum hic Gracchanarum legum Paterculus meminit? Nempe quia earum nonnullas Drusus retulit, ut de coloniis deducendis, teste Appiano, lib. I. Unde manifestum est, quædam hoc loco de ista Drusi lege desiderari. PUTEANUS.

Nihil deest, sed maluit Graccho, quam Druso invidiam facere; adlatum enim Tiberio supra adnotaverunt viri docti. BURMANNUS.

Drusus quum universæ Italiæ jus civitatis communicare vellet, id agebat, ut civitas romana saltem citra Rubiconem consisteret. Perperam vero Gracchi leges tulerant de coloniis extra Italiam deducendis, unde communis patriæ minor veneratio, nec Roma suos jam norat, civesque censendi caussa in Italiam ex longinquis orbis partibus vocandi erant. Quare Drusum sapientiorem Gracchis, nec istorum temeritati assimilandum fuisse

contendit Paterculus Tiberii laudator. Hoc est orationis filum, a Puteano quidem frustra quæsitum; ae vereor ne nimis tenue sit, quoniam ruptum videri vel tam oculato viro potuit. Ed.

Cap. XV, §. 1. *Prima autem extra Italiam colonia, Carthago condita est.*

Parum abest, quin totum hoc exturbandum dicam: totidem enim verbis libro priori legitur. Vossius.

Ibid. §. 3. *Duplici numero.*

Petrus Delbenius legendum putat, *duplici munere.* Manutius.

Frustra vexatur hic locus, qui valet. Tamen legendum aliquis censet *duplici munere;* ab imperitia aut certe incogitantia moris prisci, qui fuit, ut socii duplum militum fere darent præ Romanis. Livius sæpe ingerit, ut lib. XXXVI, 2: « Decretum ut novorum militum tria millia duceret, et trecentos equites; ita ut in iis duæ partes sociûm latini nominis, tertia civium romanorum esset; » l. XXXV, 20: « Imperatum L. Quinctio, uti duas legiones civium novas scriberet, et sociûm ac latini nominis viginti millia peditum, et equites octingentos. » En, manifesto numero duplici, quoniam legiones tunc nondum sex millium factæ. Puteanus.

Ibid. *Militum equitumque.*

Ergo equites sejuncti a militibus? Ita, genere quodam loquendi: nam *pedites*, quia plurima et præcipua militiæ pars, ἐξοχῇ quadam veniunt sæpe soli in *militum* nomen. Cæsar, III de Bello Civili: *Quum ipsi numero militum equitumque præstarent.* Hirtius in Bello Afric.: *Advectis militum equitumque copiis;* et alibi quoque in iis libris. Lipsius.

Ibid. §. 5. *Consensu reip.*

Nemo, vel mediocriter in romanis rebus versatus, non intelligat, *consensu populi romani*, legendum esse. Natus error ex literarum similitudine, ut alibi quoque: nam *resp.* sic, *R. P.;* populus autem romanus, *P. R.* scribebatur; quod jam pueris quoque notum est. Manutius.

Ibid. *Nec triumphis honoribusque*, etc.

Sic fere Cicero in Orat. pro Plancio dixit, « Metellum ob illam constantiam, qua illud voluntarium vulnus accepit, justissimos omnium Metellorum et clarissimos triumphos gloriæ laude superasse. » Puteanus.

Ibid. *Aut caussa exsilii.*

Clarus fuit *exsilio* Metellus, quod a Rhodiis, apud quos exsulabat, summa benevolentia et observantia cultus sit, ut scribit Plutarchus in Mario; *reditu* autem, quia non suffecit integra dies gratulationibus ad portam eum excipientium, quod scribit Appian. lib. I. Puteanus.

Cap. XVI, §. 1. *Italicorum autem fuerunt.*

Italici duces multo plures fuere, quam Velleius recenset : *Q. Popedius Silo*, *Hirrius Asinius*, *Institeius Cato*, *C. Ponditius*, *Pontius Telesinus*, *C. Vettius*, *Marius Egnatius*, *C. Papius Mutilius*, *P. Neronius*, *P. Ventidius*, *M. Lamponius*, *C. Indacilius*, *P. Presenteius*, *A. Cluentius*. In quibus hoc notandum, Italicos simul habuisse duo nomina gentilitia, quæ Romanorum usus non admittit, ut *Marius Egnatius*, *Hirrius Asinius*, et *Minatius Magius*, *Decius Magius*. Popma.

Ibid. *Silo Poppædius.*

Melius *Pompedius*, ex Diodoro ac Orosio. Apud Appianum est, Πομπάδιος, leviculo errore, pro Πομπαίδιος, aut Πομπήδιος· ita enim aliquos scribere video. Vossius.

Ibid. *Herius Asinius.*

Livio, lib. LXXIII : *Hirmius Asinius*, *Marrucinorum prætor*. Schegk.

Herium Petrium, vel *Pettium*, nolanum senatorem, memorat Livius, l. XXIII, 43. Burmannus.

Ibid. *Insteius Cato.*

Vettium nominat Cicero, Phil. XI, et alii. Manutius.

Ursinus legit, *Vettius Cato*, ex Appiano et Ciceronis Phil. XI. Ego amplius deliberandum censeo : nam unde *Insteii* nomen paucis notum hic irrepserit? Itaque hæreo, an non *Insteius Capito* sit legendum, ex Taciti Annal. XIII, ubi *Insteii Capitonis*, sed alterius, mentio. Si tamen Ursini lectio placeat, eo quod *Capitonis* alii in enumeratione ducum non meminerint, incertum erit, num *P.* an *T.* an *C. Catonem* vocitet Velleius. Quantum enim scrutari potui, duo, vel forte tres Catones inter Italicos duces fuere. Primus, ut dixi, est *P. Vettius Cato* : hunc Cicero Phil. XI, et Appianus, *P. Vettium* nominant. Alter est *Titus Vettius Cato* : eum Eutropius *T. Vettium* appellat, uti et Cicero, Phil. XI, ubi vulgo legitur : *cum P. Vettio Catone, duce Marsorum*. Sed quum in optimæ notæ MS. bibliothecæ publicæ hujus Amstelodamensis urbis invenerim, *cum P. Vectio, et Titio Scatone*, non dubito, quin legendum sit, *cum P. Vettio*, *et Tito Catone*. Tertius esset, *C. Vettius*, *prætor Marsorum*; cujus meminit Seneca de Beneficiis, III, 33. Sed locus mihi suspectus. Puto verius esse, *T. Vettius*; idque Cicerone præeunte, ut vidimus. Vossius.

Ibid. *Papius Mutilius.*

Lege, *Mutilus*. Non affero Appianum, Orosium et alios, qui ita scribunt. Satis id firmant Fasti, qui ad annum Urbis dcclxi ex eadem gente consulem constituunt M. Papium Mutilum. Mendose etiam apud Diodorum, in excerptis lib. XXXVII apud Photium, scribitur, Γαῖος Ἀπώνιος Μούτυ-

λος, pro Γαῖος Πάπιος Μούτυλος. Apud Plutarchum, lib. de Fortuna Rom., est Μοῦμος. Ubi Μούτυλος legendum, non Μουτίλιος, quod volebat Popma. Vossius.

Cap. XVI, §. 2. *Decii Magii.*

De hoc vide Livium lib. XXIII: est autem legendum *Decimi*. Puteanus.

Vir doctus hic legendum affirmat, *Decimi*; eo impulsus, ut ait, quod necessario hic esse debeat prænomen; sed fallitur: nam italicos duces duo gentilitia nomina quandoque habuisse constat; ut *Minatius Magius*, *Marius Egnatius*, *Herius Asinius*. Decii autem hujus meminit etiam Livius, lib. XIII, ac Silius Italicus, lib. VIII; ex quo apparet, Livii itidem locum frustra a Sigonio esse tentatum. Vossius.

Cap. idem. §. 3. *Cujus ille pietati.*

Lipsius legendum conjicit, *cujus scilicet pietatis*. Raphel.

Forte, *cujus in se pietati*; sive, *cujus inde pietati*. Vossius.

Vetustus codex inserebat *ille: cujus ille pietati*. Nec de nihilo id insertum videri potest. Quare opinor excidisse literas nonnullas, quomodo et alibi peccatum, ac scribi oportere, *hujus illibatæ pietati*. Heinsius.

Ille, a multis tentatus, a nullo sanatur. Sed retineatur, tamquam *κατ' ἔμφασιν* dictum: «Ille, ille, inquam, populus romanus beneficiorum memor, nec remunerandis impar.» Krausius edidit *hujus*, ac paulo infra *reddidit*. Bipontina in notis proponebat: *cui illius pietati*. Ed.

Ibid. *Ipsum viritim civitate donando.*

Viritim, id est nominatim, singillatim, seorsim: civitas enim dabatur aut oppidanis singulis, aut universis. atque illud honorificentius; sic Cicer. II Philip.: «Civitas non tum singillatim, sed provinciis totis dabatur;» et in I: «Civitas data non modo singulis, sed etiam nationibus et provinciis universis.» Puteanus.

Id valet: solum et seorsum civem faciendo, non una cum aliis et in turba. Quod certe ad honorem ejus facit, et amorem simul indicat Romanorum. Volui aliquando scribere: *Ipsum Quiritium civitate donando*; nunc desisto. Lipsius.

Fortassis rescribendum, *Quiritem*; quod ad amplificationem dignitatis valde pertinet. Non eadem conditione sunt usi omnes civitate donati, sed optima fuit Quiritum, qui pleno jure cives romani erant, et tribum cum honorum petitione, aut saltem suffragiis, habebant; incommodior Latinorum, post Latinos Italicorum, ut ex historiarum lectione satis liquet. *Quiritem* numero singulari etiam dixit Horatius: *qui te Quiritem*; et Persius: *quibus una Quiritem vertigo facit*. Popma.

Pulchre Lipsius *Quiritium*; etsi non sunt prorsus contemnenda, quæ cl. Puteanus in patrocinium scripturæ vulgaris profert. Heinsius.

23.

Cap. XVI, §. 3. *Quum seni adhuc crearentur.*

Non nisi decennio post L. Sulla dictator, latis novis quæstionibus, duos adjecit, ut essent octo, qui numerus Ciceronis tempore fuit. Porro de prætoribus, et ut eorum numerus auctus sit, et a quibus, vide Onuphr. in Fastis ad a. U. c. CCCXXCVIII. Puteanus.

Cap. idem. §. 4. *Utque ad saga iretur.*

Sagum amictum militarem Græcis, Gallis, Germanis, Hispanis usitatum cum Romanis. Cicero, Plutarchus, Tacitus, Strabo, Nonius, Suetonius. Hoc Romæ moris in dubio periculosi Martis eventu sumere, ut in tumultu, et tristi tempore civitatis, ponere annulos, indicere justitium, differre vadimonia, mutare vestem. Livius, Tacitus, Suetonius, Juvenalis, Lucanus, alii. Et sumptum (ad quod SC. vel lege opus, Cic. Philipp.) non deponebatur, nisi spe lætiore, et Fortuna obsequente. Orosius, lib. V. *Consulares*, tamen ait Cicero, Philip. VIII, *togati esse solent*, *quum civitas est in sagis*. Ejus sagi tria, ni fallor, genera. Unum lugubre, id est, luridum, nigrum, pullum, luctu fugaque dignum, ut commentator Horatii ad Epod. 9 describit, et de quo nos hic. Alterum gregale, militum dico, densum et villosum; cujus colorem diu anquisivi, nec inveni: coccineum commentator tribuit sine ratione et auctore. Scio, Romanis coccineam tunicam supra prætorium extensam futuri prælii signum fuisse; sed quid huc? doctissimus vir confundit cum illo: ego hæreo, et Strabonem, lib. III, audio, tamquam novum quid tradentem, esse gentes, quæ pullo sive nigro utantur sago. Tertium, imperatoris, quod paludamentum proprie. Apuleius, Apologia 1: « Verum tamen hæ Diogeni et Antistheni pera et baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituus auguribus. » Color purpureus seu puniceus, præter exempla a doctis prolata, ex Hirtii lib. I, Belli Africani, probo: « Nam quum Scipio sagulo purpureo ante adventum uti solitus esset, dicitur Juba cum eo egisse, non oportere illum eodem uti vestitu; itaque factum est, ut Scipio ad album se vestitum transferret. » Ex quo et hoc haud absurde colligas, purpureum præcipue principem, album etiam eos, qui in exercitu alicujus dignationis et gradus, induisse. Scheckius.

Cap. XVII, §. 1. *Romani victis afflictisque ipsi exarmati, quam integris universis civitatem dare maluerunt.*

Acidalius malebat *exanimati*, ut sibi constaret metaphora quam putabat e valetudine ductam. Krausius edidit *integri integris universis*, ex Ruhnkenii conjectura nimis argutis fulta rationibus. Ed.

Cap. XVII, §. 3. *Petensque consulatum, pæne omnium civium suffragiis factus est.*

Restitue, *nactus est;* quod Grutero etiam in mentem venisse, minime dissimulandum putavi. Vossius.

Johannes Georgius Grævius, vir mihi conjunctissimus (quo fit, ut ejus verecundiæ detur, ne laudandus mihi hic operosum, quod merebatur, veniat in modum), tum Thomas Munckerus, vir itidem pereruditus, arbitrabantur hoc in Velleio loco τὸ *factus* minime amovendum esse, quod Ciceroni frequenter sit in usu hæc ellipsis, quum de consulatu agit. Scribendum igitur videri Munckerus contendebat: *petensque consulatum, pæne omnium civium suffragiis factus, eum honorem undequinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est.* Cælius ad Ciceronem, ep. 4: « Inde cuncti Hirrum non faciendum flagitare, » pro faciendum ædilem. Victor, de Cæsaribus, cap. 37: « post quem Probum in Illyrico factum accepere, » factum imperatorem. Heinsius.

Cap. XVIII, §. 1. *Necatisque in ea omnibus civibus romanis.*

Memnon de Tyrannis Heracleæ Ponticæ, item Valerius Maximus, l. IX, c. 11, LXXX millia Romanorum occisa tradunt; ut omnino sit verisimile, Plutarchum in Sylla errare, qui numerum usque ad C et L millia adauxit; quamquam Appianus in Mithridaticis Plutarcho fidem adstruere videatur. Centum enim et sexaginta millia perempta fuisse, tradit; sed Memnonis hic potior videtur auctoritas. Vossius.

Cap. idem, §. 3. *In unius Theophanis gratiam.*

Idem scribit Plutarch. in Pompeio. Eumdem quoque Pompeius in concione militum civitate donavit. Cicer. pro Archia. Valer. l. VIII, c. 14. Puteanus.

Hujus *Theophanis* posteritas inde, nomine Pompeii adsumpto, claruit Romæ; ut filius ejus, *Pompeius Macer*, et nepotes, *Pompeius Macer* et *Pompeia Macrina*. Vid. Ryk. ad Tacit. Ann. VI, 18. Quem morem, civibus novis usitatum, patronorum nomina adsciscendi, non animadvertisse videtur magnus Gronovius ad Livium, XXXIX, 19; nec Manutius, qui, argument. Orat. Cic. pro Balbo, Theophanem libertum Pompeii facinut; sed quem errorem egregie refutavit Fabret. ad Inscript. suas commentario, p. 478, qui et confusos fuisse a viris doctis hunc *Theophanem mitylenæum*, et *Cornelium Balbum Theophanem gaditanum*, a primo Theophane adoptatum, docet, quod jam antea etiam erudite fecerat Tristan. Comment. Histor. tom. II, p. 477. Burmannus.

Cap. idem, §. 5. *Quum antea rectissima.*

Sic quoque Pædianus in Cornel. scribit Sulpitium initiis bonarum actionum ad perditas progressum esse: idem etiam scribit Cicero de Harusp. resp. Puteanus.

CAP. XVIII, §. 6. *Omnia imperia.... addixit.*

Non puto vocem istam eum hoc loco habere sensum, quem omnes sciunt, sed illum minus notum, qui a Festo explicator. *Addicere*, inquit, *proprie est idem dicere et approbare dicendo*; in qua, opinor, significatione in augurali disciplina aves tum dicuntur *addicere*, quum ratum faciunt auspicium, et approbant facienda. Livius, lib. XXVII: « Fabio auspicanti aves semel atque iterum non addixerunt; » nisi si quis forte malit ita legere: *pravus et præceps se Mario.... addixit;* cujus lectionis fere eadem est sententia, sed illam magis probo: usum et sic Lactantius hoc verbum usurpat, lib. I, cap. 7: « Quare, inquit, incredibilia est error illorum, qui quum aliquam sectam probaverint, eique addixerint, cæteras damnant tamquam falsas et inanes. » PUTEANUS.

Addixit, est ex auctionibus desumptum, et notat donavit, et regenda dedit, ut infr. cap. 25, et millies apud alios auctores. Vid. Græv. Ep. Syll. t. IV, p. 643. BURMANNUS.

CAP. XIX, § 1. *Caputque ejus erectum, et ostentatum pro rostris.*

An potius fuit, *exectum et ostentatum?* GRUTERUS.

Grutero non displiceret, *exectum*. Quod an linguæ latinæ usus admittat, mihi dubium. Nec video, cur vulgata lectio motari debeat. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 2. *Annoque* LXX.

Lego, *annumque*: nam si Marius, ut ante Velleio narratum, septuagesimum annum jam fuerit egressus, quum Sulpicius legem ferret, necesse est illud, et magis quidem, locum habere illo jam pulso, licet brevissimum spatium intercesserit. Quod satis colligere possumus ex inscriptione rerum gestarum Marii. Non adscribam eam integram, quia longiuscula est: sufficiunt hæc verba, quæ ad institutum nostrum spectant: POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA. PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS. EST. VOSSIUS.

Ibid. *Circa paludem Maricæ.*

Aldus adnotat Maricam esse fortasse nomen silvæ prope Minturnas, quod dum lego, risum tenere vix possum: nam *Marica* nympha est, uxor Fauni apud Virgil. lib. VII, eademque dea litoris Minturnensium juxta Lirim fluvium, quemadmodum ad illum Maronis locum Servius scribit. Unde Horatius eam oram *Maricæ litora* appellat, lib. III, Od. 17, quom ait: « Qui Formiarum mœnia dicitur Princeps, et innantem Maricæ Litoribus tenuisse Lirim. » Similiter Lucanus, lib. II: « .... Et umbrosæ Liris per regna Maricæ. » Plutarch. quoque in Mario auctor est, ad Minturnas locum fuisse Maricæ sacrum. Ita quam Velleius *Maricæ paludem*, Cicero, Livius et alii *paludes* appellant. Plutarch. enim ibidem

scribit Lirim fluvium prope Minturnas in modum paludis sese effundere. Puteanus.

Cap. XIX, §. 2. *In carcerem Minturnensium.*

Valerius in privata domo Minturnis clausum dicit. Schegkius.

Ibid. *Jussu II viri.*

An potius II *virum?* Duo enim certe in coloniis. Lipsius.

Nocuit loco scripturæ compendium; fuit certe, *jussu duumvirali.* Gruterus.

Gruteri conjecturam in textum receperunt Heinsius, Hudsonius, et Cellarius; sed unus ex duumviris potuit jussisse. Burmannus.

Cap. idem, §. 3. *Natione Germanus.*

Cimber Valer., *Gallus* Liv. et auctor Illustr. vir. Recte supra monui, l. II, c. 12, per auctores Gallorum nomine comprehendi Cimbros Teutonosque. Quis servus sive actor publicus, erudite Lipsius in Electis Tacitique notis explicat Schegkius.

Cap. idem, §. 4. *Circa Tænariam.*

Cod. quidem *Ænariam:* recte. Vide Plutarch. Sisenna, lib. VI Fastor. apud Nonium, verbo *Continuare* : « Marius ostio Liris evehitur, atque Ænariam suos continuare jubet. » Puteanus.

Ibid. *Filium.*

Falsum hoc est, si Plutarcho et Appiano credimus, qui scribunt Marium non nisi in Africa filium recepisse, qui ad Hiempsalem confugerat. Livius quoque refert Marium filium in Africam trajecisse. Plutarchus autem scribit Marium in Ænaria insula Granium, privignum suum, recepisse. Itaque forsan hic legendum est, *uxoris filium.* Puteanus.

Cap. XX, §. 1. *Hoc primum anno sanguine cos. rom. milit. imbut. man.*

Distingue, *sanguine consulis*, *romani militis imbutæ manus.* Sed novumne hoc in romano milite? Atqui jam olim interfecerat exercitus Posthumium. Liv. IV, 50; Flor. I, 22. An Velleius diceret eum tribunum mil. consulari potestate fuisse; non ita caussam agerem : vel, an ibi lapidibus, hic gladio sævitum; nec hæc defensio placet. Burmannus.

Cap. idem, §. 2. *Ut in octo tribus contribuerentur novi cives.*

Vide de re et historia Sigon. de Antiq. Jur. Ital. III, 1. Annotatur autem hic a Velleio ipsissima ratio *arcani sive artis*, circa novorum civium admissionem usurpari solitæ. Boeclerus.

Cap. idem, §. 3. *Injuria homine, quam exemplo dignior.*

Paraphrasis ista est : « Hanc severitatem ademptæ dignitatis merebatur

sane homo, sed ad novas pœnas (præsertim in tali civitate, in personis talibus) decurrere, semper periculosum est, propter exemplum, quod datum sibi eredit et dicit, quisquis eo abuti cupit. » Ita de Clodii cæde infra, II, 47, 4: « Exemplo inutili, facto salutari reip., jugulatus est; » confer supra, II, 3, 4. BECLERUS.

CAP. XXI, §. 1. *Cujus præclara opera bello marsico,.... quique Asculum ceperat.*

Flor. III, 18, 14: « Strabo Pompeius omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Asculi eversione, manibus tot exercituum consularium, direptarumque urbium diis litaretur; » adde Liv. Epit. LXXIV et LXXVI. BECLERUS.

Ibid. *Circa picenum agrum, ut præscripsimus.*

Erratum memoriæ Velleii; non enim hoc ante dixit, sed illud: *Pompeio Sullæque, et Mario fluctuantem procumbentemque remp. restituentibus.* POPMA.

Frustra Velleii memoriam accusat Popma, quia de Piceno mentionem non fecerit. Nam Velleius non locum, sed res gestas respicit. Dixit autem ante: *imperatores romani fuerunt eo bello Cn. Pompeius Cn. Pompeii Magni pater, C. Marius*, etc.; item: *Pompeio, Sullaque, et Mario fluentem procumbentemque remp. P. Romani restituentibus.* VOSSIUS.

CAP. idem, §. 4. *In corpus mortui contulit.*

Nam lectum ejus populus diripuit, corpus, more recepto, unco traxit; interiit fulmine ictus. Vide Plutarch. Pompeii Vita. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 5. *Seu duæ, seu tres.*

At auctor libelli de Gentib. et famil. Rom. duas tantum fuisse putat, *Ruforum* unam, alteram *Strabonum*; e Rufis autem quidam Bithynici sunt dicti. PUTEANUS.

Hæc et quæ sequuntur ad verbum *fuit*, uncis include. Sic aliquando solet Velleius narrationis seriem abrumpere; scriptor, ut jam admonuimus, non omni ex parte imitandus. ED.

Ibid. *Ante annos fere* CLXVIII, *Q. Pompeius.*

Q. Pompeius, recte opinor, quod ad prænomen illud attinet; nam quod ad numerum, Pompeius ille ante annos minimum CLXX consul fuit: de hoc Pompeio aliquid scripsit Velleius in principio libri hujus, cap. 1. PUTEANUS.

CAP. XXII, §. 2. *Neque licentia*, etc.

Neque licentia immediocri sævitum; sic vetustus liber, scribe: *neque*

licentiæ in mediocria sævitum, vel *in mediocris*, veteri ratione scribendi pro *in mediocres*; deinde corrigendum: *sed excelsissimi quoque atque eminentissimi civitatis viri;* nam et sic in membranis fuit, nisi quod *eminentissimi* pro *eminentissimæ* est a nobis. Minus bene cl. Puteanus *excelsissimæ a. e. dignitatis*, quæ conjectura Vossium tamen habuit approbatorem, quod nollem factum. Popma fere ut nos, nisi quod is *licentia* servat intactum. Heinsius.

Neque licentia gladiorum in mediocres sævitum Rhenanus edidit; quod an ex conjectura fecerit, an ita in MSS invenerit nescio, certe Lipsius teste Raphelengio probavit. Burerii fides in multis jure suspecta est, qui sæpe lectiones formavit ipse diversas a codice illo primo; mihi certe non displicet, ut velit, non unicuique militum fuisse licentiam datam in cives etiam mediocres sæviendi, sed quasi jure, et jubentibus Mario et Cinna, animadversum tantum in eminentissimos viros. Habuit forte Velleius ante oculos illa Ciceronis, lib. IV ad Famil. ep. 9: *magna gladiorum est licentia*, ut ibi recte legitur, non *gladiatorum;* eodem modo, *gladiorum impunitatem*, Noster dixit, cap. 2 et 125 hujus libri (et Cic. X ad Fam. 2). Si illud *in mediocria* exstaret in scripto codice, vehementer placeret: sæpe enim neutro illo genere usos scriptores, pro masculino, notavimus ad Quintil. Decl. I, 6. Burmannus.

Kransius restituit, *gladiorum*. Ed.

Cap. XXII, §. 2. *Qui se sub adventum Cinnæ consulatu abdicaverat.*

Cinna, quum ei a senatu consulatus abrogatus esset, insignia interim consularia retinuit. Quod eo notandum fuit, ut appareret, vulgatam scripturam *Cinnæ consulis*, aliquo modo defendi posse. Non displicet tamen, *consulatu:* quomodo Griphio, Marneffio, Stephano, Schegkioque editum, qui tamen minus candide hanc emendationem sibi adscribere conatur. Voss.

Consulatu. Ita *Rhenanus* edidit, ne de auctore hujus lectionis in posterum dubitetur. Boeclerus.

Ibid. *Flamen Dialis.*

Post eum duobus et septuaginta annis neminem flaminem fuisse suffectum scribunt Tacit. Ann. lib. III, et Dio, lib. LIV. Puteanus.

Cap. idem, §. 3. *M. Antonius.*

Cicero, V Tusculan. Lucanus, II: « .... aut te præsage malorum, Antoni, cujus laceris pendentia canis, Ora ferens miles festæ rorantia mensæ Imposuit. » Schegkius.

Ibid. *Quos ipsos.*

Non dubito, quin *ipse* scribendum sit, non *ipsos*; ut legatur: *quos ipse facundia sua moratus erat*, etc.: nam verbum *ipse* aliquanto ἐμφατικώτερον videtur. Ursinus.

Immo *ipsos* hic habet emphasin; nam raro eloquentia gladios moratur: nunc vero ipsos illos gladios, strictos et paratos in necem moratus erat; sed accedente jussu Marii Cinnæque peracta cædes. BURMANNUS.

CAP. XXII, §. 5. *Nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstuosum.*

Fuit et supra, cap. 3, illuc huic prorsus simile: *nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum*; ut videas, quam sæpe sui ipsius sit imitator Velleius. ACIDALIUS.

CAP. XXIII, §. 2. *Quadrantem solvi.*

Quadrans, hic est quarta pars sortis, quam creditoribus solvi, tribus partibus deperditis, jubebat lex Valeria, lata a P. Valerio Flacco cos. anno DCLXVII, quæ erat turpissima et iniquissima. Similiter Cicero, ad Atticum, *semissem* vocat dimidiam partem sortis, et Ulpianus *bessem* octavam partem pretii. Alii (inter quos Aldus) intelligunt quadrantem usuram, qua in centenos aureos tres ei aurei præstantur. Sed non debuit Velleius legem Valeriam dicere turpissimam ob usuras quadrantes, quas in usu fuisse constat ex responso Scævolæ, tit. de Annuis leg. Lib. XXI, et *trientes* nominat Cicero ad Atticum, lib. IV; Ulpianus, tit. de Administr. tutor. lib. VII; et tit. ad legem Falcidiam, lib. III. POPMA.

Vide de hoc loco eruditissime disputantem virum summum Gronovium de Pecunia veteri, lib. IV, cap. 5. BURMANNUS.

Ibid. *Cujus facti merita eum pœna.... consecuta est.*

Liv. Epit. LXXXII: « L. Valerius Flaccus consul collega Cinnæ missus, ut Sullæ succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimæ audaciæ homine, occisus est; » adde Velleii lib. II, c. 24, §. 1. BECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Et Macedoniam.*

Krausius hæc verba, veritatis studio, delenda censet. ED.

Ibid. *Multiplices Piræei portus.*

Septemplici muro ab Archelao communitum fuisse Piræeum scribit Orosius, lib. VI, cap. 2. Florus quoque, *mox subruto Piræei portu*, inquit, *sex quoque et amplius muris*. Vid. et Appian. PUTEANUS.

Vide egregie de illis muris Piræei agentem virum celeberrimum J. G. Grævium, ad Flor. lib. III, c. 5. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 4. *Nimirum.*

Alii *nimium*. Florus Athenienses non liberat suspicione; ait enim: « Postquam domuerat ingratissimos hominum, in honorem tamen mortuorum

sacris suæque famæ donavit. » De Græcorum fluxa et sublesta fide, res proculcata jam, notatumque ad Plautum. Schegkius.

Lege, *nimium;* et ita jam in quibusdam codicibus emendatum reperio. De Atheniensium vero fide, contrarium prodit Tacitus, II Annalium, in oratione Pisonis, qui appellat hos *Mithridatis adversus Sullam socios.* Vossius.

Cap. XXIII, §. 4. *Attica fieri, prædicarent.*

Confundunt multi duo proverbia (*græca fide* et *attica fide*) : *græca* enim *fide*, non in laudem gentis dicebatur : nam qui non vendit, nisi præsenti pecunia, uæ ille parum fidei habet emptori; sed recte Erasmus distinguit utrumque proverbium, et *attica fide* optime exponit post Diogenianum, cent. XI, 80, quod nimirum adludatur ad templum Fidei Athenis consecratæ; unde et Ἀττικὸς μάρτυς dicebatur testis bonæ fidei, ut tradit Suidas. Burmannus.

Cap. idem, §. 5. *Oppressi Mithridatis armis*, etc.

Per Aristonem, Atheniensem tyrannum, urbe Mithridati tradita. Pot.

Cap. idem, §. 6. *Parentem ante omnia supplicemque Mithridatem invenit.*

Lego, ex auctoris perpetua consuetudine, *in omnia*. Id illi est, prorsus. Infra, cap. 97 : « M. Lollio homine in omnis pecuniæ, quam recte faciendi cupidiore. » Superius item, cap. 1 : « Meliore in omnia ingenio animoque, quam fortuna usus ; » quod videri tamen dictum aliter queat; ita nempe, ut hoc libro alibi : « Segnitia ducis in occasionem sceleris usus est. » Item, cap. 4 : « Quippe quum semper somno et cibo in vitam, non in voluptatem uteretur. Illud addam, aliquando dubitatum mihi, *parentem* etiam, an *paventem* rectius legerem. Acidalius.

Acidalius legit, *in omnia;* sed nihil mutandum. *Ante omnia* valet *præcipue*. Quis nescit illud Maronis, II Georg. « ..... Dulces ante omnia Musæ. » Sic et Plinius, lib. VIII, cap. 37 : « Quæ natura multis, et ante omnia, ursis. » Suetonius in Caligula : « Destinaverat Mileti Didymæum peragere, in jugo Alpium urbem condere ; sed ante omnia isthmum in Achaia perfodere. » Vossius.

Præcipue parentem vix intelligitur. Valeret *ante omnia*, si pro *omnino* poni soleret : sed lege *ad omnia*. Ed.

Cap. XXIV, §. 1. *Forte Mithridatem pepulerat prœlio.*

Et virtutibus Magni Mithridatis, et Velleio etiam, insignem, mea sententia, injuriam faciunt, qui emendant, *forti*. Ego *forte* omnibus modis retinendum censeo; ut dicat Velleius, casu magis, quam virtute Fimbriæ, Mithridatem esse pulsum. Vossius.

CAP. XXIV, §. 1. *Quæ pessime ausus erat, fortiter executus.*

Similiter in ejusdem fine capitis : « fuisse eum in consultando temerarium, in exsequendo virum. » Adeo currit Nostri calamus, ut plerumque tales repetitiones offendat. Hoc quoque negligentiæ imputandum erit, quod *virum* et *temerarium* male opponantur. ED.

CAP. idem, §. 2. *P. Lænas.*

Puto, *Popillius Lænas.* MANUTIUS.

Aldus verisimili conjectura legit, *Popillius Lænas.* Nil tamen temere mutandum. Forte enim huic nomen fuit, *P. Popillius Lænas.* Sed de hoc nihil possumus affirmare, quum apud cæteros scriptores Lænatis hujus nulla exstet mentio. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 3. *Legati Parthorum.*

Id factum est decem ante annis, quum Sulla ex prætura Ciliciam obtineret, et Ariobarzanem in Cappadociæ regnum restituisset. Tum enim ad ipsum ad Euphratem morantem Orobazus, Arsacis Parthorum regis legatus, societatem petitum primum venit. Vid. Plutarch. in Sulla; Livium, lib. LXX. PUTEANUS.

Ante eam diem nihil commercii intercessisse inter utramque gentem, singularemque Sullæ eam felicitatem obtigisse, quod cum ipso primum Parthi, societatis amicitiæque petendæ caussa, congressi sint, Plutarchus in Sulla auctor est. BECLERUS.

Ibid. *Cælestem.*

Suspecta mihi vocula : nam cur Sullæ *vita cælestis?* immo *scelesta* revera, et facinorum plena. Si ad famam et nomen respicit prædictio, cur non *immortalem*, aut, quod ego velim censeamque nunc substitui, *celebrem* dicat? *Celebrem*, inquam, lego; et in Plutarcho magorum hoc præsagium breviter sic concipitur, *μέγιστον γενέσθαι.* LIPSIUS.

Cælo demitti dicebant summa ingenia; unde *cælestis* Augusti animus sprevisse humana consilia dicitur, II, 60, 2, tamquam majoris e cælo auspicii prudentia fretus. De cætero Noster hac voce, crebra figura, excellentiam rerum celebritatemque notat : *cælesti ore* Cicero coarguit Antonium, II, 64, 3; *cælestem ejus vitam et memoriam futuram* hoc loco, de cujus loci lectione prorsus nihil dubito, quum gravitatem vocum captet Velleius, et hanc ipsam exempla asserant : *cælestium præceptorum disciplinis innutritus Tib.* II, 94, 1; *cælestissimum* os Ciceronis, ob singularem eloq. II, 66, 3; *cælestissima opera Tiberii*, II, 104, 3, quem ipsum superlativum augendæ novitate quadam gravitati non dubitavit assumere.
BECLERUS.

CAP. idem, §. 5. *Ab exercitu interemptus est.*

Quem in Liburniam, ut inde Sullæ occurreret, trajicere invitum vole-

bat. Auctor de Vir. Illustr. scribit lapidibus ab exercitu Anconæ occisum, Plutarch. in Pompeio a quodam centurione obtruncatum. Appianus autem, lib. I, refert, orta seditione ad saxorum jactum ventum esse, sed qui propiores erant, strictis gladiis hominem confodisse. PUTEANUS.

CAP. XXV, §. 3. *Justissimo lenior.*

Mihi placeret Lipsii conjectura, *justo lenior*, quod rectius opponitur *audito crudelior*; ita *justo ferocior* infr. c. 49. Sed illo ae quid faciamus? an restitit una syllaba ex integra voce, *facile justo lenior*, an, *dum vincit acie*, *justo lenior?* quod verum puto: quum posset jus exercere victoriæ, justo fuit lenior. Sic paulo ante *Norbanus acie victus*, et infr. cap. 70. BURMANNUS.

Ibid. *Audito .... crudelior.*

Justinus, *exspectato maturius*, et Noster de Tiberio: *exspectato revolavit maturius*, iisdem verbis. SCHEGKIUS.

Ibid. *Nam et cos., ut prædiximus, exarmatum, Q. Sertorium.*

Vetus codex sic habet: *nam et cos. (ut prædiximus) Q. Sertorium*, etc. Puto sic legendum: *nam et consulem (ut prædiximus) exarmatum, et Q. Sertorium.* Consulem autem intelligit Scipionem. Quod autem Sertorium in Sullæ potestatem venisse hic scribit, neque Plutarchus in Vita, neque alios, quod sciam, auctor tradidit. PUTEANUS.

Sulla clementiam lenitatemque exhibuit et in consule: quo illo? Scipione, quem ante dictum est, quum exercitum ipsumque in potestatem redegisset, dimissum sine noxa; et in Sertorio, qui Suessam frustra occuparat, atque in Hispaniam aufugit. Appianum vide. LIPSIUS.

Non videtur tamen multum debuisse Sertorius victoris clementiæ; nec agere solent gratias, qui fugiunt. Itaque totum hoc membrum: *Q. Sertorium, proh quanti mox belli facem!* ab aliena manu profectum suspicatur (sed quo jure?) Krausius. Aut aliquid ignoramus, aut Velleius erravit. Amplectimur Perizonii conjecturam *Quintumque Sertorium*, quasi *Qque* scriptum fuerit. ED.

Ibid. *Propinquanti.*

Editio Basileensis: *proh quanti mox belli facem!* Quod volui testatum relinquere, quum ferri tamen possit vetus lectio. MANUTIUS.

Aldus dicit veterem lectionem ferri posse. Sed unde ista vetus lectio aut ejusmodi est? Certe codicem manuscriptum non habuit. Hausit igitur ex editione quapiam. Atqui Frobeniana a. MDXX omnium antiquissima, et ex qua reliquæ omnes expressæ sunt, ita habet, *pro quanti mox belli facem!* prorsus eleganter, quod depravavit Heleanos, sive quisquis alius posterioribus editionibus manum admovit. Nam si quid in his diversum ab

illa reperitur, id ex conjectura profectum est; neque enim aliud post unicum illud, quo Rhenanus usus est, hujus auctoris exemplar inventum est, neque spes est inventum iri. PUTEANUS.

CAP. XXVI, §. 1. *Marius septies consulis filius.*

Mallem hic legere: *Marius*, *Marii septies consulis filius.* Omnes autem auctores eum C. Marii filium fuisse scribunt, præter Appianum, qui fratris filium C. Marii vocat; fortasse Marius fratris filium adoptarat. PUT.

Ibid. *Annos natus* XXVI.

De ætate discrepant auctores. Ille, qui Livium in epitomen redegit, lib. LXXXVI, inquit: *consul ante annos viginti per vim creatus.* Quem locum ad Octavium Suetonii contra Dionem laudat maximus Casaubonus; quia ille scripserat, Octavium sine exemplo ante annum XX inisse consulatum. Sed non dubito, quin mendum sit in Epitome Liviana, et pro XX ad minimum reponi debeat XXV, ut ei sic conveniat cum auctore de Viris illustribus. Noster tamen annos numerat XXVI, Appianus etiam XXVII. VOSSIUS.

Ibid. *Quam ævi paterni.*

Conjecerat Heinsius, in margine codicis sui, *quam fati paterni.* BURM. Intellige: *qui fuisset patri similis, si tamdiu vixisset.* Durum tamen hoc videtur, et *fati* magis arridet. ED.

Ibid. *Neque usquam inferior nomine consulis, apud Sacriportum*, etc.

Krausius edidit: *inferior nomine consul. Is apud Sacriportum;* sic nempe retineri posse in præcedentibus vocem *vir*, quam Ruhnkenius in *qui* mutandam censet. Sed mihi videtur pulchre sic totius periodi sensus constare: *Deinde consules* (subaudi *fuerunt*) *Carbo* III, *et C. Marius*, etc. *vir... nusquam inferior nomine consulis. Consul* post *consules* iterari non debuit, si, quod velit Krausius, intelligas: *Mariano nomine inferior.* At vero *Is* male inseritur, nec enim necessarium erat, quum in prioribus de Mario pæne solo mentio esset habita. Fallimur, aut nihil de textu mutandum, nisi quod periodum claudere post *consulis* oportet. ED.

CAP. idem, §. 2. *Scævolam.*

« Qui Asiam tam sancta et tam fortiter obtinuit, ut senatus deinceps in eam provinciam ituris magistratibus exemplum atque formam officii decreto suo proponeret; » Valerius, lib. VIII, cap. 15; Cicero in Bruto et Verrinis. In cujus quoque honorem Asiani diem festum *Mutia* nominarunt. Pædianus. SCHEGKIUS.

Cap. XXVI, §. 3. *Quantum hujus gloriæ, famæque accessit? nunc virtute eminet, patria latet.*

Fors erit, qui timide mihi probatum, magis probet, *sua virtute*. Acid.

Corruptum hoc esse dicam, et dicam tantum : non enim medeor. Certe patria ejus non latet, et Romanam fuisse nomen genusque evincunt, *Calpurnia Bestiæ filia*. Lipsius.

Hæret hic Lipsius, aitque patriam neutiquam latere, et evincere nomen genusque fuisse Romanam. Sed fugit virum maximum, *patria* hic poni pro *paterna*. Per patrem vero intelligendum arbitror Calpurnium illum, quem Jugurtha pecuniis corruperat. Vossius.

Locus varie tentatus; jam monui scribendum videri, *nunc sua virtute eminet*, quod et Acidalio venisse in mentem postea deprehendi. Johannes Ortuinius : *nunc virtus ejus eminet; patria jacet. Patria* pro *paterna; paterna latet virtute*, quod Bestia opprobrio potius quam virtute spectatus, quum a Jugurtha pretio corruptus ignominiosam populo romano inisset pacem vir consularis, atque eo nomine palam accusatus esset in senatu. Heinsius.

Quanta tum gloria famaque! Ac nunc virtus feminæ ingloria latet. Act. Erudit. Lips. 1721, p. 118. Burmannus.

Si, secundum Aldi conjecturam, *sua virtute* reponendum sit, *patria*, nempe *paterna*, pro sexto casu habendum erit, scribendumque *lateret*. Minime enim latere simul et eminere potest aliquis. Itaque mihi potior est Ortuinii conjectura, ab Heinsio memorata, *nunc virtus ejus eminet*. Nequaquam tamen assentiendum rescribenti *jacet*. Ed.

Cap. XXVII, §. 1. *Domi bellique fortissimus, penitusque romano nomini infestissimus.*

Prima editione, *animi bellique*. Nec rejicio, quum simile sit illi Corneliano, *ingens animi*. Lipsius.

Vir animi bellique in vetusto codice. Reponendum : *vir animo domi bellique fortissimus*; binæ syllabæ exciderant. Heinsius.

Recte Krausius vulgatam tuetur : *animi bellique fortissimus*, pro *animo manuque*. Deinde *penitus* cum superlativo jungi solere negat Burmannus; sed hic primariam et elegantiorem significationem retinet, *ex intimo*, scilicet *pectore* aut *sensu*. Ed.

Ibid. *Quadraginta millibus.*

Pæne duplicant numerum Appianus, Orosius, Eutropius, scribuntque *millia* lxxx. An non hic saltem lx? Lipsius.

Ibid. *Abhinc annos* cxi.

Alias xl repone cxi; quod Fasti consulares docent. Manutius.

Recte; sed de kalendis novembribus etiamne rectum? ambigo; nam

paulo infra scribit: « Felicitatem ejus diei, quo Samnitium Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetua ludorum Circensium honoravit memoria, quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur. » Atqui profecto perpetui ii ludi in kalendario romano sunt notati, non kalendis novembribus (tunc enim nulli), sed VII *kal.*, *nov.* atque ibi sculptum: *LUD. VICT.* sicut et sequenti quatriduo, *LUDI.* Nisi fallor, isti ipsi sunt, et ad hunc numerum Velleiana lectio reformanda. Lipsius.

Cap. XXVII, §. 2. *Quæ non majus periculum adiit.*

De Telesino hoc etiam capiendum, quod ait Lucanus, lib. II, 137: « .... Romanaque Samnis Ultra Caudinas speravit vulnera furcas. » Male enim alii putarunt Damasippum intelligi. Vossius.

Cap. idem, §. 3. *Ferri gestarique.*

Subtilior forte quidam grammaticus hæc differre inter se verba posset ostendere, et *gestari*, in hac re usurpatum aliis. Verum ego puto legendum, *ferri spectarique*; ita apud Ovid. II Met. 366: *Nuribus mittit gestanda Latinis.* In quibusdam codicibus est *spectanda*, unde verba illa confundi solere discimus; ferebantur autem pilo vel hastæ præfixa capita, ut conspici possent. Capitol. Maximinus, 22: « Eorum capita præfixa contis Aquileiensibus demonstraverunt. » Lucan. IX, 134: « .... Quantum gestata per urbes Ora ducis, quæ transfixo sublimia pilo Vidimus... » Sic supr. c. 19: « caput Sulpitii erectum et ostentatum fuit. » Burmannus.

Defenditur *ferri gestarique* ex similibus apud ipsum Velleium dicendi formis: supra II, 11, *hirtus atque horridus*; II, 13, *inescandæ illiciendæque multitudinis caussa*; II, 18, *leges perniciosas et exitiabiles.* Multa omitto: non semel Ciceronianus videri vult Noster. Ed.

Cap. idem, §. 4. *In diversas agrorum partes ferunt.*

Fuerunt Rhenani editio; si quid mutandum, putem, *vergunt*; ut apud Nasonem, Fast. I: « Ora vides Hecates in tres vergentia partes. » Ita nos illic e scriptis; sed *ferunt*, vel *feruntur* tolerari potest, haudquaquam incommode. Heinsius.

Ferunt, vel *ferebant*, unice verum est. Livius, XXXIX, 14: « Scalæ ferentes in publicum. » Val. Flac. IV, 438: « et via jussos qua ferat. » Plin. II ep. 17: « Nam et Laurentina et Ostiensis eodem ferunt. » Sic et Græci: Lucas, Actor. XII, 10: πύλην τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν· ubi vide Priceum. Burmannus.

Cap. idem, §. 5. *Occubuisse prodiderint.*

Alii etiam scribunt a servo jussu suo interfectum. Diod. Sicul. Excerpt. ex lib. XXXVII, et Valer. Maxim. Puteanus.

CAP. XXVII, §. 5. *Felicis nomen*, etc.

Ita in Panegyr. Coostaot. Aug. c. 20 : « Sulla felix, si se parcius vindicasset; sed eoimvero multis eapitibus rostra complevit. » Nimirum, ut Solinus autumat, « Cornelius Sulla dictus potius est, quam fuit felix; » sive, ut Pliniana ἰπίκρισις habet : « uoos sibi ad hoc ævi *Felicis* cognomen asseruit L. Sulla : civili oempe sanguine, et patriæ oppugnatione adoptatus, et quibusdam felicitatis inductus argumentis, quod proscribere tot millia ac trucidare potuisset. O prava interpretatio, et futuro tempore infelix ! » Congruit Valerius, qui post eoumerata crudelitatis argumeota, παθητικῶς sobjicit : « En quibus actis Felicis cognomen assequendum putavit ! » BOECLERUS.

CAP. idem, §. 6. *Qui quum ante Marianarum fuisset partium, prætor ad Sullam transfugerat.*

Mendum sioe dubio subest : oam Ofella anno sequenti, quum consulatum peteret contra maodatum Sullæ, qui lege vetoerat, oe quis ante quæsturam, præturamque, consulatum gereret, fuit occisus; cujus rei auctorem habeo Appiaoom. Nec vulgatam lectiooem juvat, quod Ofella, jussu Sullæ, Prænestinæ obsidioni præfuerit; quum et hoc aliis, oec prætoriæ dignitatis viris, potuerit demandari. Puto ergo pro *prætor* substitueodum *proditor*. Similiter infra de Muoatio Planco ait Velleios : « Plancus non judicio recta legendi, oeque amore reipublicæ aut Cæsaris, sed morbo proditor.... transfogit ad Cæsarem. » Qui locus per se fere sententiæ nostræ firmandæ sufficiat. VOSSIUS.

Legitur io Bipontina, *fautor*, et virgula post hanc vocem trajicitur. ED

Ibid. *Quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur.*

Membrana, *qui sub ejus nomine*; cur mutarunt ? nisi quod *Sullanæ* videtur supervacuum, ac proinde tolleodum : *qui sub nomine ejus victoriæ celebrantur*. Popma *celebratur*, scilicet memoria felicitatis ejus diei. Recte Lipsius *Lud. Victor. ludos victoriæ* in veteri kalendario huc trahit. HEINS.

Gronovius, Observ. II, 23 : *qui sine ejus nomine Sullanæ victoriæ celebrantur*; ut *victoriæ* sit dandi casus, nam appellati taotum ludi Victoriæ. CELLARIUS.

Forte scripserit, *quibus sub deæ nomine*, *Sullanæ celebrantur victoriæ*, dicti enim *ludi Victoriæ*, quæ ut dea culta. Meminit et horum ludorum Victoriæ Cicero, I act. in Verrem 10, ubi Asconius a Sulla victore bello civili institutos dicit, et ad quem locum commentans J. Menardus legit io hoc Velleii loco, *qui ludi sine nomine Sullæ*, *victoriæ celebrantur*, etiam oon male, nisi præstaret, *quibus*, *sine nomine Sullæ*, *ejus victoriæ celebrantur*; sed magis placet prior conjectura. Hæc vero addidisse videtur Velleius, quia postea alios *ludos Victoriæ* instituit Augustus, sed sub suo oomioe; in kalendario enim veteri, apud Gruter. pag. 133, mense Julio nominantur, *ludi victoriæ Cæsaris*; et in lapide, pag. 171, *ludi victoriæ*

Cæsaris Augusti; qui an illi sint, quos bello contra percussores Cæsaris voverat, apud Dion. lib. XLVIII, p. 376, ao post victoriam actiacam, quum victoriæ simulacrum in curia Julia dedicavit (cujus et Sueton. Aug. 101, meminit), et ludos omnis generis edidit, apud eumd. Dion. lib. LI, pag. 459, non dijudico. Huic victoriæ Augusti sacrum in Hispania fecerunt Cætronius et Æmilius, apud Gruter. pag. 226, 8; et postea passim *victoriæ Aug.* sacra et vota in lapidibus occurrunt facta. Hoc ergo voluit Velleius, ludos hos non dictos *victoriæ Sullæ*, sed simpliciter *Victoriæ*, ut deæ a Romanis cultæ viderentur dedicatæ. Alii ludi victoriæ Cæsaris, sc. dictatoris. Suet. Aug. 10. BURMANNUS.

Ingeniose quidem Bipontina textum adulteratum sic restituit: *qui sub idus Nov. nomine Sullanæ victoriæ celebrantur.* Non possum quin faveam quamvis audaci conjecturæ; ultimus quoque editor Cludius, in corpore historicorum latinorum, eam admisit. At Krausius servato Ruhnkenii textu, tantummodo voces illas *Sullanæ victoriæ* pro glossemate habitas uncis incluserat. Celebrabantur hi ludi VII Id. novemb. ED.

CAP. XXVIII, §. 1. *Magnificis præliis.*

Etiam paulo post, c. 24, *magnificentissimas res gerere* invenies. LIPS.

Ibid. *Partium ejus viri.*

Τὸ *viri* non placet hoc loco. Forte, « magnificis præliis partium ejus hostilem exercitum fuderant duo Servilii, » ut alterum irrepserit ex interpretamento; duo Servilii partium ejus hostilem exercitum fuderant. HEINS.

Viri in plurali numero ad Servilios, Metellum, Lucullumque refertur; nec satis scio quid Heinsium offenderit. Duo vero Servilii qui sint, non patet: unus videtur fuisse P. Servilius Isauricus consul a. DCLXXV. De tribus præliis confer App. Bell. civ. I, 89, 91, 92. ED.

CAP. idem, §. 2. *Cujus honoris usurpatio per annos CXX intermissa: nam proximus post annum, quam Hannibal Italia excesserat.*

Vir juris et antiquitatis consultus legendum arbitratur: « cujus honoris usurpatio per an. CXX intermissa, a proximo post anno, quam Hannibal Italia excesserat. SCHEGKIUS.

Proximus, refer ad dictatorem. HEINSIUS.

Vid. Pigh. Ann. a. U. c. DLI. BURMANNUS.

Ibid. *Ad vindicandam maximis periculis rempublicam.*

Locus est omnium quotquot librariorum incuria vexavit, corruptissimus. Nos Ruhnkenium omnino sequendum arbitramur, cujus notam vide, et miram hominis perspicaciam lauda. Tantummodo pro *rempublicam* legendum putamus vel *patriam*, vel, ex Burmanno, *populum*: quo pacto *vindicandum*, ut in codice scriptum, relinquetur. Krausius a Ruhnkenio non discedit. ED.

CAP. XXVIII, §. 3. *Judicium histrioni ex alto redditur.*

Subtilissime restituit Ruhnkenius *exacto*. Judicium vero dicitur *reddi*, quod a judice quasi debeatur. Phædr. lib. IV, fab. 12: « Sancta incorrupta jura reddebat fide. » ED.

CAP. idem, §. 4. *Nec tamen in eos... sed in multos insontes sævitum.*

Pro *tamen*, quidam emendant *tantum*; alii cum Acidalio particulam *tamen* retinent, sed ita, ut alii corrigunt, interpretandum censent. Neutris assentio. Subauditur enim *tantum*, vel *solum*. Sallustius, bello Jugurthino: « Non enim regnum, sed fugam, exsilium, et has omnes. quæ me premunt, miserias cum anima simul amisisti. » Hoc est, *non enim solum regnum*, etc. Quod male manus recentior in MS. nostrum, optimæ alioqui notæ, invehere fuit conata. Frontinus, lib. II, cap. 13, de Horatio: « Dejecit se in alveum, eumque non armis, sed vulneribus oneratus, tranavit. » Possem etiam compluria aliorum afferre loca; sed hi *et*, aut tali particula, post *sed* addita, locutionem hanc emollire conati. VOSSIUS.

Perspicua et nulli difficultati obnoxia erunt omnia, si scribimus, *nec jam in eos*; ut designet, non stetisse victoris sævitiam in iis puniendis, qui contra arma tulerant, sed ultra processisse. HEINSIUS.

Ibid. *Exclusique paternis opibus.*

Contra morem priscum, quo liberi minime parentum delicto tenebantur. Dionysius, Antiquitatum VIII, et Plinius, in eximio illo Ciceronis elogio, lib. VII, cap. 30, eo alludit. Postea his ignovit Cæsar, et ad jus dignitatis revocavit. Suetonius, Dio, et Noster infra. SCHEGKIUS.

CAP. XXIX, §. 2. *Sed ex dignitate constantiaque in illam conveniens amplitudinem*, etc.

Omissum verbum sententiam perturbat. Legendum autem: *sed ex dignitate, constantiaque, quæ in illam conveniens amplitudinem*. Alii: *sed ex dignitate constanti, quæ in illam conveniens amplitudinem*. MANUTIUS.

Scriberem: *sed ea dignitate constantiaque, quæ in illam conveniens amplitudinem fortunamque, eum ad ultimum vitæ comitata est diem*; nam illud *ex dignitate constans*, vel *constanti*, nihil mihi videtur; *constantiam* vero *formæ* vocat, quæ per omnes ætatis gradus, ut de Augusti venustate loquitur Sueton. cap. 79, permanet. *Sed dignitate constanti, quæ*, Stephanus et Erasmus. Pontanus, lib. I Annal., cap. 3, legit: *non ea, qua flos commendatur ætatis, sed dignitatis constantia*; sed mihi magis, ut dixi, arridet *dignitate et constantia*. *Constantia* vero formæ dicitur eodem modo, ut *constans ætas*, Sueton. Galb. 4, quæ non obnoxia quotidianæ mutationi, ut est ætas et flos ille puerilis, sed quæ, ut virilis forma, robusta et permanens est. Ita et Arnob. I Contr. gentes dixit, *sanitati et constantiæ reddere*. BURMANNUS.

In illam conveniens amplitudinem, etc. Sic etiam loquitur Nepos, Alcibiad. c. 3: « Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur. » Terent. Heaut. V, 5: « In me quidvis harum rerum convenit. » Cicero, pro Sulla 7, utitur præpositione *ad*: « Lætor eum esse me, in quem tu, quum caperes, nullam contumeliam jacere putueris, quæ non ad maximam partem civium conveniret. » BURMANNUS.

CAP. XXIX, §. 3. *In reconcilianda.*

In redintegranda amicitia cum suis æmulis et inimicis: nec opus *reconciliata* legere; nam et fide opus est in *reconcilianda*, ut non mala fide et dissimulanter amicitias renuvemus, sed eo animo et voto, ut æternæ maneant, quod bonæ fidei convenit. Ita contra Nero *reconciliatione simulata*, matrem decipit apud Suet. 34, et Augustus « Antonii societatem semper dubiam et incertam, reconciliationibus variis male focillatam, abrupit. » Suet. Aug. 17. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 4. *In civitate libera dominaque gentium.*

Hæc verba *dominaque gentium* nihil ad rem facere Krausio videntur. Quis non intelligit, eo minus ferendam fuisse Pompeii superbiam, quod in ea civitate pares habere nollet, quæ cunctis civitatibus imperabat? ED.

CAP. idem, §. 5. *Excoluerat.*

Multo potius *coluerat*, quod ad manuscriptam lectionem propius accedit. Ovidius, de Arte amandi, II, 121: « ... ingenuas pectus coluisse per artes. » Krausius in eamdem ivit sententiam. ED.

CAP. XXX, §. 1. *Gentis clarioris, quam animi.*

Infra de Merula, cap. 112: « Qui vir animo etiam, quam gente nobilior.
ACIDALIUS.

Ibid. *Etoscæ.*

Placeret *Oscæ*, quæ fuit urbs Hispaniæ, inter eas, quarum ope Sertorius usus est. « In fidem romanam, ait Florus, venere urbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima. » Meminit etiam Plinius, lib. III, cap. 3, et Ptolemæus, lib. II, cap. 6. MANUTIUS.

CAP. idem, §. 2. *Hispanis.*

Hispaniis reposuit Lipsius; nam alioqui legendum esset *de Hispanis*.
RAPHEL.

Repone, *Hispaniis*. Mirum illud mutasse editores Velleii, quum, ut emendavimus, in MS. fuerit perscriptum. Alterum non est latinum. VOSS.

Nescio an vera sit animadversio doctorum virorum; nam et Noster, lib. II, 8, dixit: *E Scordiscis triumphus fuit*; Livius, XL, 45: *M. Fulvius nobilior, qui ex Ætolis triumphaverat.* Similiter *triumphum agere ex inimicorum dolore*, Cic. III ad Fam. 10; *ex urbe triumphare*, idem, II de

Offic. 8; *Ex transalpinis gentibus majores nostri triumphaverunt*, et plura obvia, et ad manum sunt; hic tamen sequor codicis scripti lectionem. Burmannus.

Cap. XXX, §. 5. *Fugitivi.*

Vix probes *fugitivi profugientes;* aliud quid videtur fuisse prius loco vocis *fugitivi*. Gruterus.

Herelius pro *fugitivi* proposuit *servi publici;* quod dubium Krausio videtur; ut neque nos, Krausio quamvis auctore, *prorumpentes* loco τοῦ *profugientes* accipiendum credimus. Repetitiones Velleius parum cavet. Ed.

Cap. idem, §. 6. XL *millia.*

Alii hunc numerum plurimum augent; inter quos is, qui minimum habet, est Eutropius. Hic sexaginta millia virorum ab iis collecta fuisse scribit. Appianus vero ad C et XX millia extendit. Orosius, Liviique epitomator, medium tenuisse videntur, ut ex cladibus colligas. Itaque vix ambigo, quin in Velleio legendum sit, $\overline{\text{XC}}$ *hominum*. Vossius.

Nimis exiguus numerus, in quo variant scriptores; princeps editio, $\overline{\text{XL}}$ a $\overline{\text{CCC}}$ hominum. Forte $\overline{\text{XC}}$ *aut* $\bar{\text{C}}$ *hominum*, nonaginta aut centum hominum millia. Heinsius.

Ibid. *Romanorum omnium principem.*

Non sane *omnium;* nec Cæsar, aut Pompeius concesserint. Quid si, *opibus?* id verum sit. Nec displiceat etiam omitti vocem, *omnium*, atque induci. Lipsius.

Non quasi solus, sed quia unus ex tricipitina. Lipsius, pro *omnium*, malebat, *opibus;* quem dictio *mox* satis refellit. Vossius.

Vetus editio, *mox reip. omniam principem;* sed τὸ *omnium* ex superiori *hominum* temere repetitum est ab indiligente librario. Scribe, *mox reip. principem:* talis enim et cap. 44 describitur; ni mavis, *mox reip. omnis hunc principem*, vel *omnino princeps reip.* pro principe senatus, quæ dignitas quinquennis, ut in plures conferri potuerit. Principes quoque Pompeius et Cæsar; sed ante hos in principem senatus videtur Crassus fuisse electus, ac proinde dici *princeps omnis reip.* A. Gellius certe, l. IV Noct. Attic. cap. 10, M. Crassum in senatu primum rogari solitum sententiam a Julio Cæsare refert, quod mutatum tamen ab illo post filiæ cum Pompeio magno nuptias. Heinsius.

Cap. XXXI, §. 1. *Per omnia majore vi habebatur.*

Corrigatur, *major cive habebatur*, vel, quod verius, *civi*. Sic cap. 78, apud hunc ipsum *fusti* pro *fuste* in vetusto codice, *fusti percussit. Igni* pro *igne* locis compluribus apud eumdem Nostrum quoque occurrit; *classi* pro *classe*, cap. 78, ubi vide quæ diximus; nec *civi* pro *cive* infrequens apud Ciceronem; sed in Tullii ac aliorum exemplaribus id corruptum fuisse jam

sua ætate Priscianus conqueritur. Ciceroni e membranis id non semel viri docti restituerunt. Vid. Voss. patrem, de Analog. lib. II, cap. 12. *Cive major* etiam Fabricius Luscinus Valerio Maximo dictus, l. IV, c. 3, etsi diverso nonnihil sensu : « honoribus et auctoritate omni cive temporibus suis major, » ubi præstiterit, *omni cive temporis sui*. De potentia vero Pompeii, ultra civilem modum semet efferente, jam supra cap. 29 complura his similia habuimus, et inter alia hunc tantum non indignatum, quemquam sibi æqualem dignitate conspici in libera civitate, quæ omnes cives jure haberet pares; cap. 48, *primum omnium civium* hunc ipsum appellabit. Simile ambitionis crimen Gracchis quoque fratribus Tiberio ac Caio objicit Noster, supr. cap. 7 : « qui si civilem dignitatis modum concupissent, quidquid tumultuario adipisci gestierunt, quietis obtulisset respublica. » Nihil igitur invidiosum magis potuit dici, quam si cive majorem faceret Pompeium. HEINSIUS.

CAP. XXXI, §. 2. *A. Gabinius.*

« Qui nisi rogationem de bello piratico tulisset, profecto, et egestate et improbitate coactus, piraticam ipse fecisset. » Cic. post red. c. 5. SCHEGK.

Ibid. *Piratæ.*

De piraticæ licentiæ origine successibusque vide accuratissimum Dionem, lib. XXXVI, et Plutarch. in Pompeio. BECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Sed tamen est.*

Aut omnia me fallunt, aut scripsit Paterculus tantum, « uni viro deferebatur. Idem hoc ante biennium in M. Antonii prætura decretum; sed interdum, etc. » omissis cæteris invectis a librariorum ultronea largitate. GRUTERUS.

Gruterus duas priores voces omnino irreptitias esse censet; mihi non videtur. Mirandum esse inquit Velleius, P. R., adeo libertatis studiosum, uni Pompeio totius maris decrevisse imperium. Demere tamen admirationem, quod idem hoc ante biennium M. Antonio esset decretum, homini non nimia magnæ existimationis. Per M. vero Antonium intellige triumviri patrem, qui quamvis adversus Cretenses improspere rem gesserit, tamen *Cretici* nomen retulit, ut ex Appiani excerptis legationibus cognoscas. In Plutarchi Antonio male cognomentum *Critici* ei tribuitur; quod facile cuivis emendare. Absque hujus historiæ ignoratione fuisset, non corrupisset Lactantium Thomasius, lib. I, cap. 11, ubi vulgo legas : « cujus regnum tale fuisse dicimus, quale M. Antonii fuit infinitum illud imperium, cui totius oræ maritimæ potestatem senatus decreverat. » Maluit ille, *Pompeii*, ex quibusdam MSS. Sed, præter citatos auctores, eum satis refellit Cicero Verrina I, cujus ipsis verbis utitur Lactantius. Vide etiam, quæ de hoc Antonio ad eamdem orationem adnotavit Asconius Pedianus. VOSSIUS.

Lego *et tamen*; nam *sed* proxima periodo rursus occurrit. HEINSIUS.

CAP. XXXI, §. 4. *Sed interdum persona, ut exemplo nocet.*

Quid noxa exemplorum hic ad rem? Examina. Videbis frigidum hoc totum esse aut ineptum. Censeo legendum: « Interdum persona, ut exempla docent, aut invidiam auget. » Supra hoc ipsum dixerat; « Familiare esse hominibus invidiam rerum non ad caussam, sed ad voluntatem personasque dirigere. LIPSIUS.

Male emendationi incumbebat Lipsius. Sensus est: prout quæque persona minus magisve exemplo suo nocet, ita eamdem quoque rem, huic, vel illi parvam, aut magnam, creare invidiam. Quod vidit etiam Gruterus. VOSSIUS.

Ibid. *Consilia impetu victa sunt.*

Tumulto scilicet clamoribusque Pompeio faventium. Ita Livius, XXV, 14, de Fulvio consule receptum suadente: « hæc consilia ducis... clamor militum adspernantium tam segne imperium disjecit. » ED.

CAP. XXXII, §. 4. *Per multa prælia a multis locis victos.*

Mutant, quod vox *prælia* in editione principe desideretur: ego eam retinendam puto. Videtur enim fuisse in MS., quantum ex variantium Burrerii lectionum appendice colligo. Immo et *ac* immittendum ex marginali MS. lectione: nam in ipso MS. erat *a*. Hoc pacto: *prædonesque per multa prælia, ac multis locis victos*. Sic infra: *omnia, et omnibus locis, igni ferroque vastata*; item: *revocati undique, et omnes veterani*. Ita ibi scribendum monemus. VOSSIUS.

Prælia codice aberat. Diu mihi visum est, una tantum literula in textum recepta, scribere *permulta ac multis locis*, et *permulta* interpretari *multoties* ut sæpe πολλὰ apud Homerum, aut etiam μάλα πολλά. Il. XXIV. 391: Τὸν μὲν ἐγὼ μάλα πολλὰ μάχῃ ἐνὶ κυδιανείρῃ Ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπα... Qui versus ad verbum sic reddi possunt: *Hunc quidem permulta vidi oculis in glorioso certamine*. Velleium a poeticis verbis non abhorrere inter omnes jam constat. Fateor tamen apud Virgilium *multa* pro *multum*, non pro *sæpe*, plerumque legi; dumque hujus novæ significationis exempla suppetant luce clariora, Bipontinam lectionem sequor, *per multa maria, ac multis locis*, quæ quum per se, tum plurimis auctorum locis ad hanc Pompeii expeditionem pertinentibus commendatur, sed præsertim Flori testimonio, III, 6: « Per omnes æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, pæninsulas, quidquid piratarum fuit quadam indagine inclusum et oppressum est. » Multa et præclara de hoc bello Cicero, pro lege Manilia. ED.

CAP. idem, §. 6. *Rapinis arcuit.*

Florus quoque *singulare* hic *ducis consilium* agnoscit: « qui maritimum genus a conspectu longe removit maris, et mediterraneis agris quasi obli-

gavit. » Quæ translatio nationum hominumque ferocium ex assuetis sedibus in diversæ indolis loca, etiam alibi arcanis firmandi imperii stabiliendæque tranquillitatis servit. BECLERUS.

CAP. XXXIII, §. 1. *Quum esset in fine bellum piraticum.*

Krausius, ad Santenii et Ruhnkenii mentem, *bellum Mithridaticum*, non *piraticum*, cæteris editoribus fidentior in textum recepit. ED.

Ibid. *Ex consulatu.*

Ursinus legit, *ex S. C.* Sed vulgata lectio mutari non debet. Velleius infra cap. 78: « Domitius quum ex consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi, comparandique antiquis exempli, auctor fuit. Ita et Cicero in Bruto: « Cotta ex consulatu est profectus in Galliam. » Item Valerius Maximus, lib. III, cap. 7: « Quum ex consulatu provinciam Galliam obtineret; » quod Colerus non intellexit. Sed perinde est, *ex consulatu*, ac si *consul* dixisset. VOSSIUS.

Ibid. *Pecuniæ expellebatur cupidine.*

Verbum *expellebatur*, quod nonnullos offendit, meo quidem judicio non male hic convenit. Lucullus, inquit, vir laudabilis et bello invictus, pecuniæ cupidine ex provinciis expellebatur, dum modo hos, modo illos populos aut reges invadit, et sic bellum trahit: quo nomine male audiebat, ut testatur Plutarch. in Vita. POPMA.

Lipsius legit *debellabatur;* Acidalius, *excellebatur*, i. e. superabatur; Gruterus nova voce, *exbellabatur.* Si quid mutandum, Lipsiana emendatio per omnia cæteris melior esset. Sed quæ illa necessitas correctionis? Certe *expellebatur* provincia rebellione militum et calumniis inimicorum, ipsiusque Pompeii ambitione; expellebatur, inquam, Pompeiusque non tam belli, quam triumphi successor mittebatur, quod factum non esset sc. *nisi milites propter avaritiam sibi infensos habuisset.* Lege Plutarchi Lucullum, ubi clare notantur, quæ innui. BECLERUS.

Debellabatur Lipsius; alii alia; Popma *expellebatur* censet tuendum, cujus interpretamentum satis est frigidum. Lege *impellebatur*, præceps agebatur; tale Maronianum illud, Æn. IV, 22: « Solus hic inflexit sensus, animumque labantem Impulit; » et Lucani, I, 132: « totus popularibus auris Impelli; » lib. VII, 746: « nec plura locutus, Impulit amentes aurique cupidine cæcos. » HEINSIUS.

Impelli pecunia, quin recte dicatur nullum est dubium, sed alio sensu, et cui hic non respondet τὸ *invictus:* ego mallem *expugnabatur*; eodem fere sensu Propert. III, 11, 9: « Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas. » Et usitatam esse in his et similibus locutionem, invictos marte et bello, vinci et subigi luxuria, avaritia, etc., docuimus ad Petron. cap. 55. *Expellebatur* nihil hic significat, nisi quis inter singularia Velleii durissimam hanc locutionem referat. BURMANNUS.

Burmanni conjectura, tamquam omnino veritati consentanea, in textum a Kransio recepta, nimium tamen a codice recedit, cujus lectio minime nobis absurda videtur, si Lucullum *provincia expulsum* intelligamus. Quis enim nescit Lucullum, magnis rebus gestis, sua suorumque avaritia impeditum, non potuisse capto Mithridate finem bello imponere; sed astutum regem e victoris manibus elapsum, ita fortunæ vicibus usum esse, ut pulsus Armenia Lucullus, plurima etiam exercitus sui detrimenta per legatos passus, sociis, qui ejus cupiditati explendæ jam non sufficerent, factus ultra modum intolerabilis, Asia tandem revocaretur. In quo non possum leve quoddam Velleii erratum prætermittere, qui Maniliam legem acceptam scribit, quum adhuc Lucullus bellum administraret; is tamen Acilio Glabrioni, populi jussu coactus, provinciam paulo ante tradiderat. Cic. pro lege Manil., cap. 26. Ed.

Cap. XXXIII, §. 2. *Infamiam.*

Non concoquo illam *pecuniæ infamiam; τὸ in* passim supervacuum apparet in Velleio culpa librarii, quod alibi jam pluribus demonstratum, ut primo videatur scriptum fuisse *famiam;* unde fecerim, *famem nimiam pecuniæ.* Sic *fames habendi crescebat,* apud Pacatum in Panegyrico, c. 25; *fames honorum inexplebilis,* Floro, lib. III, cap. 21; *auri sacra fames,* Maroni; *imperiosa fames auri,* auctori Panegyrici ad Pisonem. Potuit et scripsisse Velleius *pecuniæ insaniam;* idque verius opinor. Apud Plin. l. IX Hist. Nat. cap. 36: *Quapropter excusata sit purpuræ insania,* quia insano pretio purpura redimebatur. Sic apud Tullium *insaniam villarum* habes, pro nimis sumptuosa villarum structura, Epist. 17, lib. III. *Infamem pecuniæ cupiditatem* conjectabat Lipsius Sed Lucullus æque prodigus pecuniæ ac appetens habebatur: hoc *insaniam pecuniæ* Velleius vocat; de qua Luculli prodigalitate plura post subsequuntur. Heinsius.

Nihil sollicitandum. Similiter: *insidiarum infamia* apud Justin. XIII, 13, et *criminum infamia* apud Quintil. V, 7, laudatos a Grunero. Kraus.

Ibid. *Ne uterque ab eo.*

Si diligenter attendatur, patebit *arguebat* esse rectius; alii, *qua arguebatur.* Manutius.

Vide num verius, certe clarius: *neuterque adeo, quod arguebat, mentitus argui posset.* Neuter falsus convinci arguique in eo posset, quod arguebat. Uterque utrique veram culpam objiciebat. Lipsius.

Putidum est doctissimos viros hic implicari circa glossam: nam nihil similius vero, quam manasse a calamo Velleii *neuterque mentitus argui posset*, adlitumque a scriba aliquo, *ab eo quod arguebatur.* Belle prorsus, belle, nisi et Tacitus scripsisset, lib. I Hist. 34: « mox quasi rixantes stupra et flagitia invicem objectavere: neuter falso. » Gruterus.

Mihi inter correctiones cæteras ea maxime placuit, quam in textum recepi, *quo arguebatur,* cujus et Aldus mentionem fecerat. Bœclerus.

Excidisse dimidiam vocem puto, et legendum : *neuterque ab altero quod arguebat, mentitus argui posset :* neuter posset ab altero argui mentitus, illud quod arguebat; *altero* intereeptum fuit, partim a præpositione *ab*, partim ultima pars abiit in *eo*, ita ut restiterit *ab eo*, pro *ab altero*. Burmannus.

Fortasse nihil mutandum : nam quod Pompeius a Lucullo ambitionis, Lucullus a Pompeio cupiditatis argueretur, neutri sua vitia fidem derogabant alterum accusanti; neuter itaque per illud quod arguebatur, mendacii argui poterat. *Ab* præpositionem passivo cum verbo junctam, etiam quum de rebus, non de personis agitur, non raro apud auctores reperias; ut apud Tacitum, Annal. III, 68, *a legibus delicta puniri* legimus. Alia prope innumera exempla. *Quod arguebatur* itidem rectum est ; quis enim reprehenderet *ab ea culpa quæ arguebatur*, pro *cujus ille arguebatur?* Libenter igitur crediderim interpretes hic de suo more nodum in scirpo quæsivisse. Krausius, ex Gruteri conjectura, voces controversas *ab eo q. arg.* uncis inclusit. Ed.

Cap. XXXIII, §. 3. *Nam neque Pompeius... quemquam animo parem tulit.*

Muto : *quemquam omnino parem tulit ;* neque quidquam verius. Eadem vox infra, cap. 48, similiter destructa, iterum astruenda. De C. Curione : « Cujus animo voluptatibus vel libidinibus neque opes ullæ, neque cupiditates sufficere possent. » Lego : « Cujus omnino volupt. » hoc tamen incertius ; sed aliis forte, mihi sane certum. Acidalius.

Animorum ergo inspector et arbiter Pompeius ? non opinor ; nec hoc illi ægre, si quis animo æquaretur, sed si re et specie externa. Fortasse, *omnino*, pro *animo* legendum. Quid si etiam vox alia inclusa in simili priore ? ut sit *quemquam æquo animo parem*. Lipsius.

Haud necesse videtur aliquid hoc loco novare : nam ut haud fuerit Pompeius animorum inspector et arbiter, poterat tamen de eis judicari ex actionibus hominum eorumdem. Gruterus.

Nimis exquisita videtur Gruteri interpretatio, quem secuta Bipontina, *animo* pro virtute accipiebat. Sed *animo* cum *tulit* jungi poteat, et sic exponi, ut in illis Virgilii, Ecl. III, 74 : « Quid prodest quod me animo non spernis, Amynta ? » Æn. VI, 332 : « Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam. » Vulgo sic occultus pectoris affectus indicatur, secretumve mentis consilium, ut infra lib. II, cap. 46 : « Crasso bellum parthicum in animo molienti. » Ed.

Ibid. *In quibus rebus primus esse debebat.*

Quia *remp.* videmus præcessisse paulo ante, τὸ *rebus* hic videtur inconcinnum. Forte dederit Velleius, « et in qua is urbe primus esse debebat, solus esse cupiebat : » nam *esse havebat* Lipsianum minime placet ; nec Grutero opera successit. Debebat primus esse Pompeius in urbe, quia nemo illi par rebus præclare gestis. Heinsius.

Cap. XXXIII, §. 3. *Ut qui eos, ut libentissime iniret, ita.... et quod cupisset arbitrio suo sumere alieno deponeret.*

Scribe *libentissimo*. Exin quadra orationis postulat: « et quod cupisset, arbitrio suo sumeret, alieno deponeret. » Quod tamen non quivis mihi assentietur; sed is demum, qui diligenti veterum, quique minus veterum accurate scripsere, auctorum lectione probe subactum habeat ingenium. Acidalius.

Lego, *et qui eos*; item, *sumeret*. Hæc ipsa autem Cato de Pompeio jam mortuo apud Lucanum in IX, 198: « . . . invasit ferrum, sed ponere norat. Prætulit arma togæ, sed pacem armatus amavit. Juvit sumpta ducem, juvit dimissa potestas. » Lipsius.

Ut qui eos, Thomas Munckerus malit; et sic editiones omnes, a queis hic operæ typographicæ recesserant. Heinsius.

Ut qui eos, ut, negligenter profecto; sed hoc vitio plerumque laborat Noster. Legunt *et qui eos*; sed paulo infra recurret, *et quod*; rursus ergo aliquid emendandum erit. Nos manuscriptam lectionem retineamus; *ut qui*, id est, *quippe qui*. Tum de altera correctione, *sumeret* pro *sumere*, quam Krausius etiam recepit, liceat dubitare. Pompeius honores at imperia *suo arbitrio* non *sumebat*, sed forsitan *sumere cupisset*: nam illud *alienum arbitrium* tam in appetendis honoribus captandum erat, quam in deponendis æquo animo ferendum. Præstat igitur: « Et quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret. » Krausius, etiam in hoc Acidalium secutus, edidit *libentissimo*. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Convictibusque.*

Perperam Aldus, *conviviisque*: nam alterum idem est. Sic Juvenalis Sat. 13: « Convictus, thermæ, stationes, omne theatrum De Rutilo. » Ita omnes libri impressi, et noster MS. optimæ fidei. Ubi etiam glossa adscripta τὸ *convictus* interpretatur *convivia*. Nolim itaque Lipsium audiri, qui ex unico codice MS. emendat, *conventus*. Vocabulo eadem significatione usus etiam Valerius Maximus, lib. II, cap. 7: « Interdixit etiam ei convictum hominum, usumque balnearum. » Vide locum. Item Tacitus, Annalium II: « Atque interim Libonem ornat prætura, convictibus adhibet, etc. » Vossius.

Ibid. *Receptum suffossis montibus in terras mare.*

Sic M. Varro de Re Rust. cap. 17: « Contra ad Neapolim, inquit, L. Lucullus, postquam perfodisset montem, ac maritima flumina immisisset in piscinas, quæ reciproce fluerent, ipse Neptuno non cederet de piscatu. » Burmannus.

De insania Romanorum construendi mare, ut piscium marinorum vivaria haberent, veterum loca collegit Gronov. Diatr. Stat. cap. 39, p. 252. Krausius.

Cap. XXXIII, §. 4. *Haud infacete.*

Cic. II de Off. 14 : « C. Canius, eques Rom. nec infacetus, et satis litteratus. » Forte, *haud inepte.* Burmannus.

Cap. XXXIV, §. 1. *Creta insula.*

Arx altera prædonum, prius malo reip. a M. Antonio tentata. Livius, lib. XCIX, Valerius, Plutarchus in Pompeio, Dio, alii. Scheffrus.

Vide de Bello Cretico Florum, III, 8; et quos ibi *Camers* notavit; quibus adde Dion. XXXVI, principio. Plutarch. in Pomp. Boeclerus.

Cap. idem, §. 2. *Ne ab hujus quidem usura gloriæ temperavit animum.*

Recte sic emendavit Rhenanus. Intellige: hanc etiam usurpare gloriam, hanc sibi vindicare voluit. Ed.

Cap. idem, §. 3. *Conjurationem.... aperuit.*

Vetus codex, *eripuit.* Unde certatim fecerunt, Manutius, *eripuit e rep.* pro *e republica*; Lipsius, *eruit*, non male; Boeclerus, *aperuit*, quod omnibus deinceps placuit. Heinsius non *conjurationem*, sed *conjurationi remp.* scribi volebat. Bipontina veterem lectionem defendere frustra conata est, allato Taciti exemplo, Annal. XI, 32 : « Vehiculo, quo purgamenta hortorum eripiuntur. » Nos in hac re Boecleri partes tutissimas credimus. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Prætor iterum.*

Post consulatum præturam ea propter repetiit, ut senatorium ordinem, censorio judicio ob mollitiem amissum, jure et beneficio magistratus recuperaret. Dio, lib. XXXVII : « Et P. Lentulum, qui post consulatum gestum senatu exciderat, ac senatoriæ dignitatis recuperandæ caussa præturam tunc gerebat. » Ubertim hunc morem disertissimus Manutius diducit. Scheffrus.

Cap. XXXV, §. 1. *In altissimo luminavit.*

Hæc MS. lectio. Itaque non audiendos arbitror, qui restituere conantur : *altissime illuminavit.* Sane in Prudentio MS. idem verbi inveni hymno V Perist. : « Omni vacantem nubilo Frontem serenam luminat. » Ubi vulgo *illuminat.* Est etiam apud Martianum Capellam, lib. I, *tellus floribus luminata.* Ita habent quidam codices, etiam MS. noster. Perperam vulgo, *lumine.* Glossæ, *luminata decorata.* Sæpissimeque hoc verbo usus est Cælius Aurelianus, ut bis Tardarum passionum lib. I, cap. 9, et alibi. Vossius.

Altissime illuminavit, cum *Grutero* legimus, quum fuisset antea, *in altissimo luminavit;* ubi si *luminandi* vox toleraretur, φράσις tamen tota insolentior videri potest. Boeclerus.

In altissimo luminavit Erasm. Steph. Manut. et aliæ. Forte, *in altissimo lumine locavit*, vel *collocavit*. Cicer. Brut. 75: « Tum videtur tamquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine. » Burmannus.

Et phrasis insolentior, et vox *luminare* (qua usi sunt Apuleius, Prudentius, Cælius Aurelianus, Avienus, æneæ ætatis scriptores, et Martianus Capella) indigna Velleio visa est viris doctis, Grutero, Bœclero, Thysio et sequentibus, qui nescio, an verius, edidere *altissime illuminavit*. Jam primum satis poetice h. l. locutus videtur laudator noster : « ille dies in altissimo luminavit. » Et quidni verbum hoc perinde toleretur, ut illud *umbrare* bonum est? Ut sol in altissimo luminat terram meridie; ita figurate, dies ille virtutem Catonis. Retinendam igitur lectionem manuscriptam censemus cum Vossio. Bipont.

Cap. XXXV, §. 2. *Familiæ Porciæ.*

Nota familiam pro gente : nisi si dictio *Porciæ* aliena sit, et a glossula. Tamen infra quoque Cæsarem *genitum nobilissima Juliorum familia* dixit. Lipsius.

Omnino familiam pro gente posuit Velleius. Similiter et Valerius Maximus, lib. III, cap. 2, *Porciæ familiæ* dixit : item Noster infra de Cæsare : *Nobilissima Juliorum genitus familia*. Nihil certius. Vossius.

Ibid. *Homo virtuti simillimus.*

Exemplar vetus habet *non simillimus*; unde vero proximam credimus Bipontinam emendationem, *homo virtuti consimillimus*. Ed.

Ibid. *Cuique visum est id solum rationem habere, quod haberet justitiam.*

Justitiæ vetus liber. Scribo, *quod daretur justitiæ*; *habere justitiam*, minus videtur latinum. Heinsius.

Recte Heinsius interrogat, *haberet justitiam*, anne latinum? tu *justitiæ* servatum velis, et sic interpretare : quod haberet justitiæ rationem. Sic quippe solet genitivos elliptice ponere Velleius, ut supra lib. I, cap. 10 : « Quum Anicii Octaviique triumphum nemo interpellaret, fuere qui Paulli (*subaudi* triumphum) impedire obniterentur. Cujus (*subaudi* triumphus) tantum priores excessit, ut... etc. » Plura quis desideret exempla, quum duo vel in eadem phrasi occurrant? Hic forte non satis sibi similis fuit Ruhnkenius, alias fidissimus editor et ab interpretum temeritate maxime alienus. Ed.

Ibid. *Fortunam in sua potestate habuit.*

Eleganter Cicero, Paradox. : « Nescis insane, nescis, quantas vires virtus habeat : nomen tantum virtutis usurpas; quid ipsa valeat ignoras. Nemo potest non beatissimus esse, qui est totus aptus ex sese, quique in se uno sua ponit omnia; cujus autem spes omnis, et ratio et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi. » Horat. lib. II, Sat. 7 : « Quisquam

igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus; Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent, Responsare cupidinibus, contemnere honores, Fortis, et in seipso totus, teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per leve morari; In quem manca ruit semper fortuna.... » et quæ sequuntur. Comparationem Catonis et Cæsaris habes in Sallustio et Dione. Schegkius.

Cap. XXXV, §. 3. *Ut ardore oris.... fecerit.*

Krausius : *ita ardore oris... fecit;* propius certe quam aut edit. Basileensis, aut nimium ei fidelis Ruhnkenius, ad manuscriptum accedit. Sed *ita* et *sic* quater tunc recurrunt, non sine magno mentis et aurium fastidio. Melius Bipontina editio integrum textum servavit, et illo membro simul cum priori in unum conflato, seriem hanc orationis explicavit : « tanta vi animi... invectus est in conjurationem, et ardore oris... suspectam... fecit; sic impendentia... pericula exposuit; ita consulis virtutem amplificavit; ut, etc. » Ed.

Ibid. *Societate consilii suspectam.*

Non damno; malui nihilominus olim, *sociati consilii suspectam;* quod nemo neget apertius, aptius ego non affirmabo. Acidalius.

Sociati consilii suspectam fecit corrigendum, pro *societate*, quod nunc circumfertur. Heinsius.

Cap. idem, §. 4. *Consulis virtutem amplificavit.*

Prior editio habet, *consilii*, ex qua lectione Lipsius legendum divinabat, *ita consilii sui rationem.* Raphelengius.

Peccatum memoriæ Velleii, qui Catoni tribuit, quod Cæsaris est, ut liquet ex orationibus utrinsque apud Sallustium, nisi hoc fuit in oratione ipsius Catonis, quam exceptam a notariis jussu Ciceronis, ætate sua adhuc exstitisse Plutarchus testatur. Popma.

Ibid. *Catonem prosequerentur domum.*

Krausius, duce Plutarcho in vita Ciceronis, vel potius Hottingero, qui primus in Musæo Turic. vol. I, t. 11, hunc, ut videtur, librarii errorem animadvertit, pro Catonis nomine *Ciceronem* in textu reposuit. Cæterum de Catonis oratione, qualis in bello Catilinario legitur, vide ad Sallustium nostrum quæ annotaverit vir non minus acumine judicii, quam eruditionis copia commendabilis, J. Burnouf. Ed.

Cap. idem, §. 5. *Vota obiit.*

Alii aliter. Puto, *mota obiit.* Id est, non minus animose semel a se mota peragere voluit, quam movere ea cœperat. Utrobique audax, in ordiendo, in exsequendo. Probe etiam, *vota obiit*, ea quæ voverat destinaveratque. Lipsius.

Gruterus *conata* reponit, quum in MS. *nota* fuerit, sed quum *conandi* vox statim subsequatur, debilitari vim hujus lectionis, consentaneum est. Boeclerus.

Immo ejusdem verbi repetitio inter dictionis ornamenta locum habet. Recte igitur Acidalius *conata* quamvis hæsitanter proposuit, quem secuti sunt Gruterus, Heinsius, et cæteri. Ed.

Cap. XXXVI, §. 1. *Annos* lxxxii.

Lege, xcii. Manutius.

Cap. idem, §. 2. *Diremptos gradibus ætatis.*

Videtur voluisse, *diremptos gradu vix uno ætatis*: nam *ætatem* pro vita hominis ponit. Sic et lib. I cap. 16: « una neque multorum annorum spatio divisa ætas per divini spiritus viros Æschylum, Sophoclem, Euripidem illustravit tragœdias; » cap. 17: « Historicos, præter Catonem et quosdam veteres et obscuros, minus lxxx annis circumdatum ævum tulit. » Heinsius.

Ibid. *Ciceronem, Hortensium, saneque Crassum, Catonem.*

Tres de Oratore Ciceronis libri, magis etiam is, qui Brutus inscriptus est, quantum eloquentiæ laude floruerint Antonius et Crassus, deinde Cotta et Sulpicius, plane demonstrant. Itaque Velleium puto tria oratorum paria conjuncte posuisse; primo loco, Ciceronem, Hortensium; secundo, Antonium, Crassum; tertio, Cottam, Sulpicium. Locus igitur emendandus. Manutius.

Verius est, *Ciceronem, Hortensium, anteaque Crassum*; ita exigere videtur, quod paullo post subjungit *moxque*. Heinsius.

Bipontina in textum pro *saneque* admisit *anteque*. Krausius Manutio obsecutus *Cottam* pro Catone reposuit. Ed.

Ibid. *In suspecti operis sui carmine.*

Suspecti posuit pro suspiciendi, id est, admirandi. Aut lege, *suscepti*; ut Gryphio, aliisque editum. Sed alterum magis placet. Sic *conspectum* pro *conspiciendo* posuit Apuleius, lib. X de Asino aureo: « conspectum atque famigerabilem meis artibus effeceram dominum. » Item Avianus, Fab. X: « Ad campum nitidis venit conspectus in armis. » Vossius.

Cap. idem, §. 3. *Quæ maxime nostri ævi eminent*

Quid? an Virgilius et qui sequuntur ævi Velleiani recte possunt dici? præcipue quum mox *vivorum* se nolle meminisse dicat; quare legendum puto, *inter quæ proximi nostro ævo eminent*. Has enim voces sæpe librarii confuderunt. Burmannus.

CAP. XXXVI, §. 3. *Princeps carminum Virgilius, Rabiriusque.*

Vetus editio commuoicat bunc priucipatum cum Rabirio, scribitque, *principes.* Credimusoe tam magnifice seusisse de poeta hodie vix uoto Velleium? fortasse per amicitiam, aut alia de caussa. Ovidins quoque laudat, IV ex P. ep. 16, v. 5: « .... magoique Rabirius oris. » Et Seueca, VI de Benefic.: « Egregie mihi videtur M. Autonius apud Rabiriun poetam exclamare: Hoc habui quodcuoque dedi.... » Ubi legendum, *habeo.* Fabios cootra tenuiter de co seutit: « Rabirius et Pedo uou indigni cognitioue, si vacet. » LIPSIUS.

Ibid. *Consecutus Sallustium Livius.*

Quidquid dicaut viri docti uou satisfaciuut mihi, uec placet hic Liviom iuter poetas recenseri, præsertim quum illum subjuugit Sallustio, de quo aote meotio jam erat facta. Et adulatorem Tiberii facile Livium omisisse mihi persuadeo, qui ubique in Historia præfert studium libertatis et optimatium; ita ut *Pompeianus* inde dictus ab Augusto fuerit, teste Tacito Annal. IV, 34, et Caligula voluerit ejus libros abolere, Suet. Calig. 54: quare ego a librario uou admodum docto, aut historiæ literariæ veteris perito, locum eorruptum puto et legeodum, *consecutus Gallum, Tibullus, Propertiusque et Naso*, quos quatuor iu forma operis sui, id est, elegiaci perfectissimos vocat; bos autem sibi conjungit ipse Naso, Trist. IV, Eleg. 10, v. 53o: « Successor fuit, bic tibi, Galle, Propertius illi, Quartus ab his serie temporis ipse fui. BURMANNUS.

Ibid. *Et Naso, perfectissime in forma operis sui.*

Male Aldus emeudat, *perfectissimæ metamorphosis*: valeaut argutiæ, ubi miuime opus suut; nam posteriorum editiouum lectio sincera est, *perfectissimi in forma operis sui.* Videlicet Virgilius et Rabirius io heroicis, Livios iu historia, Tibollus et Naso iu elegia, quamquam sunt, qui buic plus tribuaut in heroicis. PUTEANUS.

CAP. XXXVII, §. 2. *Tigranemque socerum.*

Librarii erratum, nou Velleii: quis euim uescit, Mithridatis generum, noo socerum, Tigrauem fuisse? MANUTIUS.

Non est erratum librarii, sed ipsius Velleii, qui Tigrauem socerum Mithridatis putavit, quem geoerom fuisse omoes bistorici traduut. Sed io hoc genere multa peccat Velleius. POPMA.

CAP. idem, §. 4. *Neminem alium neque Romanum*, etc.

Plane couveuit bæc oratio ad illud ἦθος, quod Dio, XXXVI, iu Tigrane commendat: « ita se comparasse regem, ut medium præstaret inter memorem pristinæ dignitatis et præsentis calamitatis, adeoque et revercutia et uisericordia diguus videretur. BECLERUS.

CAP. XXXVII, §. 4. *Cujus se potestati commissurus foret.*

Quum in MS. sit *societati*, cui recte etiam *se committere* dicitur, religio est mihi vocem istam movere; et magis decet regum maximum hoc verbo uti, ut non tam se dedere, quam societati Romanorum accedere, profiteatur. BURMANNUS.

CAP. XXXVIII, §. 1. *Redacta in formulam provinciæ.*

Egregiæ hujus egressionis commentatorem damus Sigonium; ex cujus I de Antiq. Jur. Provinc. plenior provinciarum factarum historia rationque peti potest. Est autem « *redigere in formulam provinciæ* nihil aliud, quam leges domesticas adimere, et romanas dare, ac prætorem, qui quotannis provinciam ex legibus datis administret, instituere. Neque vero sola tributi impositio provinciam efficit, quum id multis sit etiam Italicis et exteris imperatum, qui tamen in provinciæ formam non sint relati; sed legum domesticarum et patriæ libertatis ademptio, et prætoris, qui eos regat, institutio. » Sunt hæc rursum verba Sigonii e I de Antiq. Jur. Ital. 26. Ergo ipsum *jus provinciale*, alio nomine, *formula provinciæ* appellatur, notante eodem, I de Antiq. Jur. Prov. 1. BECLERUS.

Ibid. *Stipendia pacta sit.*

Quasi paeisci gentes victæ cum hac victrice de stipendiis soleant. Raro aut non hoc factum; ipsa superbe imponebat. Mea voluntate scribas, *stipendiaria facta sit.* LIPSIUS.

Stipendia pacta sit maneat illibatum, etsi castigante Lipsio *stipendiaria facta sit.* Nam et victi paciscuntur cum victoribus. Livius, lib. IX, c. 43: « Triginta dierum inducias pacti sunt, bimestri stipendio frumentoque et singulis in militem tunicis. » Sic et alibi non semel idem Livius, ut lib. X, cap. 5: « Pacto annuo stipendio et duum mensium frumento, permissum ab dictatore, ut de pace legatos mitterent Romam; » cap. 37: « Pacem petiere, et vestimentis militum frumentoque pacti eum consule, ut mitti Romam oratores liceret, inducias in XL annos impetraverunt. » Dictys: « Finitimi populi ultro cum pace ad eum accurrunt, ac ne vastarentur agri, dimidium fructuum pacti, dant fidem pacis atque ab eo accipiunt. »
HEINSIUS.

Krausius habet: *stipendiaria facta sit. Id notavimus, facilius ut,* etc. Ita quod timide tentaverat in notis Ruhnkenius, fidenter ille textui inseruit. Non tamen queror quod *id* manuscriptæ lectioni additum sit, quæ difficile hoc adjumento carere poterat; sed ab Heinsio, nisi fallor, optime defensum erat *pacta sit.* Bipontina emendatio non infelix, trajecto duntaxat verborum ordine: *facilius ut, quæ partibus notavimus, simul universa conspici possint.* ED.

CAP. XXXVIII, §. 2. *Primus in Siciliam.*

Errat Velleius. Sicilia præter regnum syracusanum iisdem temporibus, quàs Sardinia, provincia facta: Solinus. Pomponius de Origine juris. Universa cum regno syracusano non a Marcello, sed M. Valerio Lævino. De provinciis post Sigonium pauca, immo nihil dicere habeo. Satis sit monuisse, in plurimis Velleium victorem gentis cum pacificatore, eum dico, qui pacis conditiones jussu populi tulerit, confundere imperite. SCHEGKIUS.

Ibid. CCIV.

Nisi omnis calculatoria me fugit, superest hic centenaria nota: nam ecce Africa intrata anno CCCCXCVIII; Carthago deleta, DCVII: quid amplius quam justi intersunt anni CV? Tolle ergo grande hoc ἀντιχρόνισμα. LIPS.

Ibid. *Annos* CLXXXII.

Συλλογιστικὴ evincit, CLXXV. Facile colligere ex anno Carthaginis deletæ jam dicto. LIPSIUS.

CAP. idem, §. 3. *Janus Geminus.*

Hinc Florus, IV, 12, 64: « Aususque tandem Cæsar Augustus Janum Geminum cludere, bis ante se clusum, sub Numa rege, et victa primum Carthagine. » Sueton. Aug. 22. BŒCLERUS.

CAP. idem, §. 5. *Ab Attalis possessam regibus.*

Sive placet, *Attalicis*. Ita enim Pergami reges dicti, quia aliquot Attali nomine. Strabo, lib. XIII: Πέργαμον ἐπιφανὴς πόλις, καὶ πολὺν συνευτυχήσασα χρόνον τοῖς Ἀτταλικοῖς βασιλεῦσι· « Pergamum illustris civitas, et diu felix sub regibus Attalicis. » Ibi quoque origo eorum, et stemma.
LIPSIUS.

Ibid. *Cypro devicta nulli adsignanda gloria est.*

Usitatius erat, *Cypri devictæ nullis*; nisi legas potius, *Cypro de victa*.
ACIDALIUS.

Lego, *Cypro de victa nulli*. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 6. *Quippe senatusconsulto.*

Immo *plebiscito*, lege Clodia, quam P. Clodius trib. pleb. tulit, ut Cyprus insula in provinciæ formam redigeretur, ut Ptolemæus rex cyprieus cum omnibus bonis publicaretur, ut M. Cato quæstor cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, et regiæ gazæ vendendæ et pecuniæ deportandæ præficeretur. Nihilominus hic retinendum *senatusconsulto*, et Velleii oscitantiæ hoc tribuendum.
POPMA.

CAP. XXXVIII, §. 6. *Regis morte.*

Ammianus, l. XIV, regem *fœderatum et socium*, *ob ærarii angustias*, *sine ulla culpa proscriptum* narrat, *ita ut jus ejus insulæ avarius quam justius sint assecuti Romani.* SCHEGKIUS.

Confer infra cap. LXV, §. 4, et ibi notas. ED.

CAP. XXXIX, §. 1. *Gallias primum Domitio et Fabio nepote Paulli...*

Non illi primum contra Gallos exercitum duxerunt, sed M. Fulvius Flaccus, cos. cum M. Plauto Hypsæo anno DCXXVIII, biennio post de Liguribus et Voconiis et Saliis triumphavit; deinde sequenti anno de iisdem C. Sex. Calvinus, Cn. Domitius Ahenobarbus, cos. anno DCXXXI, Arvernos et Ruthenos devicit; etsi finem bello non imposuit, sed qui ei successit Q. Fabius Maximus Allobrogicus. Testatur hoc præter cæteros Ammianus, lib. XV: « Galliceæ regiones, inquit, præcipue quæ confines italicis, paulatim levi sudore sub imperium venere romanum, primo tentatæ per Fulvium præliis parvis, quassatæ per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitæ, cui negotii plenus effectus, asperiore Allobrogum gente devicta, hoc indidit cognomentum. » POPMA.

Omnino scribendum *nepoti Paulli*, cum plerisque interpretum, ipsoque Krausio. ED.

Ibid. *Pæne idem quod totus terrarum orbis.*

Quæ mens? an tantum fere stipendii conferre divites illas Gallias, quantum reliquum orbem? tumidum et vanum est. An discrimen aliquod tributi gallicani a reliquis provinciis indicat? nugæ, nec hic locus. Verbulum hoc turbans ego trajicio, et lego, *idem quod pæne totus.* Probe et caute veritati nempe consultum it Velleius; et quia illa abnuit de toto orbe stipendiario, addidit *pæne totum.* LIPSIUS.

Ibid. *Ignavum conferunt stipendium.*

Non displicet, *in ærarium conferunt stipendium.* MANUTIUS.

Manutii conjectura non displiceat, nisi videatur supervacua. Insultat enim quodammodo auctor contumeliosa voce Gallis, qui bello celeberrimi et antehac invicti, nunc velut fracti et ignavi stipendium Romanis pariter cum aliis gentibus solvant. ACIDALIUS.

Alii volunt, *in ærarium conferunt.* Quid opus mutatione? Revera *ignavum stipendium*, et ejus pensio parum virilis. Tamen si quid opus, legam, *in annos.* LIPSIUS.

Puto Velleium dedisse, *in annum conferunt stipendium.* Sic *conferre pecuniam in stipendium belli*, Justino, lib. III. De annuo Gallorum stipendio Suetonius in Julio, et Eutropius. Justin. lib. XIII, 1: *erant in annuo vectigali e tributo tricena millia talentorum*; sic malo quam *vectigali tributo.* Possis et, *in ærarium conferunt stipendii. Deferre ad ærarium* Tacito Ann. III, cap. 51. HEINSIUS.

Ignavum stipendium appellari potest quod victis vires adimit, ut Ovid. Metam. II, 763, *ignavi plenissima frigoris;* ibid. VII, 529, *ignavos inclusit nubibus æstus.* Sed *ignavum conferunt stipendium* interpretari malo: non recusant conferre, neque rebellant. Hoc quidem minus exquisitum videtur, quam si Velleius, ut quidam volunt, ad generosius Batavorum vectigal respexisset, qui, Tacito auctore, Hist. IV, 12, et V, 25, *arma tantum virosque imperio ministrabant*, quum e Galliis exigerentur cccc HS. (Sueton. in Julio; Entrop. l. VI); quod etiam stipendium ab Augusto VII cos. revocatum et auctum tradunt Suet. et Dion. Isto, qui Cludio probabilis habetur, sensu, Galli quidem Batavis, ut vicinis, opponi possunt; sed non item totus orbis; nam qui potuissent Romani arma tantum virosque cunctis a se domitis imperare gentibus? At nostra si libeat uti interpretatione, *pæne*, quod Lipsium supra morabatur, jam planum fiet; nam ad totam referetur sententiam, ut paululum hujus verbi modestia leniatur superba nimis adversus victos exprobratio. Ed.

Cap. XXXIX, §. 2. *Ab eodem facta Numidia.*

Misere hic locus primum a librariis, deinde ab interpretibus vexatus est, ut nunc de ejus salute desperare liceat. Bipontina legendum putat: « Stipendiaria ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Servilius, quum Isauros vicisset. Post bellum Antiochi Vulso ... » Sed multo præstat cum Boxhornio legere *fracta*, quod etiam ad præcedentem vocem *ignavum* quodammodo respondet; sic etiam epitheto nullo gravari Velleianam phrasim necesse est. In cæteris Ruhnkenius felicissime locum restituit; sed Aldus Manutius iter præmonstraverat, qui similem lectionem proposuerat, nisi quod in prioribus verbis multo habendus est inferior. Omisso enim, nescio qua de caussa, Numidiæ nomine, sic legendum arbitrabatur: « Ex eodem tractu Ciliciam perdomuit Isauricus, et post bellum Antiochinum.... » P. Servilius Isauricus consul fuit cum Ap. Claudio Pulchro, anno U. c. DCLXXV, cujus fortasse prænomen in literam *u* transiit, unde in manuscripto legebatur: *perdomuit, uisa vicisset*, pro: *perdomuit P. Isauricus*, et. Ed.

Cap. XL, §. 2. *Favorabilem.*

Omnes uno agmine in hæc conspirant. Alii legunt, *formidabilem;* alii, *infavorabilem;* alii, *non favorabilem.* Atqui vulgata lectione nihil rectius. Dicit Paterculus, Pompeii reditum fuisse favorabilem, quia privatus in urbem veniret. Vulgus enim metum conceperat, ne, Sullæ aut Marii instar, armatus urbem invaderet. Traditum hoc, præter alios, Dioni quoque lib. XXXVII. Vossius.

Cap. idem, §. 3. *Quem semper illi vacare moris fuit.*

De comitatu privato Pompeii. Sic in margine editionis suæ Rhenanus,

in ipso contextu, *illa fatare moris fuit*: an, *quem semper illi adfectare moris fuit?* Heinsius.

Locum corruptum puto; nam rectius Pompeius diceretur, *vacare comitibus*, ubi illis, a negotiis liber, sui copiam faceret; ut *vacare uxori*, Phædr. prol. lib. III; sed comites *vacare* suo patrono, vel duci, dubito an recte dicatur; *apparere*, *adesse*, rectius dicerentur (Ovid. Ep. XII, 1: *At tibi Colchorum, memini, regina vacavi;* tamquam inferior, quod exprobrat Medea Jasoni); *affectare* vero Heinsii minus probo, quia nihil præter cæteros Pompeius in hac re adfectabat, quum omnes imperatores et magistratus romani comites secum in provincias et ad exercitus ducebant: nihil ergo præter morem communem hic in Pompeio notatur, immo civiliter intrasse, ut privatum. Quare forte præstiterit, *quem semper illum sectari moris fuit;* vel *illum assectari*, quæ propria in hoc officio comitum verba esse nemo ignorat. Burmannus.

Krausius, ex Burmanni conjectura, *illum sectari*. Rectissime; nam litera *m* quæ lineola exprimi solebat, facile potuit intercidere. *Vacare* a Rhenano, contra latinæ linguæ consuetudinem, excogitatum est. Heinsianum *affectare*, ut et Ruhnkenii *trahere*, quod iniquam Pompeio sententiam efficiant, ab auctoris mente, hic præsertim Pompeii modestiam laudantis, omnino sunt aliena. Ed.

Cap. XL, §. 3. *Præterquam a Paullo.*

Recte: male alii, *præterquam Capitolio*. Manutius.

Plus ergo Paullus intulit, quam Pompeius? Supra de Paullina summa vidimus; at hic Plutarchus auctor, *Pompeium tulisse* εἰς τὸ δημόσιον ταμεῖον ἐν νομίσματι καὶ κατασκευαῖς ἀργυρίου καὶ χρυσοῦ δισμύρια τάλαντα, παρὲξ τῶν εἰς τοὺς στρατιώτας δεδομένων· « In publicum ærarium in pecunia et apparatibus argenti atque auri viginti millia talentum, præter ea quæ in milites dilargitus erat. » Confer cum illo *bis millies Paulli*: altero tanto vincit. Ergo jure hic et ingeniose rescriptum, *præterquam Capitolio intulit*. Lipsius.

Sed sententia, neque sic satis clara est, neque veritati consentanea. Quamobrem enim inter ærarium et Capitolium distinxerit Velleius, quum ærarium, quod fuit in æde Saturni, in Capitolio fuisse satis constet? Suspicor itaque, tria illa verba, *præterquam a Paullo*, ab inepto librario textui esse inserta, quum Paulli triumphum magnificentissime ab illis descriptum legisset. Vossius.

Nunc totus locus ita videtur constituendus: « longeque majorem omni ante se illata, pecuniam ærario, præterque Capitolio e manubiis intulit. » Præter pecuniam ex hoste captam populi romani ærario inferri solitam, dona etiam Jovi opt. max. e manubiis afferri in Capitolio solebant a triumphantibus. *Præterque* usitatum Plinio, Hist. Nat., pro *et insuper*, quod in *præterquam* subinde degeneravit; adeatur ad illum Gronov. l. XXXIII, c. 13. Nec Vossii ratio Lipsium impugnantis satis valida est,

qui ærarium a Capitolio distingui non patitur, quod ædes Saturni ærario P. R. dedicata, et ipsa esset in Capitolio. Sed per Capitolium cellas Jovis deûmque aliorum, quibus manubiæ votivæ solebant inferri, designant scriptores. Nec sane ædes Saturni in Capitolio, sed clivum inter Capitolinum et Forum, ædi Concordiæ proxima. Livius Dec. V, lib. 1: *Porticum ab æde Saturni in Capitolium censores fecerunt.* Asconius etiam Pedianus, in oratione pro Milone, ærarium aut Foro proximum aut in ipso Foro statuit. Præterea *manubias* ærario inferri solitas, vix legi, quum in usus rerum sacrarum aut publicorum ædificiorum converti solerent, quamquam de propria ejus vocabuli significatione non convenit inter antiquos. Asconio tamen potius, quam A. Gellio accedendum reor, qui, ad orationem in Verrem tertiam, « manubias » definit, « prædam imperatoris proportione de hostibus captam, » et mox : « Spolia quæsita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant, et erat imperatorum hæc præda, ex qua quod vellent, facerent. » Si imperatorum præda manubiæ, non potuerunt ærario inferri; sed hæc pluribus excussimus ad Tacitum. Heinsius.

Krausius *præterquam a Paullo* pro inepto glossemate habet, uncisque includit. Bipontini tentaverat: *præter quanta spolia!* ut secundum Heinsii mentem manubiæ a pecunia distinguerentur. Ed.

Cap. XL, §. 4. *Corona laurea.*

Parum periti rerum morumque romanorum, qui *auream* coronam hic locarunt. Non fuit ea triumphantibus, sed e lauru; et hæc ipsa Pompeii *laurea*, ex Dionis claris verbis, lib. XXXVII: Δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν διὰ πάσας τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολὴν τὴν μὲν ἀρχικὴν ἐν πάσαις μὲν αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν· « Ipsum autem laurum ferre (in capite) per omnes ludos, et togam prætextam; trinmphalem autem, per ludos Circenses. » Sunt hæc ipsa decreta, quæ Velleius dicit; et tu corrige. Lipsius.

Cap. idem, §. 5. *Memor tamen.*

Lucullum etiam inter invidos Pompeio fuisse, ait Paterculus; non tamen sine caussa, sed quod acceptam injuriam ultum ire vellet. Non percepit loci hujus mentem Acidalius, qui τὸ *tamen*, pro *etiamnum*, sive *adhuc* poni affirmat. Vossius.

Ibid. *Et cum iis pars optimatum.*

Accurate, ut solet, exsequitur Dio, XXXVII, p. 53. Baclerus.

Cap. XLI, §. 1. *Manum injicit.*

Sic Val. Max. lib. IV, cap. 2: « Ad externa jam mihi exempla transire conanti M. Bibulus manus injicit. » Burmannus.

CAP. XLI, §. 1. *Quod inter omnes antiquissimos constabat.*

Tentatus a quibusdam hic locus, a Krausio de Aeidalii conjectura (vide Ruhnkenii notam) mutatus est; sed frustra: nam traditarum opinionum fidem ætate metiri solent homines. Porro istam de Cæsarum origine fabulam non a dictatoris assentatoribus excogitatam, sed ex tenebris remotissimæ antiquitatis ortam fuisse, quum historiæ consentaneum est, tum a Velleio minime poterat omitti, qui et Cæsarum fortunæ se addixerat, nec mediocris erat laudator. ED.

Ibid. *Animo super humanam naturam.*

Probum est, sed de animo tamen, quia jam nunc præivit, odiose repetitum. Fortasse, *Omnino super.* LIPSIUS.

Cave Lipsio credas; sed aut Velleii calamum nimis properasse, aut supra *vigore ingenii* a prima fuisse manu existima. Supra quoque *munificentia effusissimus* ab Erasmo, Stephano et Krausio receptum est. ED.

Ibid. *Magno illi Alexandro.*

Cum quo etiam a Plutarcho παραλλήλως comparatur. Adde Appian. II de Bell. Civ. BOECLERUS.

Ibid. *Sed sobrio.*

Unde Catonis verbum: « Unum ex omnibus Cæsarem ad evertendam remp. sobrium accessisse. » SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 2. *C. Mario sanguine conjunctissimus.*

Isteue patricius huic plebeio? Hoc saltem in Plutarcho lego: « Juliam, Cæsaris amitam, nuptam C. Mario fuisse, ex qua minor Marius natus. » Ergo seniori Mario affinis, juniori cognatus fuit. LIPSIUS.

Omnino affinis, non cognatus erat C. Mario Cæsar; nam de juniore Mario nemo hunc locum intelligit. Aut erravit ergo Velleius, aut voluit errare. In Plutarch. Cæs. 6, ubi Mariani præ Cæsaris admiratione exclamasse narrantur, ὡς ἀντὶ πάντων ἄξιος εἴη ὁ ἀνὴρ τῆς Μαρίου συγγενείας, interpretandum: clamabant hunc esse solum Marii *affinitate* dignum. ED.

Ibid. *M. Piso consularis.*

Hic est M. Pupius Piso Calpurnianus, vir triomphalis, et consul biennio post Ciceronem, cum M. Valerio Messalla, in cujus domo Cicero discere solebat. Non ergo erat consularis eo tempore, quo Sulla rerum potitus est, sed multo post; quod Velleius parum attendit. POTMA.

CAP. XLII, §. 1. *Longum est narrare, quid et quoties ausus sit*, etc.

Lege, ac distingue: « Longum est narrare, quid et quoties ausus sit;

quanto opere conata ejus, qui obtinebat Asiam magistratus populi r., metu suo destituerit. » Intelliges autem Junium, qui proconsul Asiæ præerat. Aut scribe, cum Ursino Lipsioque : « quanto opere conata ejus, qui obtinebant Asiam magistratus populi r. metu suo destituere ; » et juvat editio vetus, in quo *destituere* scriptum fuit. Vossius.

Utramcunque Vossii lectionem prætuleris (nam alterutram eligas necesse est), intelliges multa ausum esse Cæsarem ut se piratarum vinculis eximeret, simulque de illis ultionem sumeret, sed a Junio, qui Asiæ præerat, destituta ejus esse consilia. Omne postulanti negabat auxilium Junius, *metu suo*, timens scilicet ne juvenili audaciæ non satis tuto fideret. Cæsar vero, ad civitates conversus, tanta solertia et felicitate usus est, ut illarum pecunia redemptus, privata deinde classe efficeret, quæ publice tentare non ausi erant magistratus P. R.; unde mox invidia Junii in Cæsarem, quem prius per inertiam deseruerat. *Metu suo* ad *ejus conata* respondet, pronominibus inter se oppositis. Male igitur Bipontina ex *P. R. metu suo*, quod erat in veteri codice, fecit *proventu suo*; non quod *consilia proventu suo destituere* latine dici nequeat, sed quod faciliori medela sanari locus ille poterat. Pars controversiæ restat, utrum *destituere*, an *destituerit* legendum. Posterius magis cum latini sermonis ratione consentit. *Destituêre* tamen, pro *destituerint*, scribere potuit Velleius; quo pacto reponendum esset *obtinebant*. Interdum multitudinis numerus καὶ' ἔμφασιν pro singulari ponitur; ut l. I, c. 11, *Metelli excellentes triumphos*, quum de uno tantum mentio fieri deberet. Forsitan etiam illæ voces *P. R.* vim verbi augent : simplex *magistratus* minus valeret. Ed.

Cap. XLII, §. 3. *Quum idem enim Asiam eam quam obtinebat.*

Verba implexa. Schegkius vocibus ejectis edidit : *tum idem enim Asiam obtinebat*. Manutius putat fuisse : *Is enim Asiam tum obtinebat*. Scriptura vetus mihi præit : *Tum idem enim Asiam, eamque obtinebat*. Hoc sensu : tum, et illa ætate, unus idemque proconsul Asiæ et Bithyniæ erat; aliter scilicet quam nostro ævo. Hæc plane pro Velleii sermone et mente videntur : an pro vero? Nam ecce Bithynia illo tempore non provincia, sed regnum; et nonne Cæsar ipse tunc desedit apud Nicomedem ejus regem? Ita est, sed suspicari oporteat partem aliquam regionis avulsam, et adtributam Asiæ fuisse. Romani sæpe sic soliti incidere penuss regnum; sed hæc quia suspicio, valeat, si visum, sententia aliorum. Lipsius.

Meo periculo scribe : *tum idem enim Asiam eamque oram obtinebat.* Cornelius Nepos, Alcibiade : *multas præterea urbes græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ.* Possis quoque *asiaticam oram;* ut scriptum fuerit jam olim *asiatiquam*, unde promanavit error. Certe nisi in oram Asiæ maritimam jus habuisset Junius, non potuit captivos Cæsaris sibi vindicare. Recte autem *eam oram*, id est asiaticam ; ut quæ incursibus piraticis præcipue esset obnoxia. Nam his potissimum profligandis postmodo imperium universæ oræ maritimæ Pompeio fuit delatum; quæ potestas invi-

diosa prorsus. Videndus de ea Velleius noster, c. 31, atque illic Vossius. Igitur præter consularem provinciam Asiam, Junio oræ quoque illius maritimæ cura demandata extra ordinem. Heinsius.

Cap. XLIII, §. 1. *Quum in Cottæ consularis locum pæne puer a Mario Cinnaque flamen Dialis creatus.*

Valde hic sudant, et ut culpæ manifestus vapulat Velleius. Bis, inquiunt, errat, quod et Cottam flaminem Dialem facit, et Cæsarem ei dat successorem: nam Tacitus clare scribit, « duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulæ cædem neminem suffectum. » Dio pariter lib. LIV, sub Augusto *primum post Merulam flaminem Dialem creatum.* Quomodo igitur aut Cotta flamen, aut Cæsar? De Cæsare facile est: creatum dicit, non dicit inivisse aut gessisse. De Cotta, vocula una trajecta solvet nodum. Scribe: *absens pontifex factus erat in Cottæ consularis locum, quum pæne puer a Mario*, etc. Ipsa res est. Pontifex, inquit, factus (non sane maximus: postea adeptus) in locum demortui Cottæ pontificis: quum antea flamen quidem designatus esset, sed Sullæ violentia honor ille ei ademptus. Hæc ita esse quum res clamat, tum juvat nonnihil (unicum et solenne hic nobis auxilium) editio prisca, in qua prius illud *quum* nusquam comparet. Ego autem suo loco reposui, aut potius reperi et eduxi, quum latitaret in verbo *locum*. Lipsius.

Ibid. *Merito tam infestis sibi.*

Bipont. cum Vossio, Bœclero, Thysio, legebat *jam infestis*. Ed.

Cap. idem, §. 3. *Nobilissimaque Dolabellæ accusatio.*

Est ille Cn. Cornelius Dolabella, qui cos. cum M. Tullio Decula anno dclxii, in Macedoniam profectus, devictis Thracibus triumphavit; post reus factus repetundarum a Cæsare adolescentulo, et absolutus favore populi. Popma.

Hanc caussam egit anno ætatis xxi, teste auctore Dialogi de Oratoribus, c. 34. Accusavit igitur antequam a piratis rediit. Vide Sueton. Cæs. c. 4. Confer Plutarch. Cæs. c. 4, Cicer. in Brut. 91, Valer. Maxim. VIII, 9. Bipont.

At Plutarchus diserte scribit id factum, postquam Cæsar Romam rediisset. Itaque Taciti interpretibus videtur non xxi, sed xxiv annos natus tunc fuisse. Sic quidem *Brottier*; nec admodum dissentit Oberlinus, quem vide ad Tacit. tom. IV, p. 229 nostræ editionis. Ed.

Ibid. *Contentionesque civiles cum Q. Catulo.*

De quibus Plutarchus et Dio. Bœclerus.

Præsertim ob restitutas C. Marii statuas. Catulus violenter in Cæsarem frequente senatu invectus est, quod non jam occultis machinationibus

grassaretur, sed palam leges violando rempublicam everteret. Plus valuit tunc eloquentia Cæsaris quam Catuli virtus et fama. Confer Plutarch. 6 et 7, Dion. XXXVII, Sueton. 11. Ed.

Cap. XLIII, §. 3. *Victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus.*

Suet. Cæs. 13; Dio, XXXVII; Plutarch. Cæs. Baclerus.

Cap. idem, §. 4. *Et restituta.... monumenta C. Marii.*

Suetonius, Cæs. 11, caussam exponit ἀντιπραγίαν, sc. æmulationem adversus optimates. « Ut auctoritatem, inquit, optimatium, quibus posset modis, invicem diminueret, tropæa C. Marii de Jugurtha, deque Cimbris atque Teutonis, olim a Sulla disjecta restituit. » Baclerus.

Ibid. *Revocati ad jus dignitatis.*

Errat Velleius turpem errorem, dum indulget adfectui suo in Cæsarem, quem ædilem proscriptorum liberos dignitati restituisse scribit; quod multo post dictatorem fecisse constat. Videndus Cicero in Pisonem. Popma.

Verosimile est, Cæsarem jam id in ædilitate molitum, quod perfecit postea dictator; id colligo ex oratione quam Cicero consul anno post ædilitatem Cæsaris habuit de proscriptorum filiis, unde conjicio motam jam fuisse mentionem de revocandis ad jus dignitatis proscriptorum filiis. Sed rem inchoatam, ut sæpe Noster et alii, pro perfecta posuit. Burm.

Proscriptorum liberi iidem sunt in quos a Sulla victore sævitum erat, supra l. II, c. 28. Ed.

Ibid. *Et prætura, quæsturaque.*

An forsan legendum *in prætura*, idque prioribus conjungendum? Laudat certe priorem ex quæstura præfecturam in Hispania ulteriori seu Bœtica cum jure prætorio administratam, quam et laudant Sueton. in Cæs. c. 7, ac Cicero pro C. Balbo, c. 19. Alteram ex prætura gessit in Lusitania. Bipont.

Cap. XLIV, §. 1. *Hoc igitur cos.*

Immo non illo *consule*, sed consule designato. Suetonius ita narrat, c. 19, et Livii Epitoma: « C. Cæsar Lusitanos subegit, eoque consulatus candidato, et captante rempub. invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta, Cn. Pompeium, M. Crassum, et C. Cæsarem » Idem Appianus, et addit Varronis librum in hanc conspirationem fuisse, cui titulus Τρικάρηνος. Lipsius.

Cap. idem, §. 4. *Cæsar legem tulit.*

Legis *Juliæ*, sive ut Cicero, ut Suetonius, *Campanæ*, duo mihi cum doctis viris capita: unum, quo cautum, ut ager publicus ad subsidia reip.

vectigalis relictus divideretur (Cicero ad Atticum, lib. II, epistola 16); alterum, ut ager a privatis in Campania possessus, redemptus publica pecunia, distribueretur plebei. Publicus hac lege xx M civium, quibus terni pluresve liberi, extra sortem divisus est (Suetou. cap. 20; Dio, l. XXXVIII; Appiauus); privatus nunquam (Cicero pro Domo). De utroque capite idem, epistola 17 ejusdem libri: « Quid ista repentina affinitatis conjunctio? quid ager campanus? quid effusio pecuniæ significant? » Dio tamen turbat, in principio lib XXXVIII: « Omnem regionem, quæ publica pop. rom. erat, excepto agro campano; quem reip. ob præstantiam exemptum censuit relinquendum, divisit; » et statim: « Sic tandem ea lex perlata est; prætereaque decretum, ut ager campanus his, qui ternos pluresve liberos haberent, divideretur. » Quid pronuntiandum? Dionem legem Agrariam non percepisse, an non liquere? Schegkius.

Cap. XLIV, §. 4. *Jus ab his restitutum.*

Mihi, pro *ab his*, reponendum videtur *civitatis*, ut in loco Ciceronis VI de Republ. apud Nonium, ubi pro *ab his* viri eruditi emendarunt *cives*; *Restitutum* autem dicit, quoniam libro priore meminit civitatis Campanis datæ sine suffragio. Puteanus.

Nulla hic opus mutatione. *Ab his* civibus deductis, inquit, rursus jus cœpit immunitatis agri campani, ad subsidia reipublicæ relicti, post Capuam in provinciæ formam redactam. Cicero ad Atticum, Livius, Suetonius, et alii. Popma.

Ab his, i. e. a Cæsare et Pompeio. Non video, cur vulgata lectio mutari debeat. Vossius.

Attende verborum seriem. Viginti millibus civium qui Capuam deducti sunt, nihil erat restituendum, quippe qui nihil amiserant. Sed *ab his* in hac regione considentibus pristinum jus Campaniæ et urbi Capuæ redditum est. Ita fere Vossius ac Bipont. Manifesto igitur cadit eorum opinio, qui *ab* sine caussa induci jubent. Melior Puteana lectio, quam et Krausius recepit, *civitatis*; sed a manuscripto stare tutius est. Ed.

Cap. idem, §. 5. *Domi se tenuit.*

Per edicta obnuntiando dies festos esse, hisque nefas quidquam agere. Suetou. Dio. Schegkius.

Ibid. *Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ.*

Socero sc. (Pisone) generoque (Pompeio) suffragantibus, ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cujus emolumenta atque opportunitates idonea essent materia triumphorum. Suetou. Cæs. 22. Becl.

Cap. XLV, §. 1. *Actus incesti reus.*

Prolixe habes historiam apud Plut. in Cæs. Dion., XXXVII, Suetou. Cæs. 6. Becleru.

CAP. XLV, §. 1. *Inter religiosissima P. R. sacra.*

Bonæ Deæ, Græcis *Gynæcia*; cujus soleuni sacrificio, sive, ut Festus nominat, *Damio*, consulis, prætoris, aut pontificis ædes vacabant, meliori procul remoto sexu. Locus *sacrarium* Floro; Cicero, Paradox. *opertum Bonæ Deæ* vocat; et *sacra opertanea* Plinio, quæ in operto, id est occulto, sive secreto fiunt. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 2. *Quod inter XX viros.*

Cæsar enim, ut occultaret nova consilia, optimum et clarissimum quemque dividendis agris adhibere cupiebat, quasi nimirum non sua, sed ipsorum auctoritate illa res gereretur, quod animadvertens Cicero, decus atque dignitatem suam noluerat alienæ dominationi gratificari. BECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Intra biennium.*

Abfuit tantum Cicero menses ipsos quatuordecim. Pulsus enim anno DCXCVI circiter kal. apriles, rediit anno insequenti, mense sextili. Plutarchus tamen menses XVI computavit, parum exacte. LIPSIUS.

Ibid. *Sera Cn. Pompeii cura, verum et cupito interitu.*

Valde placet id, quod in quibusdam libris est, *ut cœpit, interrita*; neque aptius quid excogitari potest. PUTEANUS.

Cl. Puteano placebat et Vossio, *ut cœpit interrita*, quod exstat in Basileensi editione; sed membranæ, *et cupit interita*. Lege, *verum et cupiti interritu*. Interritus cupitæ rei Pompeius, quia nullis Ciceroni adversantium minis a proposito se passus est deterreri. Nam quamquam is ante ipsum exsilium destituerat Ciceronem, atque a Clodio opprimi erat passus virum optime de rep. meritum, non multo post tamen prioris facti pœnitentia ductus acriter fovit exsulantem; adeo ut Clodius subveritus, ne auctoritate tanti viri subnixus adversarius pristinæ dignitati restitueretur, sicarium immiserit, qui Magnum interimeret. Verum detecta molitione, tenuit propositum nihilominus Magnus, ac frequentissimo senatu recitata de scripto sententia Ciceroni testimonium conservatæ per hunc unum patriæ dedit, effecitque, ut populus romanus comitiis centuriatis, obnitente licet immane quantum Clodio, de revocando Cicerone legem perferret. Hæc fere Plutarchus in vita Ciceronis. Recte igitur *cupiti*, sive *cupitæ rei interritus* Pompeius a Velleio dictus. Dictys Cretensis, lib. III, 23: « Sed ut videtis summæ rei alii potiuntur, quibus cupita utilitate, potiores sunt; » ita codex meus, vulgo, « cupido utilitate potior est. » Idem, lib. III, 24: « Tum Achilles confirmare, non prius cupitis ejus satisfuturum; » ita codex meus, vulgo, *satisfacturum*; lib. VI, 8: « Mutata veste juvenibus offert se, eisque cupitum sui interitum refert; rei cupitæ prætermittere occasionem, » Livio, lib. XXVI, c. 7; idem, lib. III, c. 37: « Quum fortuna, qua quidquid cupitum foret, potentioris esset. » *Cupita ultio* apud Justin. lib. XLII, 1. Valer. Max. VI, cap. 9, de felicitate

Polycratis Samii : « spes certum cupitæ rei fructum apprehendebant. » Tacitus, Ann. IV, cap. 3 : « Nepotes adulti moram cupitis adferebant ; » sic et alibi non semel. *Interritus cupiti*, ut cap. 41, « effusissimus munificentiæ, » et alibi non semel. *Interritus* lati clavi contentus » cap. 88, ubi plura. HEINSIUS.

Interrita cupiti cura an dici patiatur linguæ latinæ genius, vehementer dubito. Mollius esset, *verum*, *ut cœpit*, *interriti*, ut ad præcedens *Pompeii* referatur. BURMANNUS.

CAP. XLV, §. 4. *In senatu.*

In tribunatu dederat, puto, Velleius ; *in senatu* ex superioribus perperam repetitum, quare et delendum censebat Cujacius. HEINSIUS.

Ibid. *Quæstor.*

Libentius legerem, *quæsitor*. Cato enim multo antea quæstor fuerat. MANUTIUS.

Bene *quæstor*. Ita « Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est » (Sallustius) ; at extra ordinem, Sueton. Cæs. : « Cn. Pisoni, ob suspicionem conjurationis urbanæ, Hispania provincia a senatu extra ordinem data est ; » retineamus igitur vulgatam. SCHEGKIUS.

Lege *quæstorius jure prætorio*. *Cum* natum ex ultimis literis *jus* in *quæstorius* ; extraordinarium enim accepit imperium, quo qui ornabatur, jure eo idem utebatur, quo alius, cui per ordinem magistratuum gestorum ordinarium competeret ; tantum ut non *proconsul* vel *proprætor* diceretur, sed *pro consule*, et *pro prætore*. Sic Sullam quæstorem Marius *pro prætore* reliquit proficiscens in expeditionem. Sallust. c. 103 : « Piso quæstor in Hispaniam pro prætore missus. » Sallust. Cat. 19, et ita sæpius. BURM.

Ibid. *Omnibus morum vitiis.*

Mirum schema Velleii, quasi morum vitia Ptolemæum regno exuere, et Romanis spoliandum tradere debuerint. Aliter et verius Ammianus Marcellinus, XIV, 27, de Cypro loquens : « Nec piget dicere, avide magis hanc insulam populum r. invasisse, quam juste. Ptolemæo enim rege fœderato nobis et socio, ob ærarii nostri angustias jusso sine ulla culpa proscribi, ideoque hausto veneno voluntaria morte deleto, et tributaria facta est, et velut hostiles ejus exuviæ classi impositæ, in urbem advectæ sunt per Catonem. » Florus quoque non obscure indignitatem rei innuit, quum III, 9, 3, inquit : « Divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut victor gentium populus, et donare regna consuetus, P Clodio tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit. » BECLERUS.

Avide magis quam juste Ægyptum invasit P. R. et improbat factum Cicero pro Domo sua c. 8. Sed Clodius simul injuriam ulcisci voluit ob pretium redemptionis, quum a piratis captus esset, a Ptolemæo avare præbitum. Confer Freinshemium, Suppl. Liv. 98. BIPONT.

Cap. XLV, §. 5. *Cujus integritatem.*

Hoc dicit, nefas esse laudari in Catone integritatem et a pecunia abstinentiam, quum aliæ sint ejus magis eximiæ, magis raræ virtutes. Integritas in alium aliquem etiam e vulgo cadat: in Catone laudetur, quidquid in alio haud temere exstet. Ita Claudianus in laudatione Mallii: « Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro Commemoret? fuerint aliis hæc forte decora, Nulla potest laus esse tibi quæ crimina purget. » Plane ad hanc sententiam est etiam illud Taciti de Agricola, cap. 9: « Integritatem atque abstinentiam in tanto viro referre, injuria virtutum fuerit. » Quæ una et clara fax huic loco. Lipsius.

Ibid. *Effusa civitate.*

More, tam in urbe, quam in provinciis vulgato. Cicero alibi: « Quid habet admirationis tali viro advenienti candidato consulari obviam prodiisse multos, quod nisi esset factum, magis mirandum videretur; quod si etiam illud addam, quod a consuetudine non abhorret. Schegkius.

Cap. XLVI, §. 1. *Invictum par consulum.*

Latet mendum in priore voce, quod arguunt libri veteres, in quibus *victus par:* forte legend. *vetus*, nam uterque tum senex, et ambo simul coss. iterum. Sic Lucillius et Columella, *vetus ille Cato*. Popma.

Unicum par consulum. Bipont. Excellebat scilicet in suo uterque genere, Pompeius virtute, Crassus divitiis. Krausius *invictum* tuetur, nempe illos in petitione consulatus invictos fuisse. Sed ut simplicissima, ita verissima est lectio *vetus par.* Consules ambo simul fuerant, quindecim jam ante annos. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Cætera sanctissimus.*

E Græcia vectum sermonis genus, usitatum ab optimo quoque. Tacitus, *cætera equestri familia*, et *juvenis alia clarus;* A. Gellius, *pleraque doctus;* Apuleius, *pleraque mundus;* et Florid. I: *Marsias Phryx cætera, et barbarus.* Schegkius.

Cap. idem, §. 3. *Diris cum ominibus.*

Minutius in Octav. « Et ut Thrasimenus Romanorum sanguine et major esset et decolor, sprevit auguria Flaminius; et ut Parthos signa repetamus, dirarum imprecationes Crassus et meruit et irrisit. » Quales fuerint, et quia mire huc faciunt, et antiqui ritus, supra repetam ex Appiani Parthico: « Solus Ateius occurrens, primum voce cohibebat, denuntians ne procederet; deinde adparitorem jussit, detineret eum injectis manibus; verum id collegis tribuni non permittentibus, adparitor Crassum missum fecit. Ateius vero ad portam accurrens, posuit ibi ardentem foculum, et Crasso prætereunte suffitum faciens, libansque insuper, diris eum devo-

vebat exsecrationibus, nova et horrenda nomina Deorum invocans; eas exsecrationes secretas et priscas Romani talem vim putant habere, ut nemo sic devotus possit evadere, immo nec illi, qui devovet, bene cedera: quamobrem non temere his utuntur.» Gemina germana Plutarchus in Crasso. Schegkius.

Cap. XLVII, §. 1. *Amplius quadringenta.*

Malim CICC: nam Plinius, Solinusque scribunt, « præter civiles victorias undecies centena, et nonaginta duo millia occisa ab eo præliis.» Nisi malis cum Lipsio, DCCC: nam Appianus in Celticis decies centena millia tantum occisa esse tradit. Vossius.

Ibid. *Sæpe in agminibus.*

Malim, ad Livianum exemplum, *sæpe agminibus*. Ille XXI: « Magis agmine, quam acie, in via concurrerunt.» Agminibus concurrere est, non explicatis ordinibus distinctaque acie. Lipsius.

Etiam malim cum aliis abesse voculam *in*, nam quod habemus Livii lib. X, 45: « Sæpe in acie, sæpe in agmine, sæpe circa ipsam urbem adversus eruptiones hostium pugnatum,» forte et ibi abjicienda utraque præpositio. Gruterus.

Retineo præpositionem: *in agmine* enim est, quum agmen duceret, *in itinere*, ut loquitur Sueton. Aug. 3, et Sallust. Jug. 88. Idem Cæs. 57: « In agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat;» et ita passim alii. Burmannus.

Ibid. *Novem denique ætatibus vix ulla non justissimus triumphus emeritus.*

Durior locutio videtur, quæ molliretur si legeretur, *ex novem denique æstatibus vix ulla, qua non j. t. emeritus.* Burmannus.

Nisi perquam nota esset Velleiani calami incuria, posset aliquis cum Burmanno scribere, *ex novem denique æstatibus*; at reliqua certe integra sunt; *vix ulla*, pro sexto casu habendum. Ruhnkenio magis placebat *vix ullus*, unde eliceretur hæc sententia: *quum multi triumphi emeriti a Cæsare fuerint, vix eorum ullus non fuit justissimus*. Nihil a tam docto viro frigidius poterat excogitari. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Septimo fere anno.*

Immo *quinto*, ex observatione Krausii. Ed.

Valer. Maxim. IV, 6, et Seneca in Consolatione ad Polyb. c. 34, affirmant viva Julia ejusque parvula prole sinceram coaluisse inter Cæsarem Pompeiumque concordiam; sed quis credat? male igitur Bipont. cum Lipsio, ut sibi videbatur, restituendi felicitate certans, relegensque corruptissimi textus vestigia, fecerat: « medium jam, ex unitate potentiæ ac familiæ, cohærentis inter P. et C. concordiæ pignus.» Ed.

Cap. XLVII, §. 2. *Filius quoque parvus Pompeii.*

Non convenit inter auctores filium an filiam esset enixa Julia Pompeio. Velleius diserte filium fuisse ait, quem Lucanus nepotem Cæsaris,... *mortemque nepotis.* Suetonius, Plutarchus, et Dio filiam : *neptem* enim, non nepotem dicunt. Popma.

Cap. idem, §. 3. *Tum in gladios cædesque civium.*

Tribunorum præsertim plebis ferocia tumultus excitabat, comitia turbabat, pro consulibus tribunos militum postulabat (quo nimirum plures remp. capesserent), populo suis malis applaudente et in perniciem suam sæviente : Οὔτε γὰρ ἐμετρίαζον, οὐθ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐποίουν. ἀλλήλους συνεφύρ-μοντο, πολλὰ μὲν δαπανώμενοι, πολλῷ δ' ἔτι πλείω μαχόμενοι· « Neque enim moderati sanique quidquam agebant, sed tumultuabantur invicem, turbabantque tum largitionibus multa, tum pleraque certaminibus gerentes ac cædibus, » inquit Dio, XL, p. 159, apud quem plura antecedentium et consequentium vide, ut æstimes, quantum brevitate mirifica, signanter tamen, expresserit Velleius. Similia habet Plut. in Cæs. p. 721. Becleeus.

Ibid. *Tertius consulatus soli Cn. Pompeio.*

De *Catonis* præsertim et *Bibuli* Plutarchus in Pomp., de totius senatus consilio Dio, XL. Fuit hoc inter artes *aristocraticas*, ut Pompeio soli delatus consulatus et dictaturam impediret, quam tribuni pl. Pompeio magnis jam clamoribus destinabant; et Pompeium a plebe avocaret, atque ad optimatium partes traduceret; denique ne duriore in servitio essent Romani, si cum Pompeio Cæsar, quod timebant, consul factus esset. Sed quid est τὰ ἀνάγκαια πολιτεύεσθαι, si hoc non est? Nulli jam prudentiæ, nulli arti sua vis; mutabantur miseriæ, non tollebantur. Et jam ὠδῖνες reip. regnum parturientis occœperant. Becleeus.

Ibid. *Exercuit.*

Potius, *exeruit.* Lipsius.

Cap. XLVIII, §. 2. *Perfectis muneribus theatri.*

Velleius infra 130 : « quam magnifico animi temperamento Cn. Pompeii munera absumpta igni restituit. » Nil itaque mutandum. Notandam tamen significationem rariorem, *muneris*, censet Gruterus; et sane non esse vocabulum e vulgo, satis indicat Frontinus, libello de Aquæductibus urbis Romæ, his verbis : « Quantum publicis operibus, quantum muneribus (ita enim cultiores appellant), quantum lacubus,.... beneficio principis detur. » Sic recte edidit Onuphrius; et ita etiam, ante visum Onuphrii codicem, legendum conjeceram, usus sola editione Florentina Juntæ, in qua perperam *appellantur.* Vossius.

Naso de porticu Octaviæ et Marcelli, Arte amatoria, I, 69: « Aut ubi muneribus nati sua munera mater Addidit, externo marmore dives opus. »
HEINSIUS.

CAP. XLVIII, §. 2. *Operum quæ ei circumdedit.*

Quæ ista opera circa theatrum Pompeii? signa marmorea, non singularum modo personarum, sed etiam oationum et gentium; de quibus Plinius, lib. XXXVI, cap. 5: « Idem et a Coponio XIV nationes, quæ sunt circa Pompeii, factas autor est. » Jam marmoreæ domus magnificentissima, nomine Regiæ insigoita, ædes Veneris theatro superimposita. Suetonius Augusto, cap. 31: « Pompeii quoque statuam circa theatri ejus regiam marmoreo fano supposuit. » Tertullianus de Spectaculis: « Pompeius magnus solo suo theatro minor, quum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superimposuit. » POPMA.

Ibid. *Defuisset fortunæ destruendi ejus locus.*

Tali sententia Plutarchus in Pompeio optat: « Utinam tum obiisset (post tertium triumphum), quum adhuc Alexandri fortunam haberet! nam quæ secuta sunt non minimam felicitati ejus imposuere labem. » BECLERUS.

CAP. idem, §. 4. *Cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes ullæ neque cupiditates sufficere possent.*

Supra *omnino* legendum videri monui; quod quo considero magis, eo placet magis. ACIDALIUS.

Omnino admodum placet: immo necessarium videtur. In cæteris Ruhnkenio licet adstipulari, ultima verba post Wopkensium, cui fortasse non satis gratulatur, non male transponenti; sed ipsa hæc medela fortasse videbitur inutilis, si, quod Bipontina suadebat, *cupiditates* metonymice pro ipsis direptionibus sumatur, ut *amor* pro re amata: « Nymphæ, noster amor, Libethrides. » Virg. ED.

Ibid. *Mox simulatione.*

Cujus simulationis consilia exposuit diligenter Dio XL, non procul a fine.
BECLERUS.

Ibid. *Accepto centies H. S.*

Jure in summa ambigit Aldus, et spernit ut minutam; mallet, *trecenties*. Ego alterum addo, scribo et *sexcenties*. Caussam habeo, quod Dio Cassius auctor, lib. XL, « omni ære alieno, quo ingenti erat obstrictus, Curionem a Cæsare liberatum; » atqui Valerius, l. IX, c. 1, §. 6: « Forum nostrum Curionis filii sexcenties sestertium æris alieni aspexit. » Caussam etiam alteram, quod Plutarchus et Appianus consentiunt, « Paullum consulem emptum a Cæsare mille quingentis talentis, Curionem autem ma-

jore etiam summa. » Si ita est, quum tot ista talenta paulo minus quadringenties *H. S.* efficiant, quidni Valerium audiamus in majore summa? LIPSIUS.

CAP. XLVIII, §. 5. *Discussit ac rupit.*

Quo sensu etiam Lucanus, lib. I, tribunos *faces belli* vocat, Curionique præsertim orationem, qua Cæsar ad audendum bellandumque instigatur, tribuit. Ita quidem ex parte Cæsaris; sed ex Pompeii parte, Lentulus aliique similem censuram merentur, qui non passi sunt ipsum pacis consiliis animum adjicere. BOECLERUS.

Ibid. *Unice cavente Cicerone.*

Commendat etiam virum optimum hoc nomine Plutarch. in Cæs.: *Κικέρων ὁ ῥήτωρ ἄρτι παρὼν ἐκ Κιλικίας καὶ διαλλαγὰς πράττων, ἐμάλαττε τὸν Πομπήϊον, ὁ δὲ τἆλλα συγχωρῶν τοὺς στρατιώτας ἀφῄρει· καὶ Κικέρων μὲν ἔπειθε τοὺς Καίσαρος φίλους συνενδόντας ἐπὶ ταῖς εἰρημέναις ἐπαρχίαις, καὶ στρατιώταις μόνοις ἑξακισχιλίοις, ποιεῖσθαι τὰς διαλύσεις·* « Reversus modo e Cilicia Cicero orator de reconciliatione agebat, Pompeiumque mitigabat, ut in aliis concederet, legiones tantum Cæsari adimeret. Itaque rursum Cicero persuasit amicis Cæsaris, ut contenti, quas prædiximus, provinciis militumque sex millibus, concordiam pacemque admitterent. » Meminit et in Vita Ciceronis. BOECLERUS.

CAP. XLIX, §. 1. *Si prius gratulatus ero Q. Catulo*, etc.

Pertinet huc locus Ciceronis de Hortensio, in Bruto, cap. 96: « Sic Q. Hortensii vox exstincta fato suo est; nostra, publico; » et mox: « Sed fortunatus illius exitus, quia ea non vidit quum fierent, quæ providit futura; sæpe enim inter nos impendentes casus deflevimus, quum belli civilis caussas in privatorum cupiditatibus inclusas, pacis spem a publico consilio esse exclusam videremus; sed illum videtur felicitas ipsius, qua semper est usus, ab eis miseriis, quæ consecutæ sunt, morte vindicasse. » Tali ferme figura Tacitus Agricolæ suo *opportunitatem mortis*, quam vocat, gratulatur. BOECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Caussæ, non Pompeio.*

Sensus: ad Pompeium summum imperium detulerunt, non in ipsius gratiam et favorem, cujus principatum et dominationem tuerentur; sed ut ipse, summo imperio mandato, eo fortius caussam senatus, hoc est, ut tunc habebatur, reipublicæ et bonorum defenderet. KRAUSIUS.

CAP. idem, §. 4. *Nihil relictum a Cæsare, quod servandæ pacis*, etc.

Vide quam dissentiat Plutarchus in Antonio. MANUTIUS.

Ita quidem præ se ferebat, sed fortasse verissimum est judicium Plutarchi in Antonio. Cæsari bellum pridem et vehementer cupienti fuisse;

quippe quem stimularet *ἔρως ἀπαρηγόρητος ἀρχῆς, καὶ περιμανὴς ἐπιθυμία τοῦ πρῶτον εἶναι καὶ μέγιστον·* « inexplebilis imperandi amor, et insana principatus cupiditas; » cujus tegendæ, jurisque titulo exornandæ maximas interim occasiones Pompeiani præbuere homini, quod negari non potest. Bœclerus.

Cap. XLIX, §. 4. *Justo esset ferocior.*

Marcellum intelligit, cujus ferociam præsertim etiam ex Appiano, lib. II licet intelligere. Porro uterque coss. ideo creati erant, quia Cæsarem summo odio prosequerentur, notante eodem. Bœclerus.

Ibid. *Lentulus*, etc.

Propter magnitudinem scilicet æris alieni: nam his nimirum *civili bello opus*, sive, ut apud Sallustium notantur, *his perdita rep. opus est.* Cæsar, I Bell. Civ. « Lentulus, inquit, æris alieni magnitudine, et spe exercitus ac provinciarum et regum appellandorum largitionibus movetur; seque alterum fore Syllam, inter suos gloriatur, ad quem summa imperii redeat.

Bœclerus.

Cap. idem, §. 5. *Relicta urbe.*

Describit eam ex urbe fugam graphice Dio, XLI. Bœclerus.

Cap. L, §. 1. *At Cæsar*, etc.

Quæ de Domitio, item de oratione Cæsaris in urbe hic memorantur, præter Dionem, Appianum, Plutarchum, præsertim ipse diligenter exposuit I Bell. Civ. Noti sunt et jam supra indicati scriptores totius civilis belli; e quibus, deinceps, ea tantum mutuabimur, quæ nostro instituto opportuniora videntur. Bœclerus.

Ibid. *Legionibusque.*

Cæsar in hac re legiones non nominat, sed cohortes xxxiii quæ nondum fuisse videntur sub legionum suarum signis. Sunt autem illæ ipsæ cohortes, quæ, in judicio Milonis, præsidium judicibus et Pompeio. Lucanus ad Domitium, l. II, 479: « . . . . tua classica servat Oppositus quondam polluto tiro Miloni » Lipsius.

Cap. idem, §. 3. *Arbitria captans.*

Huic loco respondet alter Justin. lib. XX, 11, 2: « Hamilcarem exorat, ut inter se et Syracusanos pacis arbitria suscipiat; » et ita idem lib. V, 2, *arbitrum pacis ac belli* dixit.

Ibid. *Principalibus armis ii se debent interponere, qui non parentem coercere possunt.*

Quasi diceret, si Massilienses iis instructi fuissent opibus, quibus Cæsar

potuisset terreri compescique, tum sane quivissent dicere: « Abstine partibus nostris, Cæsar; omitte arma adversus Pompeium, excede finibus nostris, aut pacato habitu ingredere. » Nunc stultitia erat leges dicere ei, qui armorum minas armis eludere posset. Miseratione interim dignissima est optima et de romano nomine præclarissime merita civitas. Quare Cicero, II Offic. 8, serio deplorat, « in triumpho portatam eam urbem, sine qua nunquam romani imperatores ex transalpinis bellis triumpharant; » id quod indignissimum merito viris bonis videbatur: non debebat enim triumpho ostentari, quod miseratione mœstitiaque publica potius abscondi merebatur. Bæclerus.

Cap. LI, §. 3. *Balbus Cornelius.*

Duo Balbi Gaditani celebres fuerunt, quorum alter Balbus major, alter ex majoris fratre natus, minor dictus est. Major a Pompeio civitate donatus, et Corneliæ genti insertus, pro quo exstat Ciceronis oratio. Cæsari amicissimus fuit, et ejus negotiorum procurator, ut constat ex epist. 3, lib. VII, ad Atticum, ubi appellatur *Tartessius senex*. Minor cum patruo civis factus, fuit quæstor Cæsaris bello hispaniensi, et consul suffectus cum T. Canidio Crasso, anno DCCXIII. Prætor ex Africa quarto kalendar. aprilis anno DCCXXXIX triumphavit. Ejus meminit Cicero ad Atticum, lib. VIII; Velleius hic, et Plinius lib. V, cap. 5. Popma.

Jacobus Perizonius de Balbo minore hæc capiebat, quum Sigonius in Fastis, Onuphriusque ad majorem referant, quod minor consulatu functus non legatur, quem major gesserit a. U. c. DCCXIII. Atque quum in Fastis municipii Apiani L. quidam Cornelius inter suffectos consules inveniatur, non dubitabat is (Perizonius) eum ipsum esse hunc L. Cornelium Balbum probabili conjectura; ut immerito Paulus Manutius ad Cicer. lib. VI, Ep. 12 famil. aliique erroris Velleium insimulent. Heinsius.

Ibid. *Non Hispaniæ Asiæ natus.*

Obscurum ait Aldus: vere; sed quantula lux, quam ipse affert! Legit, *natus esset*, id est, inquit, *consuleret et splendorem afferret*. Sed sic quoque locus parum splendet: quem in clarorem fortasse magis dabit noster Phœbus. Ille suadet: *quibus non Hispaniensis, sed Hispanus*. Affirmo ita se rem habere. Hac audacia, ait Velleius, effectum, ut Balbus ille, non dicam civis e Latio aut incola Hispaniæ saltem, sed vere Hispanus et externus, Romæ perveniret ad sacerdotium et triumphum. Certe hoc novum: nam plene civibus hoc jus magistratuum et imperiorum tantum. Plinius clare ab hac sententia, de Africa et Garamantibus, lib. V, c. 5: « Omnia armis romanis superata, et a Cornelio Balbo triumphata, unius omnium externo curru et Quiritium jure donato. Quippe Gadibus nato civitas romana, cum Balbo majore patruo, data est. » Atque idem de Balbo majore VII, 43: « Fuit et Balbus major, inquit, consul, primus externorum atque etiam in Oceano genitorum usus illo honore, quem majores Latio

quoque negaverunt. » Videsne exteros non admissos ad magistratus, etsi in civitatem admissos? in utroque igitur Balbo hoc novum; in altero, quod consul primus exterorum; in altero, quod pontifex et triumphalis; sed de vocum quoque discrimine (proprie enim et signate Velleius scripsit) addam. Sosipater: « Quum dicimus *Hispanus*, nomen nationis ostendimus; quom autem *Hispaniensis*, cognomen eorum, qui provinciam Hispaniam incolunt, etsi non Hispani. » Martialis, præfat. l. XII. « Ne Romam, si ire decreveris, non Hispaniensem librum mittamus, sed Hispanum. » Idem discrimen passim apud scriptores in *Siculo* et *Siciliensi*; *Græco*, *Græciensi*; *Germano*, *Germaniciano*; et talibus. Vide Festum in *Corinthienses*. LIPSIUS.

Editio Rhenani ex MS. *non Hispaniæ Asiæ natus*, *sed*, etc. Pro eo fecit Burerius, *non Hispaniæ suæ natus*, *sed*, etc. quod receperunt edit. Sed quom Lipsius correxisset *non Hispaniensis*, *sed Hispanus*, ei omnes accessere. Nos utramque veterem ac novam vulgatam cum cæteris editorum conjecturis minus justis mittimus; veramque lectionem *non Hispaniæ alienatus*, *sed Hispanus*, restituimus, ex ipsa caussa Balbi a Cicerone defensa contra accusatorem, qui contenderat, non potuisse Balbum in civitatem romanam venire, quia populus gaditanus, e quo Balbus erat a Pompeio sigillatim civitate donatus, non factus esset fundus h. e. auctor. Et sic quoque Festus: « Fundus dicitur populus esse rei quam alienat, h. e. auctor. » Ciceronem in oratione laudata sensum legis Juliæ pervertisse, veriusque accusatorem explicasse, hodie nemo negat. Confer Gellium, XIX, 8, et Manutium ad orationis citatæ argumentum. BIPONT.

Krausius Lipsianam lectionem secutus est, quæ tamen Ruhnkenio dubia videbatur. Nos Bipontino editori favemus, qui novam saltem tentavit viam: nam quod Balbo majori objiciebatur teste Cic., itidem de minore valebat, qui simul cum patruo civitate donatus: nempe quem non alienaverat Hispania, sive qui Gadibus patriæ suæ non alienatus erat, is adhuc erat Hispanus. Alias quoque Velleius *alienare* cum dativo construxit; lib. II, cap. 112: *animum alienavit sibi*. Vix dubitamus ergo, donec aliquid veri similius offeratur, legere, *non Hispaniæ alienatus*. Ciceronis pro L. Cornelio Balbo orationem nemo, qui relegerit attentius, multum a sententia nostra abhorrebit. ED.

CAP. LI, §. 3. *Ex privato.*

Sed cur *ex privato* consulem factum Balbum Cornelium ait? *ex privato* capiebam ex senatore, quum nullo magistratu adhuc perfunctus esset; atqui quæsturam gessit Balbus, teste Asinio apud Ciceronem, lib. X, ep. 33. Quid ergo? Quum testetur Burerius in vetusto Velleii codice complura fugientibus literis vix satis liquido legi potuisse, crediderim ab ipso Velleio non scriptum fuisse *ex privato*, sed *ex tributario*. Sic *civis romanus* et *tributarius* sibi opponuntur in fragmento Petronii Traguriano: « Eques romanus es? et ego regis filius. Quare ergo servisti? Quia ipse me

dedi in servitutem, et malui civis romanus esse, quam tributarius.» Sic *tributarium solum* Morinos vocat Plin. Nat. Hist. XXI, c. 1. Heinsius.

Ex privatis plurimi, et omnes, ut ita dicam, consules facti sunt; nemo enim consul vel consularis nascitur. Quare totum locum ita rescriberem: « Quibus non hispaniensi cive natus, sed Hispanus in triumphum et pontificatum adsurgeret, fieretque ex peregrino consularis.» Ex *Hispaniæ Asiæ* facile est facere, *hispaniensi cive;* deinde *ex peregrino*, quod per compendium scriptum *prino*, fecit locum *privato*, quod scribebant *privo* librarii. Burmannus.

Sive *peregrino* sive *tributario* pro *privato* reponatur, jam manifestum erit, de Cornelio Balbo minore omnia scripsisse Velleium, frustraque illum erroris quum a multis interpretibus, tum ab ipso Ruhnkenio incusari, tamquam duos Balbos temere confuderit doctissimus et pæne coævus auctor. Ed.

Cap. LI, §. 3. *Consularis.*

Consularem, non *consulem*, dicit, quia quum in paucos dies fuerit suffectus, vix consulis munus attigit, sed nihilominus dignitatem inde consularem obtinuit per totam vitam; apud Florum vero, lib. III, 21, malim legere, *si annum consulatus implesset*, ut est in quibusdam codicibus, et tuetur Freinshemius, qui recte observat, nusquam *consulares* dictos consules, quum funguntur eo magistratu. Burmannus.

Cap. LII, §. 2. *Salubrius fuit.*

Ita etiam Appianus judicat. Certe etiam alterum istud consilium *trahendi belli* prorsus e re Pompeii futurum erat, sicut clare Plutarchus explicat; sed Pompeium non tam *impetus suus*, quod hic Velleius dicit, quam fatalis suorum temeritas in noxia consilia et exitium præcipitavit.

Beclerus.

Ibid. *Dignatione partium.*

Ob majorem dignitatem partium, in quibus erant cum Pompeio consules, meliorque pars senatus. Bipont.

Cap. idem, §. 4. *Quam in omnes partes.*

De clementia Juliana sermo est: sed quid ad eam dimissio hæc in partes? Scribe *ut omnes partes.* Mens: nihil prius Cæsar habuit, quam ut omnes adversarios suos incolumes dimitteret, gladiis et militari sævitiæ subduceret. Hos autem tales vocat *partes*, idque *militari verbo*, inquit, quia durum videbatur in civili dissensu dicere *hostes*. Lipsius.

Videtur tamen *verbum militare* Velleii potius de *dimissione* intelligendum esse. Sensus fuerit: « Nihil prius habuit Cæsar postquam in sua manu victoriam intellexit, quam ut omnem inimicitiam, partiumque odium ex animo abjiceret, neque jam Pompeianos ut hostes suis, neque suos ut

Pompeianis hostes, sed utrosque ut cives considerabat, adeoque veluti simul et semel, tamquam dimissis a bello, finem odii noxæque indiceret. » Alluditur ad Cæsaris vocem : « Miles, parce civibus. » Ecce, non ut partes adversas nominat Pompeianos, neque se ut diversæ partis considerat, *civis civibus* vult parci. Beclerus.

Mihi castigandum videtur, *quam indemnes partes dimitteret.* Possis et *incolumes ;* sed alterum malo. Pompeianas partes videlicet, quod ex superioribus liquet; sic cap. 36 : « Norbanus inviolatus a Sulla dimissus est; » tum mox : « Sertorium et alios dimisit incolumes, » *indemnes*, nullo damno adfectos; utitur eo vocabulo, inter alios, Donatus Vita Virgilii; quod et confirmant sequentia apud Nostrum. Seneca, epist. 9 : « Qui per ferrum et ruinas et ignes illæsus et indemnis evasit; » de Vita beata : « Liber eris, tutus, indemnis; » de Constantia sapientis, c. 5 : « Megara Demetrius ceperat, Stilphoni philosopho et filias rapuerat et patriam; at ille urbe capta non invictum tantum, sed indemnem esse se testatus est; » initio lib. VI Nat. Quæst. : « Campaniam nunquam securam mali hujus, indemnem tamen magna strage vastavit. » Idem vocabulum, ut et *indemnitas*, apud veteres jurisconsultos non semel occurrit; ætate Velleii tamen nondum in usu videtur fuisse, nisi inter solos milites, a quibus id scriptores sint mutuati primo : quare et præfatus venia Noster eo vocabulo utitur hic loci. Heinsius.

Forte exciderit aliquid, quod indicet, dimisisse *certos milites* vel *viros*, in omnes partes, qui conquirerent eos, quos salvos volebat Cæsar, idque evenisse Bruto; qui, ut Plutarch. in Cæsare ait, quum statim post prælium non reperiretur, deinde magno Cæsaris gaudio repertus, et incolumitate donatus est. Si vero nihil deest, hæc simplex phrasis, *dimittere in omnes partes*, ex sententia Velleii est militaris; et hoc notare debet, dimittere quosdam ad prælio superstites servandos. Sed et in explorationibus, et aliis casibus in re militari, et extra eam, usos veteres videbimus ad Ovid. III Met. 381. Burmannus.

Legit Krausius, *quam ut in omnes partes* * * *. Hoc illi est lacunæ signum. Parenthesin deinde, ut glossematis ream, notat; sed hæc glossemata passim quærendi ratio jam dudum nobis suspecta est. Ultimam potius Burmanni sequamur interpretationem, nec temere quidquam omissum a librario credamus. Referimus tantum, ut ingeniosi hominis ludos, duas ab editore Bipontino excogitatas lectiones; una est : « Neque antiquius quidquam habuit, quam in omnes partes ut militare verbum : *Consulite civium vitæ*, dimitteret. » Altera : « Quam in omnes partes ut militares viros ad conservandum Brutum dimitteret. » Id interim fatebimur, si quæ sit verba : « hujus voluntatis erga Brutum suæ, » quonam modo cum prioribus cohæreant, a nemine interpretum satis hactenus explicari. Ed.

Cap. LII, §. 5. *Quod hujus voluntatis erga Brutum suæ.*

Etiam Plutarchus, in Cæs., et Dio, fine XLI, statim in comparationem

ingrati animi, quo postea Brutus violavit conservatorem suum, sententiam acuit. Timuerat Cæsar Bruto, quum non compareret, salvumque postea gavisus benigne exceperat. BOECLERUS.

CAP. LIII, §. 1. *Aliis ut Parthos.*

De Parthis etiam Appianus; sed refutat eam sententiam Dio, principio lib. XLII, idem qui gravi observatione perplexitatem Pompeii, et ex perplexitate desperationem arguit. BOECLERUS.

Ibid. *Puero quam juveni propior.*

Similiter Seneca tragicus, in Œdipo, act. IV: « Inter senem juvenemque, sed propior seni. » Appianus scribit Ptolemæum egisse annum decimum tertium, Plutarchus admodum adolescentem fuisse. POPMA.

CAP. idem, §. 3. *Discordante Fortuna.*

Valde signanter et ἐμφατικῶς istam fortunæ discordantis ἀντίθεσιν tractat Dio, XLII, p. 210 et 211, adde Lucanum, fine VIII. BOECLERUS.

CAP. idem, §. 4. *Fefellit quinquennium.*

Errorem hunc errarunt Plutarchus et Appianus, ut docuit Sigonius, in Fastis. SCHEGKIUS.

Plutarchus et Appianus post Nostrum errant. Itaque illis nec consulta fuerit hæc historia, cujus pleraque exemplaria cum ipso auctore, ad obliterandas Sejani laudes, deleta esse videntur, ex more temporum Tiberii. Tacit. Ann. IV, 35. BIPONT.

CAP. LIV, §. 1. *Non major fuit.*

Manuscriptus, *non fuit nō major.* Plerique alteram negationem inducunt. Fortasse, *non fuit mox major.* ED.

Ibid. *Adhuc ubique Jubæ nomine.*

Delebat vocem *Jubæ* magnus Scaliger, ut e præcedentibus subnatam: nec repugno. Fors fuerit tamen, *adhuc ubique vivebat nomine*, vel *e nomine*, castigante Lipsio; quod sane concinnius Titiano *ibat nomine*. HEINS.

Erasmus jam ejecit τὸ *Jubæ*; forte truncata vox *Jubæ* fuit, vel per compendium scripta, ut multæ in Velleio, qui scripserat: *adhuc ubique superstes nomine*, vel *supererat.* Ita mox cap. 55, *paterni nominis magnitudinem sequentium.* BURMANNUS.

Jam plerique Lipsio adstipulantur legenti: *adhuc ubique vivebat nomine;* Krausius, Bipontini, Cludius.. ED.

CAP. idem, §. 2. *Bellum.... africum.*

Hirtius, de Bell. Afric., cæterique quos jam sæpe laudavimus. BOECLER.

Cap. LIV, §. 2. *Ante biennium.*

Triennium. Profecto *triennium* est, si quidem duxit eam in tertio suo consulatu, Plutarcho notatum. Nec tamen muto : solcunes ejusmodi dissensus. Lipsius.

Cap. idem, §. 3. *Honoratiori parere maluit.*

Clarius Appianus : « Recusasse (Catonem imperium), quod adessent legati consulares, quum ipse prætorius tantum esset, itaque hic quoque legum habendam rationem, » quod apud Plutarch. in Cat. min. additur. Boeclerus.

Cap. LV, §. 1. *Primo varia fortunam expugnavit via.*

Muto pauca, et meliorem, ut opinor, apertiorem certe sententiam restituo, hoc modo : « Primo varia fortuna, mox pugna vicit. Manutius.

Hoc quidem insanum, cui nec medicina viri docti multum profuit. Ego videor persuasisse : « Ibi primo varia fortuna, mox pugnavit sua ; » qua lectione quicunque lector nihil esse lectius fatebitur. *Sua fortuna*, de eo, cui *respiciens* et *obsequens;* proprie vero de Cæsare, cujus omnibus conatibus fortunam subscripsisse Cicero, ni fallor, alicubi dicit ; et multi in hanc sententiam alii cum magna Cæsarianæ felicitatis admiratione. Itaque et Noster paulo ante, *sequens fortunam suam Cæsar*, nec post longule : *Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est.* Acidalius.

Cap. idem, §. 2. *Nec dissimilis ibi.... quam in priores.*

Correxit Krausius, *quæ in priores*... Sed etiamsi insolita locutio merito aliquem offendere possit, talia vel diligentiori calamo excidunt. Sic fere lib. II, c. 39 : *idem, quantum*, pro *idem quod.* Ed.

Ibid. *Victorem africani belli... excepit hispaniense.*

Vide Hirtium, de Bell. Hisp., cæterosque, neque enim toties repetemus satis nota cuivis nomina. Boeclerus.

Ibid. *Victus ab eo Pharnaces.*

Quia hunc « Cæsar adgressus, ait Florus, uno et non toto prælio obtrivit more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit ; nec vana prædicatio de se Cæsaris, ante victum hostem, quam visum ; » ideoque his tribus solummodo verbis, *veni, vidi, vici*, victoriam suis significasse, eorumque in triumpho inter pompæ fercula postea prætulisse titulum (non acta belli ostendens sicut cæteris, sed celeriter confecti notas), tradunt Dio, Plutarchus, Appianus, alii. Seneca tamen pater, Suasor. lib. I, imitatione Tusci hæc tria protulisse Cæsarem significat. Schegkius.

Cap. idem, §. 4. *Acies restitutæ.*

Præstat singularis *restituta* : e quod a nobis detrahitur, si cum sequenti C

in manuscripto jungatur, jam veram habebis lectionem, *restituta et a duce quam a milite fortius*. Persimilis vero locus occurrit apud Florum, IV, 2: « Quod etsi nondum fugerat, apparebat tamen pudore magis quam virtute resistere. » Ed.

Cap. LVI, §. 1. *Omnibus.... ignovit.*

De clementia sua Cæsar ipse gloriatur, epist. ad Ciceron.: « Recte augurari de me (bene enim tibi cognitus sum), nihil a me abesse longius crudelitate, atque ego quum ex ipsa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te, triumpho et gaudeo. » De magnificentia Cæsaris in muneribus etiam mentio apud Sallustium II Orat. Schegkius.

Ibid. *Replevit eam.*

Κατ' ἔμφασιν dictum. Noster post longam spectaculorum enumerationem, quibus Cæsar victoriam suam populo approbare conatus est, his verbis optime descriptionem claudit; quippe quæ nobis exhibeant insolito motu et fragore ferventes urbis vias, immensamque civium multitudinem in spectandis prosequendisque triumphis occupatam. Male igitur Ruhnkenius *replevit* pro *refecit* accipiebat. Præcipuo enim quod attulit exemplo, « refugas vires et pectora bello exanimata reple, » objici potest, verbum *replere*, etiamsi *reficere* salvo sensu exponi possit, nativam tamen vim retinere: exanimata pectora reple, nempe viribus quas amiserunt. Alterum ex ipso Velleio, lib. II, c. 100, desumptum exemplum, multo minus valet; quis enim ibi repositum velit, *refecerat?* nonne *repleverat* ibi quoque pro *impleverat* positum est, quod, ut in Plinii loco nequicquam a Ruhnkenio huc allato, de quovis grandi spectaculo dici solet. Ad has et hujusmodi formulas *animos* sive *oculos implere*, *replere*, subaudiri oportet *admiratione*; quemadmodum quum verbo *explere* vulgo *ultione* intelligitur. Nazarius a Ruhnkenio citatus: « quam maxime vivus afflixerat, laceratus expleret. » Virgilius, Æn. VIII: « Nequeunt expleri corda tuendo. » Ed.

Cap. idem, §. 2. *Quinque egit triumphos. Gallici apparatus ex citro*, etc.

Loquitur de triumphi ferculis, simulacris, imaginibus aliis diversa confectis materia. Sueton. cap. 37: « Egit diverso quemque genere et adparatu; » ita doctis placitum. Non dissentit Dio, qui ebur ad Hispaniensem refert: « Sed Fabio etiam Pedioque (ait lib. XLIII) legatis suis, quique nihil propriis auspiciis gesserant, triumphandi copiam fecit: qua in re id risum multum excitavit, quod ii, imaginibus ferculisque nonnullis non eburneis, sed ligneis utebantur. » Hincque jocus apud Quintilianum eadem de re, lib. VI: « Ut Chrysippus, quum in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, et post dies paucos Fabii Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit. » Schegkius.

CAP. LVI, §. 2. *Sexties millies.*

Haud muto, et videtur hæc ipsa pecunia esse, quæ deposita postea ad Opis, quam *septies millies* fuisse Cicero non semel indicat, et postea Velleius. Fr. Hotomano JCto an adsentiar *sexagies millies* reponenti? *υpido* enim *tenuis*, inquit, *est hæc summa*. Miror; nam *sexties millies* faciunt æstimatione Budæana (quam haud temere quis mihi carpat) *centies quinquagies centena millia aureorum*. Et an Paullus Æmilius tantum intulit? an ipse Pompeius? longe infra. Illud tamen fateor, paullo majorem summam in Appiano me reperisse, qui tulisse in triumpho Cæsarem dicit, *μυριάδας ἓξ καὶ ἥμισυ ταλάντων*, *sexagintaquinque millia talentum*. Ea essent quasi *decies sexties millies H. S.*, computatione romana: haud dubie supra Velleianum numerum, sed longe infra immanem illum correctoris. LIPSIUS.

CAP. idem, §. 3. *Plus quinque mensium.*

Cicero, ad Attic. lib. X, ep. 7, dixit, ejus regnum vix semestre esse posse. MANUTIUS.

CAP. idem, §. 4. *Imponendo capiti ejus.*

Vere audax et indignum facinus, præter mille alios, elegantissime Cicero, II Philipp. narrat, et exagitat acerrime quum hac, tum insequentibus ferme omnibus. ACIDALIUS.

CAP. LVII, §. 2. *Libelli conjurationem nuntiantes, dati, ab eo, neque protinus lecti.*

Superius *adeo* legi, quod hic iterum moneo. ACIDALIUS.

Scribe: « libelli conjurationem nuntiantes dilati ab eo, neque protinus lecti erant. » Ita historici omnes de hac re; c. 79: *extra dilutiones positus*, minime cunctator. Ipse Cæsar superiori capite dicitur, *offendisse Cassium differendo*. Possunt et levi transpositione vocum hæc ita ordinari: « libelli conjurationem nuntiantes dati, neque ab eo protinus lecti. » Nam *dare libellos* proprium tali in re. Plinius, lib. VII, ep. 27: « In scrinio Domitiani datus a Caro de me libellus inventus est. » Adde antiquam inscriptionem in opere magno apud Gruterum, pag. 607, ubi *exemplum* habes *libelli dati* Antonini Aug. *Dandi* verbo etiam Florus in hac narratione est usus: « Quanta vis fati! manaverat late conjuratio. Libellus etiam Cæsari datus eodem die, » lib. IV, c. 2. Quæ et ipsa non satis integra sunt, et nimis circumcisa. Debuit enim addidisse, quid libellus iste complecteretur. Forte voluerat Florus: « Libellus etiam ea de re datus eodem die. » Aperta omnia et plena apud Suetonium: « Libellum insidiarum indicem ab obvio quodam porrectum libellis cæteris, quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit; » vides dilatum libellum. HEINSIUS.

Ex Suetonio posset fingi, *dati ab obvio*, etiam non absurde. BURMANNUS.

Krausius Burmannum sequitur: *dati ab obvio*, *neque*, etc. Bipontina,

dati abeunti; sed hoc deterius. Cludius non male, *conditi ab eo*; sed præter necessitatem *indicantes* pro *nuntiantes* proposuit. Burmannus optime; nam Suetonii allatus supra locus ab Heinsio Velleium plane interpretatur.

Ed.

CAP. LVIII, §. 2. *Præter tyranni.*

Plutarchus, in Anton.: *Ἐκώλυσε δὲ Βροῦτος, ἀξιῶν τὴν ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τῶν δικαίων τολμωμένην πρᾶξιν, εἰλικρινῆ καὶ καθαρὰν ἀδικίας εἶναι·* « Prohibuit autem Brutus (sc. interfici Antonium) cupiens actionem pro legibus et jure susceptam, sinceram et ab iniquitate puram esse. » Hic color nimirum facto quærebatur. BŒCLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Quem substituturus sibi Cæsar.*

Ad bellum parthicum profecturus paucis diebus antequam occideretur, Dolabellam in reliquum annum cos. sibi substituerat, et designaverat magistratus in biennium vel quinquennium, ut essent qui ipso absente res urbanas administrarent. Cicero ad Atticum, Dio et Appianus. POPMA.

Ibid. *Liberos suos obsides.*

Cicero, Philipp. I: « Pax denique per eum (Antonium) et liberos ejus cum præstantissimis civibus confirmata est. » Intelligitur unus Antonii filius. Nam idem subjungit: « Reipublicæ tuus parvulus filius in Capitolium a te missus pacis obses fuit; » et idem Philipp. II: « Pacem haberemus, quæ erat facta, per obsidem puerum nobilem, Bombalionis filium. » At Livius et Dio Antonii et Lepidi volunt. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 4. *Decreti Atheniensium.*

Intelligitur *Ἀμνηστίας ψήφισμα*, *decretum sive lex oblivionis*; cujus inventores Athenienses celebrantur. Nobilis est præsertim Ciceronis de amnestia oratio, cujus hic meminit Noster, descripta Dioni, lib. XLIV.

BŒCLERUS.

CAP. LIX, §. 1. *Testamentum apertum est.*

Adoptio secundum jurisc. duobus modis fit, aut principali rescripto, aut imperio magistratus; hic notabis tertium, per testamentum. Suetonius, Tiber.: « Testamento adoptatus hereditate adita mox nomine abstinuit. » Eutropius: « Vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus. » Plura reperies apud jurisc. in Observationum libris. SCHEGKIUS.

Ibid. *Etiamsi prævenit et pauca dicenda sunt.*

Ursinus monuit, legi in veteri codice: *etiamsi prævenit, et pauca dic. s.* Quæ lectio proba videtur, ut ad Augusti commentarium, quem de vita sua scripsit, respiciatur. BŒCLERUS.

Repone *etiamsi prænitet.* Cap. 35: « Virtus Catonis conspicua et præni-

tens; » cap. 39: « Forum Augusti victarum gentium spoliis prænitet. » *Præfulgere* dixit alibi; ut lib. I, c. 14, de coloniis: « nam militarium et caussæ et auctores ex ipsarum præfulgent nomine. » Heinsius.

Malim: « etiamsi per se nitet, pauca dicenda; » illud certe *prævenit*, ita absolute positum, pro occupavit prius, non placet. Burmannus.

Omnino vel Heinsio, vel Burmanno, adhærendum. Tamen (ut Bipontina, cujus verbis utemur, adnotavit) ex Suetonio constat Augusti majores supra patrem haud claros fuisse; ipsumque Augustum nihil amplius quam equestri familia ortum se, vetere ac locuplete, scripsisse; M. vero Antonium et Cassium parmensem ipsi humilitatem natalium objecisse. Itaque legebat Bipont.: *etiamsi parum constet;* sed quam insulse, et quam parum erga Cæsares adulatorie, omnibus liquet. Ed.

Cap. LIX, §. 2. *Fuit C. Octavius.*

Sueton. Aug. 3 et 4, Dio XLV. Beclerus.

Meminit hujus Cicero, ad Trebatium bis; Suetonius, Aug. 4, et inscriptio Romæ, in hortis Colotianis, quæ locum hunc valde illustrat: C. OCTAVIUS. C. F. C. F. N. PATER AUGUSTI TRIB. MIL. BIS. Q. ÆDILIS PL. CUM C. TORANO. JUDEX QUÆSTIONUM. IMPERATOR APPELLATUS EX PROVINCIA MACEDONIA. Popma.

Ibid. *Appellatusque in ea imperator.*

Legendum: « Appellatusque ex ea imperator, etc. »; nam de hoc ipso Octavio exstat vetus inscriptio, in qua est: « Imp. appellatus ex provincia Macedonia. » Ursinus.

Cap. idem, §. 3. *Hispaniensis militiæ.*

Scribo, *Hispaniensi militia*. Suetonius, Aug. 8: « Profectum mox avunculum in Hispaniam adversus Pompeii liberos, per infestas hostibus vias subsecutus, magno opere demeruit. » Lipsius.

Cap. idem, §. 4. *Ad erudiendum singularis indolem juvenis.*

Puto *ad erudiendum* esse simpliciter ex antiqua formula capiendum, id est, misit juvenem *ad erudiendum*. Ita et Justin. XVII, 3: « Athenas quoque erudiendi gratia missus, » id est, ut erudiretur; ita *ad imperandum*, et similia vulgo nota. Burmannus.

Ibid. *Apolloniam.*

Rei militaris et literarum caussâ. Appian. Sita est in Macedonia ad mare Ionium, optimis olim institutis et disciplinis. Strabo. Schegkius.

Ibid. *In studia miserat.*

Operæ pretium est autem inspicere Dionis verba, qui, lib. XLV, p. 307,

emphatice describit *studia*, quibus Augusti ingenium ad summæ fortunæ cultum excitatum eruditumque est. Primo universim memorat, « Julium studuisse, ut Octavius ad gerendam rempublicam erudiretur, et in omnibus iis recte institueretur, quibus indiget, qui tanto imperio digne functurus est. » Postea sigillatim quædam nominat : *Λόγοις τε γὰρ ῥητορικοῖς οὐχ ὅτι τῇ τῶν Λατίνων, ἀλλὰ καὶ τῇδε τῇ γλώττῃ ἠσκεῖτο· καὶ ἐν ταῖς στρατείαις ἐῤῥωμένως ἐξεπονεῖτο, τά τε πολιτικὰ καὶ τὰ ἀρχικὰ ἰσχυρῶς ἐδιδάσκετο·* « Exercebatur etiam in studio eloquentiæ, non modo ad latinæ, sed et ad græcæ linguæ promptitudinem. Laboribus militiæ strenue insuescebat; denique quidquid ad rempublicam gerendam imperiaque et magistratus administrandos pertinet, egregie condiscebat. » Beclerus.

Cap. LIX, §. 5. *De cæde avunculi.*

Monui, frequenter cognationum gradus confundere scriptores, ut consobrinum cum sobrino, hic, avunculum cum avunculo magno; itaque Sueton. cap. 8 : « profectum mox avunculum in Hispaniam adversus Cn. Pompeii liberos; » et cap. 10 : « nihil convenientius ducens quam necem avunculi vindicari. » Epitoma Livii : « ut sibi adversum avunculi percussores adesset. » Schegkius.

Cap. idem, §. 5. *Omnem ordinem et necis, et testamenti Brundusii comperit.*

Ordinatio necis parum hic ad rem facit, etsi non ignoro, *ordinationem provinciæ*, passim apud scriptores occurrere, et apud Nostrum cap. 124, *ordinationem comitiorum*. Puto Velleium dedisse, « omnem ordine rationem et necis et testamenti B. comperit. » Thomas Munkerus, sæpe laudatus, *omnem ordinem ac rationem necis*, etc., ut infra cap. 119, *ordinem atrocissimæ calamitatis*. Heinsius.

Kransius, *omnem ordinem*. Bipont. ex Th. Munkeri emendatione, *omnem ordinem ac rationem*, quod probaremus, nisi *omnem ordine rationem* Heinsii ad veteris libri scripturam propius accederet. Ed.

Cap. idem, §. 6. *Solis orbis super caput ejus.*

Ambitiosius hoc narrat Velleius; nam simpliciter Suetonius, cap. 95 : « Liquido ac puro sereno circulum ad speciem cælestis arcus orbem solis ambiisse. » Seneca, Natural. Quæst. lib. I, cap. 11 : « Circa solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet. » Dion ait fuisse signum, non futuræ Augustæ magnitudinis, sed secuturarum mox turbarum civilium; Orosius, lib. VI, ideo hoc signum a Deo editum, quod sub imperio Augusti venturus esset, qui ipsum solem solus, mundumque totum et fecisset, et regeret. Popma.

Seneca ita describit, Quæst. Natur. I, 2 : « Videamus nunc, quemadmodum fiat is fulgor, qui sidera circumnectit. Memoriæ proditum est, quo die divus Augustus urbem, ex Apollonia reversus, intravit, circa

solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet; hunc Græci *halo* vocant, nos dicere *coronam* aptissime possimus; » et paulo post, *aream* vocat. Plinius, II, 28 : « Cernuntur et circa solis orbem ceu specie coronæ et versicoloris circuli; qualiter Augusto Cæsare in prima juventa urbem intrante, post obitum patris, ad nomen ingens capessendum. » Adde Obseq. cap. 28. Beclerus.

Cap. LX, §. 1. *Adiri nomen invidiosæ fortunæ.*

Adit nomen, qui testamento adoptatus nomen suscipit, quod ferre jussus est. Lucem a Cujacio pete, Observ. VII. Schegkius.

Ibid. *Asserebant.*

Asserere non solum libertatem, sed etiam dignitatem, fortunas, salutem, etc., declivis jam ab Augusti ævo latinitas in elegantissimo usu posuerat. Apud Suetonium et Florum frequens occurrit. Exemplum Valerii Maximi omnino ad rem appositum a Ruhnkenio profertur. Hic apud Nostrum : « Fata conservatorem romani nominis Cæsarem asserebant, » id est, retinebant, sibique vindicabant. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Semetipsum.*

Legendum videtur : *Sibimetipsum videri indignum*, etc., nam præcedit: *Quo nomine Cæsari dignus esset visus*, etc. Ursinus.

Cap. idem, §. 3. *Hunc protinus Antonius consul superbe excipit.*

In Pompeianis hortis extra urbem in Pincio monte, de quibus Cicer. Philip. II. Historiam illius congressus accuratam habet Appian. de Bell. Civ. III, 14. Quod infra de insidiis dicitur, Suetonius illas ab Octavio structas fuisse Antonio narrat; prudentes quoque et boni viri (Cicer. ad div. XII, 23) sic crediderunt; populus vero calumniam ab Antonio excogitatam, ut in pecuniam adolescentis impetus fieret. Cicer. ibid. Ed.

Cap. idem, §. 4. *H. S. septies millies.*

Cicero, II Philipp. 37 : « Ubi est septies millies, quod est in tabulis, quæ sunt ad Opis? tu autem quadringenties H. S. quod idibus martiis debuisti, quonam modo ante kal. apriles debere desiisti? » Idem : « Illa vero dissipatio pecuniæ publicæ ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusque avertit. » VII Philipp. vocat *pecuniam maximam*; Philipp. II, *innumerabilem*. Schegkius.

Ibid. *Insertis falsis, civitatibusque.*

Video ab aliis edi, *indubitateque corruptis*; anne a conjectura? Fas et nobis ea uti : *commutatisque et corruptis*. Lipsius.

Nec hic aliquid mutandum censeo. Appianus, III de Bellis Civilibus : Πολλὰ εἰς πολλῶν χάριν προστίθει, καὶ ἐδωρεῖτο πόλεσι καὶ δυνάσταις, καὶ

τοῖσδε τοῖς ἑαυτοῦ φρουροῖς· « Multa in multorum gratiam apponebat, et gratificabatur civitatibus, ac dynastis, ac sui ipsius custodibus. Vossius.

Indubitateque credo Erasmum auctorem habere, neque hic agi de urbis actis, sed de Cæsaris actis, sive tabulis ædis Opis, quas corrupit Antonius, ne summa pecuniæ pateret, ut Cicero ait; nam ait, *actorum ejusdem* scil. Opis: his pro summa a Cæsare deposita inseruit falsas; vel forte, *actorum* venit ab *actores*, legendumque, « Actorum ejusdem (Opis) insertis falsis.... corruptis commentariis; » ut corruperit commentarios, sive tabulas, actorum vel scribarum Opis insertis falsis vel nominibus, vel summis pecuniæ : nam ita supplendam lacunam puto, quam nunc *civitatibusque* occupavit, in qua voce ulcus latet. Forte latet nomen *Taberii*; *a Taberioque*, Cic. XIV, ad Attic. 18. Burmannus.

Locus omnino conclamatus. Bipontina legit : « Actorum ejusdem insertis tabulis immunitatibusque corrupti commentarii. » Kransius : « Actorum ejusdem insertis falsis, civitatibusque*** corrupti commentarii. » Nos etiam aliquid deperditum lugemus; sed lacuna videtur post *falsis*, non post *civitatibusque*, designanda. Recte vidit Vossius ex Appiano quærendam esse mutilæ potius quam depravatæ lectionis explicationem. Ed.

Cap. LX, §. 4. *Temperata.*

Videndum an pro *temperata* legendum sit *temptata*. Ursinus.

Forte *temptata*. Puteanus.

Ursino ac cl. Puteano *temptata* videtur reponendum; quod mihi quidem non displicet. Vulgatam tamen lectionem non ausim rejicere. Vossius.

Scribe, *omnia pretio temerata*, non *temperata*; nec bene Fulvios Ursinus et Puteanus *temptata*. Apud Tacitum, Hist. I, 48 : « Quum vigilias et cætera militiæ munia eadem lascivia temerasset. » Ita bene Rhenanus, quum vulgo *tentasset*, in scripto *temperasset* legeretur. Pari modo codices variant apud Valer. Max. lib. V, cap. 6, ubi recte Lipsius : « eversa domo intemeratos reipublicæ status manere posset. » Non dissimili modo Tullius, Agrar. II : « Ut nihil auro et argento violari, nihil numero et suffragiis declarari, nihil elata manu perfringi posset, quod non vos oppressum, atque ereptum teneretis. » Heinsius.

Posset et legi, *impetrata*, quod melius responderet τῷ *vendente* : et facilis horum verborum est confusio, ut τῶν *imperare* et *temperare*, de quibus vidimus ad Quintil. X, 1. Burmannus.

Ingeniosa omnia afferuntur : sed *temperata* recte tuetur Ruhnkenius, quo verbo nullum fere ad plura significanda usurpatur; hic eodem sensu gaudet, quo passim apud auctores pro *moderari* vel *gubernare*. Sic etiam verbo *administrare* utitur Cicero, de Invent. I, 2 : « Nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. » Ed.

Cap. idem, §. 5. *Idem provinciam.... Galliam occupare statuit.*

Vide omnino Cic. II Philipp. Bæclerus.

Cap. LX, §. 5. *Interque naturaliter dissimillimos.*

Non intelliguntur *Antonius* et *Dolabella* (quippe qui ex dissidio, communione διατείας τυραννικῆς in gratiam redierant, parique voluntate dominationem moliebantur, ut antea dictum est), sed *Antonius* et *Cæsar Octavius*, unde mox cum notatione caussæ sequitur: « Eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis. » Distinguendum ergo: « Dolabella transmarinas decrevit sibi, interque naturaliter dissimillimos ac diversa volentes crescebat odium; eoque C. Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis. » Est autem eadem sententia, qua supra de Clodio et Cicerone dixit, II, 45: « Quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat? » Bœclerus.

Cap. LXI, §. 1. *Cæsar* XIX *annum ingressus.*

Bene viri docti observarunt, ambitiose ita loqui Velleium, quod jam XIX annum ætatis propemodum Octavius confecisset. Pessime autem Florus, lib. IV, cap. 4, *intra decem et octo annos* Cæsarem hoc tempore fuisse scribit. Verissime ipse Augustus in monumento Ancyrano, ANNOS VNDEVIGINTI NATVS. Vossius.

Cap. idem, §. 2. *Veteranos excivit paternos.*

Hinc *evocati* dicti, quod missi militia rursus ad eam convocarentur. Dio. Schegkius.

Similiter Epit. Liv. lib. CXVII: « Cæsar reip. vires contra eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit; » ubi malim, *excivit*, ut in Velleio. Vossius.

Quæ hic Noster memorat, latius exposita vide apud Dion. XLV, p. 313 et 314; Appian. III, ἐμφυλ., p. 552. Hoc quoque a prudentibus reprehensum est in actionibus Augusti ap. Tacitum, I Ann. 10, 1: « Cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos. » Bœclerus.

Ibid. *Quum Antonius occurrisset exercitui.*

Non placet Popma, qui e sola conjectura edere non dubitavit, *exercitu*. Vulgata lectio omnino retinenda est: non enim Antonius occurrit Cæsari, sed exercitui, quem ex Græcia acciverat. Hoc esse verum liquet ex Ciceronis Philippicis, Appiano, Dione, aliisque. Vossius.

Cap. idem, §. 3. *Eum senatus, honoratum equestri statua*, etc.

Ita etiam narrant alii scriptores; et fatetur Ursinus, exstare denarios, in quibus hæc equestris statua conspicitur, adjecta inscriptione, S. C. Objicit contra, quod in argenteo denario legatur, POPVLI IVSSV. Itaque existimat, duas Octavio adolescenti equestres statuas esse positas, alteram ex SC., alteram POPVLI IVSSV. Quod non displicet; sed videtur tamen Ursinus tempora non bene distinxisse; satis enim constat, honorem equestris sta-

tuæ tributum Cæsari proprætori, consulibus Hirtio et Pansa. At vero, quod eodem honore populus eum ornaverit, id videtur factum ipso jam triumviro. Hoc liquet ex argenteo numismate apud Occonem, quod equestrem figuram exhibet cum hac scriptura, POPVLI IVSSV In altera vero parte caput Cæsaris cum literis circum, C. CÆSAR III. VIR. R. P. C. VOSSIUS.

CAP. LXI, §. 3. *P. R. una cum coss. designatis.*

Sigonius emendat, *pro prætore u. e. coss.*, et rectissime, consimilemque maculam ex Liviana Epit. CXVIII, sustulit; profert ille locum Ciceronis, Phil. V, cui addi potest et hic Suetonii, Aug. 10 : « Jussusque comparato exercitu pro prætore præesse, et cum Hirtio et Pansa, qui consulatum susceperant, D. Bruto opem ferre; » et C. Tacit. lib. I, scribit Cæsarem August. « fasces et jus prætoris patrum decreto invasisse; » ut Plutarchi, Appiani, Dionis de hac ipsa re locos omittam. PUTEANUS.

« Demus imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest; sit pro prætore eo jure, quo qui optimo. » Tullius Philipp. V. Manutius hic legit *proprætorem*. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 4. *Consulum autem alter in acie, alter*, etc.

Quis rumor de morte consulum percrebuerit, ex Tacit. I Ann. 10, 2, Sueton. Aug. 11, Dion. XLVI, p. 360, satis constat. BECLERUS.

CAP. LXII, §. 2. *Quicunque his se exercitus tradidissent.*

In quibusdam editionibus τὸ *se* omissum. Aldus vero scribendum putabat, *hisce*. At vulgata lectio in principe editione comparet; nec est mutanda. Mens est : quicunque exercitus se his tradidissent. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 4. *Quod alieno beneficio viveret.*

Nescio, cur hoc mutatum cupiant. Utique *alieno*, id est, Cæsaris Octavii beneficio vixit Brutus, cujus milites nihil aliud, quam de muro spectarunt prælium, sicut in expositione hujus historiæ Dio notat. Itaque non sine ironia opportune Velleius, *decretus est*, inquit, *Bruto triumphus:* ob *quas res gestas?* Responderet εἴρων aliquis : Quod incolumis evasit, non sane sua aut suorum militum virtute, sed alieno beneficio, et Cæsaris Octavii victoria; id nimirum erat, ob quod triumphare deberet. BECLER.

Ibid. *Pansæ atque Hirtii corpora.*

Valerius, lib. V, c. 2 : « M. Cornuto prætore funus Hirtii et Pansæ jussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, quum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt, quia hi pro republica dimicantes occiderant; perseverantique postulatione extuderunt, ut exsequiarum paratus sestertio nummo ipsis addiceretur. » SCHEGK.

Cap. LXII, §. 6. *Laudandum et tollendum.*

Sueton. Aug. 12, habet, *ornandum et tollendum*, elegantius, ut alludatur ad victimas, quæ ornantur infulis et sertis, antequam mactantur; ut de Cæsare similiter loquitur Florus, IV, 2 : « Hæc omnia, ut infulæ in destinatam morti victimam, congerebantur. » Vid. et Liv. II, 54, et alios. Velleius vero *ornandum* videtur accepisse eo sensu, quo aliquem *laudibus ornare* dicimus. Brutus in epistola ad Ciceronem, lib. XI ad Fam. 20, habet, *laudandum*, *ornandum et tollendum*. Burmannus.

Brutus ad Ciceronem his verbis scribit : « Novissime Labeo narrat, ipsum Cæsarem nihil sane de te questum, nisi quod diceret te dixisse : *laudandum adolescentem*, *ornandum*, *tollendum*; se non commissurum ut tolli possit. » Ed.

Cap. LXIII, §. 1. *Repulsus a M. Lepido.*

Rem ipsam habes apud Dion. XLVI, Plutarch. in Anton. Per *colloquia* autem intelliguntur, apud *Velleium* συχναὶ διαπομπαί, sive *crebri internuntii*, quibus Antonius cum Lepido egit, quum Lepidus abnueret diu societatem, teste Appiano III, ἐμφυλ., p. 589. Ergo quum Dio refert, « Lepidum ipsum abnuisse colloquia et congressum, » non capienda sunt colloquia per internuntios, de quibus Velleius et Appianus. Baclerus.

Ibid. *Furto creatus.*

Non enim comitiis et populi suffragiis, ut debebat, sed a sacerdotum collegio, Antonii consulis opera et studio, pont. max. in Cæsaris locum suffectus est, teste Dione lib. XLIV. *Furto* fieri dicitur omne, quod clam fit; *furta belli*, Sallust. Popma.

Ibid. *Qui titulo imperii cedebat Lepido.*

Plutarchus : Καὶ τῷ μὲν ἔργῳ πάντων αὐτὸς ἦν κύριος, ἐκείνῳ δὲ ὄνομα καὶ τιμὴν αὐτοκράτορος διετέλει φυλάττων. « Et Antonius quidem re ipsa omnia in potestate habebat, Lepido tamen nomen et honorem imperatoris conservare non destitit. » Baclerus.

Cap. idem, §. 2. *Juventius Laterensis.*

Vide Dion. lib. XLVI, Appian. III Bell. Civ., ubi et de *Planco* ac *Pollione*. Baclerus.

Ibid. *Gladio seipse transfixit.*

Ob quod senatus laudationem, statuam, publicumque funus decrevit. Dio, Cicer. epist. ad Planc. Scheffius.

Cap. idem, §. 3. *Plancus deinde.*

Est ille, qui discipulus Ciceronis, orator disertus, cujus epistolæ lib. X

Tullii; contra quem Asinius Pollio orationes quum scriberet, ac nollet eas, nisi post obitum suum edi, respondisse Plinius in prologo scribit, « eum mortuis non nisi larvas luctari; » præfectus urbi C. Cæsare dictatore III. Numi apud Goltzium. Consul designatus cum D. Bruto; arbiter sponsionis Cleopatram inter et Antonium; auctor Octavio cognominis Augusti. Ejus filius credo fuit, qui Tacito, lib. I, cum C. Silio consul. SCHEGKIUS.

CAP. LXIII, §. 3. *Se literis venditans.*

Exstant literæ ejus hac de re in epistolis Ciceronis ad Plancum, X, 8. SCHEGKIUS.

Ibid. *Firmus proposito.*

Si Velleii scripturam divinando sum unquam assecutus, hic me frustra minime fuisse arbitror: *firmus propositi*. Merus amor, meræ deliciolæ Nostri, iste sermo, quo et paucis supra lineis usus, *irritus consilii*. Alibi, *modicus virium*, et *immodicus gloriæ*, aliaque similia, quorum exempla et in aliis scriptoribus plurima, veluti gemmæ insignes, emicant. ACIDALIUS.

CAP. LXIV, §. 2. *Cujus quum primus omnium amicorum fuisset.*

Prima editio, « cujus cum primis omnium amicorum, » non *primus*. Forte: « cui quum in primis omnium amicorum fuisset. » Similem mendam e Tacito sustulimus. Seneca, lib. II de Tranquillitate, cap. 18: « Asiaticum Valerium in primis amicis habebat. » HEINSIUS.

CAP. idem, §. 4. *Ciceronis.*

Scilicet, sanguine. Neque enim decet, quod vulgo fit, verba *Ciceronis pœna* conjuncta credere, unde alii lectionem ipsam vexant; sed, missis eorum somniis, malumus addere dicta Cremutii Cordi, historici, a Lipsio ex M. A. Senecæ Suasoria VI, parte altera: « Quibus (*intellige*, capite Ciceronis manibusque) visis, lætus Antonius, quum peractam proscriptionem suam dixisset (quippe non satiatos modo cædendis civibus, sed defectos quoque), pro rostris exponit. » BIPONT.

CAP. LXV, §. 1. *Et conditionum jacta mentio.*

Sallust. Jugurth., *inter alia jacit*; Tacitus, Histor., *jacere fortuitos sermones*, et, *si qua discordes jecissent*. Manutius, *facta*, Burerii conjecturam secutus. SCHEGKIUS.

Jacta maneat. Livius, lib. XXXVIII, 25: « Ad hoc colloquium utrinque ventum est.... Jactæ sunt pacis conditiones; » ubi summus Gronovius dubitat tamen, an non præstet *jactatæ*. Apulei. I Met.: « qui sermonem jecerat priorem. » Suetoo. Ner. 37: « Multas nec dubias significationes jecit. » BURMANNUS.

. Cap. LXV, §. 2. *Privigna Antonii.*

Claudia, Fulviæ ex P. Claudio filia, quam vixdum nubilem ductam, dein simultate cum socru exorta, virginem dimisit. Suet. Aug. 62. Bipont.

Ibid. *Facta affinitas.*

Malim *pacta affinitas*, quam *facta*. *Paciscendi* enim verbum in re nuptiali locum habet admodum frequentem: *pacta pax* apud Tacit. Ann. IV; *pactum matrimonium*, *pactæ nuptiæ*, et similia eidem; quare et apud Florum malim, lib. I, cap. 15: « A Latinis aggressus gentem Sabinorum, qui, immemores pactæ sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. » Livius, lib. XXXIV, cap. 32: « Non societatem solum cum Philippo hoste nostro, sed affinitatem etiam pepigisti. » Ita et *matrimonia pacta*, et *pacta conjugia*. *Contrahere affinitatem*, dixit Noster, cap. 44. Heinsius.

Ibid. *Consulatumque iniit Cæsar pridie quam viginti annos impleret*, x *kalend. octobres.*

Puto, errare Velleium. Sextili enim mense Augustus primum consulatum iniit, ut liquet ex SC. apud Macrobium, Saturnalium lib. I, c. 12, et Dione Cassio, lib. LV. Vossius.

Contra leges annarias, seu annales distincte Dio. De ætate Augusti quum consulatum iniret, fere consentit Sueton. scribens, xx *anno invasisse*, quod de anno vicesimo primum cœpto capiendum patet hinc: natus cos. Cicerone, ix kalend. oct.; interfectis Hirtio et Pansa suffectus consul, x kalend. octobr.: quæ si ad calculum revocaveris, numerabis xx annos uno die minus; ideoque exacte Noster. Dio tamen destruit, qui vita excessisse Augustum xiv kalend. septemb., qua die quondam primum consulatum iniret, statuit; videoque sequi Lipsium ad I Taciti. Schegkius.

Sueton. Aug. 31, Dio et ipsum senatusconsultum apud Macr. Saturn. I, 12, consulatum ei obtigisse perhibent mense sextili, qui prior erat menso natali; sed Octavio absenti prius a senatu consulatus delatus erat, quam urbem ingressus, in comitiis creatus consulatum iniisset. Bipont.

Ibid. *Post urbem conditam abhinc annis* dccviiii.

Dele *abhinc*, quod nescio qua ratione in Ruhnkenii textum irrepsit. In temporum notis admodum incerta est codicis fides: dccix cum æra Catoniana consentit; sed alias Varronem sequitur Noster. An ipse sibi parum constabat? Ed.

Cap. idem, §. 3. *Vidit hic annus Ventidium.*

Hunc locum illustrat Valerius, lib. VI, cap. 9, quem consulas; historia apud Dionem, lib. XLIII; A. Gellium, lib. XV, c. 4; Plutarch. Anton.; Appianum, Bell. Civ. et Parthico; Plin. lib. VII, cap. 44. Schegkius.

Ventidius Bassus, picentinus, humili loco natus, cum matre captus bello sociali, inde a Pompeio Strabone, Pompeii Magni patre, triumpho ductus, post, ut vitam toleraret, mulio factus, Romæ Cæsari innotuit, cum eo in Galliam profectus multa impigre fecit, tum tribunus plebis, mox prætor, et, quod rarum erat, eodem anno consul, præterea pontifex factus, tandem de Parthis triumphavit. Confer Cic. Epist. ad Div. X, 24, 33; XI, 18; Philipp. XII, 9; XIII, 2. Bipont.

Cap. LXVI, §. 1. *Quum ambo mallent sibi nuntiari quid passi essent, quam quid emeruissent.*

Locum sententia obscurissimum antiquiores interpretes explicandum omiserunt. Ruhnkenius mendum suspicatus in voce *nuntiari*, sed ipse nihil tentat. Herelio legere placet, *quid possent*. Equidem si verba sana sunt, sic explicarim: quum ambo mallent sibi nuntiari injurias ex adversariis acceptas (scilicet ut justior eos occidendi iis esset ratio), quam quid impetrassent, hoc est gratiam in quam a senatu, auctore Pedio, vel proprie Octavio, recepti erant. Vide Appianum, Bell. Civ. III, 96; Dion. XLVI, 52. Quum vero in prioribus nulla hujus gratiæ, vel antiquati senatusconsulti quo Antonius Lepidusque hostes essent judicati, mentio sit facta (quam tamen, si *emeruisset* huc referendum, fieri necesse erat), oritur suspicio post *judicati erant* excidisse quædam, fortasse, *sed in gratiam recepti*, vel alia similia. Krausius.

Uterque delationes patulis captabat auribus, et quid in se verbis aut factis ab aliquo commissum fuisset, audire malebant, quam, quid ipsi emeruissent, reputare aut admoneri, scilicet levandæ miserorum invidiæ caussa. Non bene editor Basileensis, *meruissent;* nam et Plaut. Aulul. IV, 10, 5: « Quid ego emerui adolescens mali? » et apud Ovidium quoque non semel *emerere* pro *merere* positum; Fast. IV, 58: « ....emeruit vocis habere fidem. » Ed.

Ibid. *Repugnante Cæsare.*

Suetonius, Aug. 27: « In triumviratu, inquit, restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed inceptam utroque acerbius exercuit. » De Ciceronis proscriptione seorsim, « repugnasse collegis per biduum, tertioque demum die concessisse, » auctor est in Ciceronis Vita Plutarchus. De cætero excusat Augustum Dio, XLVII, p. 377, omnemque crudelitatis triumviralis invidiam in collegas ejus rejicit. Utri credimus, Suetonio an Dioni, quorum neuter sine auctoritate et argumentis agit? Bæclerus.

Cap. idem, §. 2. *Coactus est.*

Video te, Vellei, servire temporibus: verius enim Suetonius, de Octavii crudelitate contra proscriptos. Manutius.

CAP. LXVI, §. 3. *Tantique consulis irritando necem.*

Alii, *invitando*. Male. Q. Haterius, apud M. Senecam, Suasoria VII : « Non feres, inquam, et iterum irritare inimicum in mortem tuam cupies. » VOSSIUS.

CAP. idem, §. 5. *Quam cedet.*

Paullo Manutio placuit, *genus hominum concidet.* Nos explemus, *quam ea cadet. Ea*, nempe laus Ciceronis, de qua prædictum. Vide textum. Universus autem hic locus expressus ab Arellio Fusco (Suasoria VI, apud Senecam) : « Quoad humanum genus incolume manserit, quamdiu usus literis, honor summæ eloquentiæ pretium erit, quamdiu rerum naturæ aut fortuna steterit, aut memoria duraverit, admirabile posteris vigebis ingenium, et uno proscriptus seculo proscribes Antonium omnibus. » Ubi παρέργως legi velim : « honor scientiæ, eloquentiæ pretium erit, » elegantius magisque membratim, atque etiam verius, quia non honos tantum eloquentiæ pretium, sed opes et fructus. Scribo item : « rerum naturæ aut forma steterit ; » non *fortuna*. LIPSIUS.

Cedet editio prima ; locus mutilatus. Opinor : « citiusque e mundo genus humanum, quam ea cedet » laus nimirum Ciceronis ; vel « ea cedent » ut ad viri scripta referatur. HEINSIUS.

Non displicet mihi Rhenani conjectura, « quam hujus nomen cadet. » Ita Ovid. I Am. 15 : « Ennius arte carens, animosique Accius oris, Casurum nullo tempore nomen habet. » Certe *cadet*, præ *cedet* arridet. BURM.

Bipontini legunt, *quam ille cedet ;* Cludius, *quam ille cadet.* ED.

CAP LXVII, §. 2. *Filiorum nullam.*

Exempla multa narrant Dio, Appianus. Auget tamen rem Noster, quum et pietatis filiorum, qui vel servaverint patres, vel eorum salutem sua morte quæsiverint, exempla quamvis pauca, in iisque filius Ciceronis memorentur. BIPONT.

Vide auctores citatos, sed præcipue Appianum, de Bello Civili, lib. IV. Inter multa in utramque partem facinora, laudabis Hosidii Getæ filii pietatem, qui patrem falso elatum funere servavit ; Egnatios patrem filiumque in mutuo amplexu cæsos lugebis. Sed quam suo nomine dignus fuit Q. Ciceronis, M. fratris, filius! qui quum patrem diu occultasset, deprehensus et ad triumviros perductus, obstinato ad silentium animo carnificum tormenta ferebat. His auditis, Quintus ipse latebris erumpit, mortemque, quam filio pater invidet, ambo simul accipiunt, ultimum hoc precati beneficium, quum vel uno temporis momento neuter alteri superesse vellet. ED.

CAP. idem, §. 4. *De Germanis.*

Captatur acumen ex ambiguo, ut nomen gentis videatur, quod alte-

rius gentis nomini opponitur, quum interim significentur fratres, in illo versu. Thys.

Cap. LXVIII, §. 1. *Suo præteritum loco referatur.*

Cap. 69 redit ad persequenda quæ modo præcesserunt : hic interponit quæ supra in Julii Cæsaris actis præterierat. Bipont.

Singulare negligentiæ argumentum, quam ne dissimulat quidem Velleius et hac qualicunque transitione reparatam credit. Nos, præter editorum morem, Nostri delicta libenter agnoscimus, non quo critici acuminis gloriolam sectemur, sed quo plus impetremus fidei, sive nostris, sive aliorum notis Velleianum textum defendentes, ubicunque librariis imputantur quæ scriptori exciderunt. Ed.

Ibid. *Neque enim persona umbram actæ rei capit.*

Ego vulgatam ita explico : referendam hanc rem actam esse, quia non ab ignobili et obscuro, sed ab illustri viro est gesta. Persona Cœlii, viri tam illustris non capit umbram, id est, non patitur, ut silentio prætereamus, neque etiam ut leviter hæc res inter belli civilis gravissimos motus perstringatur, quod si fieret, sub umbra tantarum rerum lateret; sed requirit peculiarem sibi locum, ut clarius innotescat. *Non capit* eleganter dictum, pro non convenit ei umbra, non capax est tenebrarum et oblivionis. Ita Spartianus dixit : « Nota est fabula, quam Marci vita non capit ; » de quo vid. Casaub. ad Spart. Æl. Ver. 4. Quintil. decl. XV, 3 : « Quorum felicitas capere posset in amore luxuriam ; » id est, quorum felicitati convenit luxuria, divitibus scil. non pauperibus conveniens (V. ad Quint. decl. 382). Munckeri emendatio *facit* etiam non absurda : nam *umbram facere*, pro obscurare recte dici docuit Barth. XXII Adv. 14 ; sed vulgatam præfero. Burmannus.

Ibid. *Dum in acie pharsalica africaque.*

Considera, falsum reperies hunc contextum. Tempus seditionis Cœlianæ indicare voluit : an hoc igitur, quum Cæsar in Pharsalia et Africa dimicat? De Pharsalia, verum est; sed de Africa, certe diu post Cœlii motum et mortem illud bellum; qui præcessit Ægyptium sive Alexandrinum, alterumque cum Pharnace. Denique Cæsar etiam interea in urbe. Omnino falsa hæc signatio : per Velleianamne incuriam, an scriptoris? Hunc culpari mitius est; συντέχως fortasse emendem : *dum in acie pharsalica circaque.* Nihil pronius, quam *Africam* ex eo fecisse, si litera finalis adhæsit, ut solet, capiti sequentis. Interpreter autem : dum Cæsar in Pharsalia pugnat et circa, nempe ad Dyrrhachium vicinisque locis oppositus Pompeio. Pugnas autem et ibi aliquot fuisse, notum. Quod tueri vulgatam aliquis conetur, quasi de africano bello Curionis in Jubam et Varum sentiat, frustra sit : nam nec *Cæsar* ibi *dimicavit*, nec certe de *summa rerum*, quod utrumque hic scriptum. Lipsius.

Lipsius reponit : *in acie pharsalica circaque*. Potest tamen vulgata defendi. Licet enim tum in Africa ductu non militabat Cæsar, tamen auspicio, et per suos. *Atqui non de summa rerum*, inquis. Immo vero : de summa rerum ἀπὸ κοινοῦ refertur ad Pharsaliam Africamque, ut fortasse sufficeret, sensum phraseos præcise ad unum membrum determinari, licet σύνταξις ad utrumque congruat, qualia exempla non desunt. Sed quid argutamur ? Utique etiam tum per suos de summa rerum dimicavit Cæsar in Africa ; nisi quis credat, summam rerum ad Cæsarem venire potuisse, partibus Pompeianis tam valide bellum alibi sustentantibus. De seditione *M. Cœlii* sive *Cæcilii Rufi*, ut et *Milonis*, vide Dion. XLII, p. 219 et 220 ; Liv. Epit. CXI. Cæs. III B. C. Bœclerus.

Krausius hic quoque ad glossemata confugiens, *Africaque* induci jubet. Bœclero favemus, qui textum interpretari, quam agere, ferre, satius existimat. Ed.

Cap. LXVIII, §. 1. *M. Cœlius.*

Hic est M. Cœlius Rufus, pro quo exstat oratio Ciceronis, ad quem sunt ipsius epistolæ lib. VIII Epist. Quæstor fuit in Africa C. Curionis, a quo postea defecit, et prætor factus C. Cæsare II et P. Servilio Isaurico coss. seditiones in urbe excitavit, novarum tabularum spe sollicitata plebe. Plura Cæsar, lib. II Bell. Civ., Dio et Appianus. Popma.

Ibid. *Nec minus ingeniose nequam.*

Nam et ita de Curione supra, cap. 48 : « Suæ alienæque et fortunæ et pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissime nequam. » Acidalius.

Ibid. *Quum in modica quidem servari posset.*

Gryph. et alii: « quum ne a Diis quidem servari posset. » Bene ad sententiam, non ad verba. Schegkius.

Hoc si quis intelligere se profitetur, dubito : eum non intellexisse, qui emendare aggressus est, certo scio. Mentem ego loco reddam ; hoc de me audacter ; verba ipsa Velleii germana, omnia non pollicebor ; sed lego : « quum in re modica nequitiem saturare non posset. » Acidalius.

Castigandum : « quum ne modico quidem, etc. » Frigent hic plane aliorum conjecturæ ; quas cui bono recenseam ? Vossius.

Ibid. *Quippe pejor illi res familiaris quam mens erat.*

Et hoc idem infra, cap. 91, de Rufo Egnatio repetit, solenni sui ipsius imitatione : « Quum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus, nec melior illi res familiaris, quam mens foret. » Acidalius.

Cap. idem, §. 2. *Auctoritate coss.*

Hoc valet *consulum*. Atqui, ne juventus erret, *cos.* sive *consulis* scriben-

dum est; quia unus Servilius tunc iu urbe, cui Cæsar collega, sed absens et iu bello. Lipsius.

Cap. LXVIII, §. 2. *Haud magis occulte bellicum tumultum movens.*

Argutabar: *in agris occulte;* nam ita res fuit, Romæ seditionem, iu agris bellum movebat per Milonem. Cæsar, lib. III: « Clam nuntiis ad Milonem missis, evocatoque iu Italiam, eum in Thurinum ad sollicitandos pastores præmisit. » Lipsius.

Aut magis, Erasm. Mihi Lipsiana correctio perplacet; nihil enim, si aliter legas, est quod τοῖς *in urbe* opponas; *seditio* vero proprie est urbana, *tumultus* vero motus in agris vicinis urbi, ut notissimum est; et ita Ulpianus, leg. I, ff. de Leg. Jul. Majestatis, distinguit. « quo seditio tumultusve adversus rempublicam fiat. » Legam igitur: « in urbe seditionem, in agris autem occulte bellicum tumultum movens. » Illud *magis* facile corruptum fuit ex *in agris*: nam *m* sæpe pro *in* fuisse suppositum a librariis, sexcentis possit exemplis ostendi. Burmannus.

Ibid. *Circa Thurios.*

Thurii, oppidum Italiæ, prius Sybaris, postremum *Copiæ* appellatum, ut Cellarius docet ex Stephano; sed et deinde Thuriorum nomen prævaluit. Situm vero est in extrema Lucania ad fines Brutiorum sinumque tarentinum. Bipont.

Cap. idem, §. 3. *Compsam in Hirpinis.*

Cæsar ad *Cosam* scribit interfectum iu *agro thurino*. Etiam Eusebius, sed a nobis corrigendus: « M. Cœlius prætor, et T. Annius Milo exsul oppressi, res novas iu tiriano brixioque agro molientes. » Scribendum: « in thurino brutioque. » Lipsius.

Per *Cosam* intelligimus eamdem urbem, quæ Velleio *Compsa*: nam hodieque appellatur *Cossa*. Scio quidem, illam esse Hirpinorum proprie, non Thurinorum; sed tuetur me satis Strabo, lib. IV, qui, ubi studiose de his gentibus agit, fatetur, eas vix certis terminis posse distingui. Unde etiam est, quod Compsam Lucaniæ attribuat Ptolemæus. Vossius.

Compsam in Hirpinis refert Liv. XXIII; Ptolemæus, iu Lucanis. Sed Cæsar, de Bell. Civ. III, 22, *Cosam in agro thurino* oppugnare cœpit; et Plin. II, 56, *castellum Carissanum* memorat, *juxta quod T. Annius Milo occisus est*. Unde Cluverius, deleto *ri*, facit *Cassanum* (hodie *Cassano*). Harduino lenius videtur, Carissanum aliquod castellum iu agro Thuriorum, Hirpinis et Compsæ vicino, credere; sed Thuriorum ager in extremis e diverso Lucanis fuit. Bipont.

Ibid. *Ultra fortem temerarius.*

Ultra fortem, id est, temerarior quam fortior; sic Noster infra, c. 83,

« et infra servos cliens; » et cap. 88 : « mollitiia ultra feminam fluens; » denique cap. 118 : « ultra barbarum promptus ingenio. » Alii revocant conjectaneum Rhenani, « et ultra sortem temerarius; » sed non video, cur Miloni exsilium moderari debuerit temeritatem, homini feroci et alteri, ut dicam, Coriolano. Gruterus.

Cap. LXVIII, §. 3. *Aliquid ex omissis peto.*

Repeto scribatur, ut ad superiora illa respexerit, *suo præteritum loco referatur.* Justinus, lib. II, cap. V : « Nunc Athenarum origo paucis repetenda est. » Heinsius.

Ibid. *Adversus C. Cæsarem.*

Julium Cæsarem capies. Quod non monerem, nisi fuissent, qui Augustum intellexisse viderentur. Adi Valerium Maximum, lib. V, cap. 6, Suetonium in Cæsare, et Dionem, lib. XLIV. Vossius.

Cap. LXIX, §. 1. *Cui succedebat.*

Succedebat non a senatu, sed a se et scelere suo missus : nam provincia illi Syria erat, atque in eam ibat. Lipsius.

Cap. idem, §. 2. *Statio Murco et Crispo Marcio, prætoriis viris imperatoribus, qui prævalidis legionibus*, etc.

S. M. et *M. C. prætoriis viris, imperatoribus, prævalidis leg.*, etc.; ita legendus locus hic, deleta voce *qui* ante verbum *prævalidis*. Statius autem Murcus in argenteo etiam denario imp. dicitur. Ursinus.

Ibid. *Inclusum Dolabellam (qui.... in Syriam pervenerat) Laodiciæ, expugnata ea urbe, interfecerat*, etc.

Hæc corruptissima sunt; neque Velleii magis, quam correctorum. Sane ex editione principe, et variantibus Burerii lectionibus, ita in MS. expressum fuisse liquet : « Inclusum Dolabellam, qui præoccupata Asia in Syriam pervenerat, Laudicia expugnat ea urbe fecerat, ita tamen ut ad jactum, etc. » Puto me verissime emendasse : « Laudiceæ, expugnata ea urbe, cœperat (ita tamen, ut ad ictum...), etc. » *Laudicea*, ut *Laudice* apud Justinum; sic *Laumedon* pro *Laomedon*, *Lautumiæ* pro *Laotumiæ*; ita et *Theudosius* pro *Theodosius* apud Claudianum et alios. Vossius.

Nec in editione Rhenani, nec in Burerii notis exstat *Laudicia*, sed *Laodicia*. Burmannus.

Ex Gruneri conjectura reddimus *confecerat*, h. e. *oppresserat*. Rhenanus quum legendum censuisset *interfecerat*, eum secuti sunt omnes, male; neque enim Dolabella a Castro interfectus, sed a servo suo ipse interfici voluit. Bipont.

Cap. LXIX, §. 3. *Vatinium dignatione obruerat.*

Vatinium suæ ipse gloriæ opposito prorsus obscuraverat. Ed.

Ibid. *Nulli nomini.*

Aliquando putavi legendum, *nulli homini*. Posset et illud *nomini* deleri, tamquam glossema ad τὸ *nulli*, quum prius glossema esset, *nemini*, ex quo factum sit, *nomini*. Manutius.

Correctores, velut agmine facto, ruunt ad defendendum istuc *nomini*. Ego si impetum sustinere possim, jubeam quiescere. *Nullum nomen*, est nemo. Sic ubique *nomen romanum*, pro Romania: rem ut pro nomine intelligas. Epicedio Drosi, Albinovanus: « Fluminaque et fontes, et nomina magna locorum; » pro ipsis locis. Acidalius.

Nulli nomini, hoc est, nemini alicujus nominis viro. Bipont.

Vulgata lectio sane retineri posset. Si tamen diligentius attenderis, vix dubito quin tibi magis placeat illa: *nulli homini*. Sic enim melius constat antithetum: Brutus cuilibet *ducum* præferendus, Vatinius cuilibet *hominum* posthabendus. Ea vero fuit Vatinii deformitas, ut recte infra hominem poneretur. Ed.

Cap. idem, §. 5. *Eratque.... et lege Pedia.*

Obiter notandum iisdem copulis *que*, *et*, Velleium ad satietatem abuti, quod in hoc præsertim capite manifestum est. Cui vitio ut partim mederetur, Krausius legendum censebat: *at lege Pedia*; recepit Cludius. Ed.

Ibid. *Aqua igni que damnatis interdictum erat.*

Nescio cur viri docti in voce *damnatis* hæserint. Cæsarianus scriptor *damnatos* vocat, quamvis caussa indicta, eos qui privilegio potius quam lege, exsules extorresque facti erant. Ed.

Ibid. *Capito, patruus meus.*

Jactat Velleius suorum in Cæsares merita, aulicique obsequii artes ab stirpe sibi conciliatas, vult intelligi. Boeclerus.

Miror ambigere Lipsium, num hic sit Atteius Capito, cujus tertio Ann. meminit Tacitus: quum enim hunc patruum dicit Velleius, illud nullo modo verum esse potest, nisi statuas illum adoptione in Atteianam familiam transisse. Præterea tempora vix illud patiuntur; quod tamen Lipsium non fugisse fateor. Vossius.

De isto Capitone in Velleii Vita disserendi locus fuit; quo, si libet, oculos verte. Ed.

Ibid. *Agrippæ subscripsit.*

Accusator secundarum partium seu adjutor Agrippæ in accusando

Cassio fuit. Talis enim in deferendo reo accusatoris nomini suum subscripsit. Vid. Ernest., Clav. Cicer. sub verbis *subscribere* et *subscriptor*. Agrippa autem ex amicitia in Octavium accusatoris partes suscepit. Kraus.

Cap. LXX, §. 1. *In Macedoniam, et apud urbem Philippos.*

Sic est: Philippi isti in Macedonia extrema Ptolemæo locantur, aliis in Thracia prima. Sunt ad Strymonem fluvium, et subjacet planicies aptissima pugnæ. Victus in ea Cassius et Brutus. Diversi omnino ab istis Philippi sunt in Thessalia, ubi Pompeius victus, ad Peneum flumen. Ergo jure miror, quid poetis aliquot in mentem venerit confundere hæc loca et urbes, quasi si utrumque civile bellum in iisdem campis depugnatum. Virgilius innuit, II Georg. 400: « Romanas acies iterum videre Philippi; » quem tamen excuses, quasi Philippi iterum viderint, sed non iidem. Manilio quid facias? qui sic, lib. I, 906: « ...ducibus jurata cruentis Arma Philippæos implerunt agmine campos. Vix etiam sicca miles romanus arena Ossa virum lacerosque prius superadstitit artus, Perque patris pater Augustus vestigia vicit. » Nam vult in iisdem campis atque adeo vestigiis pugnasse Augustum, quibus patrem, et milites superstitisse cadavera et ossa. Quid poetas culpo? Florus historicus idem peccat, IV, 7: « Brutus et Cassius, comparatis ingentibus copiis, eamdem illam, quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam insederant. » Hoc autem tam verum est, ut centum aliquot milliaria sint interjecta. Vide Dion. XLVII, et Appian. IV Bell. Civil., quorum uterque situm Philipporum, ubi Brutinum prælium, accurate designat et describit. Lipsius.

Ibid. *Ab Artorio medico.*

Narrat rem quoque Valerius Maximus, lib. I, c. 7; sed vir clar. Petrus Lambecius, lib. II. Bibliothecæ Vindebonensis, p. 591, ap 'd utrumque contendit reponi debere *Antonii* nomen, ut Antonius intelligatur Musa, novissimus Cæsaris Augusti medicus; sed recte Gibertus Cuperus, vir eruditionis eximiæ, suis ad me literis, e Chronico Eusebii hunc Artorium post pugnam actiacam naufragio periisse ostendit. Meminit et somnii hujus Artoriani Dio, lib. XLVII, vel non expresso Artorii nomine. Heinsius.

Cap. idem, §. 2. *Quum dimisisset evocatum.*

Valerius Maximus vocat Titinium *centurionem*, quem Velleius *evocatum*; quoniam centuriones plerumque erant evocati. Sallustius, Catilina, « centuriones lectos et evocatos. » Suetonius, Vespasiano, 5: « Centurio, incertum sponte an evocatus. » Glossa, *evocatus*, ταξίαρχος. Porma.

Ibid. *Neque pulvere.*

Boeretius meus, *præ* desiderari putat, atque inserit, *neque præ pulvere*. Et erroris quidem in eo facilis occasio. Acidalius.

Frustra legunt, *neque præ pulvere*: nam *præ* intelligitur, ut quum dicimus, *gaudio lacrimari*, *amore emori*, aliaque id genus. Vossius.

Cap. LXX, §. 3. *Lacerna caput.*

Moritori morte violenta caput veste operiebant, ut hic Cassius, præbiturus jugulum, lacerna caput circumdedit. Horat. II Sat. 3: « . . . Quum vellem mittere operto Me capite in flumen . . . » Petronius, cap. 103: « Præligemus vestibus capita, et nos in profundum mergamus. » Sueton. Julio: « Utque animadvertit Cæsar undique se strictis pugionibus peti, toga caput obvolvit. » Popma.

Ibid. *Interritus liberto præbuit.*

Pandaro, ut nuncupat Aurelius Victor; sed lego, *Pindaro*, ex Valerio Maximo, Plutarcho, Appiano, Dione. Vossius.

Nemo eum libertum post haec eadem vidit, teste Plutarcho in Bruto, c. 43, unde aliis dubitatum an jussus fecerit. Bipont.

Cap. idem, §. 4. *Manum morituro commodaret.*

Similiter Petronius, 112: « Commodaret modo illi perituro locum. » Seneca, epist. XIII: « Candidato vocem et manum commodarem. » Plinius, Panegyrico: « Quum orationi oculos, vocem, manum commodares. » Popma.

Cap. LXXI, §. 1. *Corvinus in Cæsarem fuit.*

Expungo *fuit*; quum id ipsum verbum proximam quoque periodum claudat; et passim *τὸ est*, *τὸ fuit* subintelligatur apud Nostrum. Quare id ipsum quoque verbi tolli oportere subsequenti periodo censebat Perizonius. Heinsius.

Cap. idem, §. 2. *Lucullum Hortensiumque.*

L. Lucullus L. F. qui philippensi prælio cecidit, is est, quem Cicero, III de Finibus, appellat puerum Lucullum, cujus ipse tutor fuit. De Hortensio, oratoris filio prodigo, ab Antonio post pugnam philippicam ad fratris monumentum occiso, Cicero, ad Atticum, lib. IX; Valerius, l. V, c. 9; Plutarchus, in Antonio. Ejus filius fuit M. Hortensius Ortalus, qui nepos Hortensii oratoris appellatur a Tacito Annal. II, et Suetonio in Tiberio; Valerius, lib. III, cap. 5, Corbionem appellat, et dissolutum, perditum, profusum nepotem fuisse scribit. Popma.

Ibid. *Nam Varro.*

Quis autem iste Varro? videtur meritissima ἐξοχῇ Noster ille intelligi, cui Fama quam Æternitas magis æqua. Illa nomen ejus servat, hæc scripta non adspexit; quorum tamen feracius vix fuit aliud ingenium græcum aut

romanum. Sed videatur, inquam, iste intelligi; non tamen potest : nam proscriptus quidem a triumviris Varro, sed certantibus de salute ejus, quibus aliqua honesti cura, vicit Fufius Calenus, amicus Antonii, et cum ad se recepit. Ita tempestatem illam evasit. Appianum vide, et A. Gell. III, c. 10. Pugnæ autem philippensi non opinor interfuisse. Ætas militia et iis actionibus virum solvebat, et aliquot sane annis post vixit. Quid verba facio? in lectulo suo obiit, non properata aliqua morte; ut clare scribit Valerius, lib. VIII : « Terentius Varro, non annis, quibus seculum æquavit, quam stilo vivacior fuit. In eodem enim lectulo et spiritus ejus, et egregiorum operum cursus extinctus est. » Ergo alius iste Varro, quem velim omnino magis Velleius retexisset. Lipsius.

Hic Varro est M. Terentius Varro Lucullus, filius M. Luculli, adoptatus a M. Terentio Varrone; unde a quibusdam appellatur M. Terentius Varro Lucullus, ab aliis M. Licinius Lucullus; meminit Cicero in Bruto, et Valerius, lib. IV. Popma.

Locus corruptus, quem interpretes omittunt. Lipsius quidem vidit hæc non congruere in M. Terentium Varronem. Nos conjicimus : « Favonius ad ludibrium moriturus Antonii, digna illo ac vera de exitu ejus (Antonii) m. c. l. ominatus est. » Obtexit, credimus, Noster, quæ Suetonius, Aug. c. 13, refert de Cæsare a M. Favonio spreto, ac solo Antonio imperatore salutato; cui is pro libertate sua (erat enim Catonis seu æmulus, seu simia; confer Plutarch. in Brut., c. 34 extr.) exitum ominatus fuerit, ut Cæsarem, a quo metuendum foret Antonio simul conviciis proscinderet. Confer scriptores belli civilis. Ita quoque Brutus ipse, ad Atticum, Antonii exitum vaticinatus erat, teste Plutarcho ibid. c. 29 extr. Bipont.

Cap. LXXI, §. 3. *Drusus Livius Juliæ Augustæ pater.*

Livia post Augusti excessum vocata fuit Julia Augusta; sed latini historici sæpe nomen vetus usurpant, præsertim quum non addunt cognomen Augustæ. Philo, in Apologia pro Judæis, Ἰουλίᾳ Σεβάστῃ. Popma.

Ibid. *Quum se insignibus honorum velasset.*

Fuit hæc quorumdam cura, ut quum sibi jamjam mortem subeundam viderent, pretiosissimis vestibus se exornarent. Virilia exempla sunt patres romani, a Gallis duce Brenno urbe capta, in vestibulis sedentes, vultu habituque humano augustiores; Quintilius Varus, Bruti partium defensor, quum se militaribus insignibus velasset, liberti manu jugulatus; Philocles atheniensis, quem lætum in splendida sumpta læna se jugulandum præbuisse effert Plutarchus, in Lysandro. Mulieres memorantur reginæ tres, Olympias Macedoniæ, Alexandri mater; Cleopatra Ægypti; Monimia milesia, pontici Mithridatis uxor, quæ cultu ornata egregio, diademate suo se suspendit, quo abrupto percussori cervicem obtulit. Sallustius, Historiar. quarto, et Plutarchus in Lucullo. Popma.

Cap. LXXII, §. 1. *Corrupto animo ejus in diem.*

Commodius, si legatur: « Corrupto animo ejus una die, etc. » Manut.

Jam Tollii et Ruhnkenii lectio, *incorrupto ejus animo*, ab omnibus ut certa recipitur. *In diem*, nempe idus martias, quas Brutus parricidio funestavit. Frustra vero Bipontina veterem lectionem tuetur, quasi mens hæc fuerit: « corruptus est in hunc tantummodo diem, dein virtutem secutus est. » Ed.

Cap. idem, §. 2. *Quanto.*

Omisit in prima parte *tanto*. Vide ad Ovid. IV Met. 64. Burmannus.

Livius, lib. XXI, cap. 53: « Gallorum ingentem multitudinem sciebat segnius secuturam, *quanto* longius ab domo traherentur. » Ed.

Cap. idem, §. 3. *Nuper a nobis visi.*

Pro *nuper defuncti*, εὐφημισμὸς. Obiit autem L. Domitius Ahenobarbus, Neronis imperatoris avus, anno U. c. dcclxxx. Vide Tacit. Annal. lib. IV, cap. 44. Ed.

Ibid. *Nobilissimæ simplicitatis.*

Eam quoque formam sermonis in Nostro sæpicule est deprehendere. Ponit autem *simplicitatem* pro universa virtute et prisca morum integritate, quam (ut de Scythis eleganter, lib. II, Justin. prædicat) antiqui homines, rudibus illis non tam bonarum quam malarum artium seculis, magis ingeniis quam legibus, magis vitiorum ignoratione et naturæ bonitate quam virtutum præceptis institutisque disputantium philosophorum, coluerunt. Acidalius.

Tangit ruditatem, in qua Domitiæ gentis nobilissimæ viri, ut hodie principum multi majorem laudem ponunt quam in artibus; ferendam, modo sit ingenua. Fuit ille aurigandi arte in adolescentia clarus, dein triumphalia adeptus ex bello germanico. Sueton. in Neron. Bipont.

Cap. idem, §. 4. *Statius Murcus.*

Statius Murcus hujus sui consilii triste postea præmium tulit, de quo infra II, 77. Boeclerus.

Cap. LXXIII, §. 3. *Mare infestare.*

Pro *mare infestare piraticis sceleribus*, mallim *incestare*: nam *infestato mari* jam præcesserat. *Celocibus*, pro *sceleribus*, quod reponit Lipsius, noluissem factum. Tacit. Annal. XIV, 22: « Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquæ Marciæ ad urbem deductæ nando incestarat. » Ita codex scriptus Rodolphi Agricolæ, quo sum usus. Vulgati *incesserat*, quod verbum capite præcedenti apud eumdem Tacitum occurrebat, ut hic inconcinne denuo repetatur, quam-

quam familiare satis eidem. Recte autem *incestare*; quia fontes æque ac maria sacra habebantur, et deorum receptacula ac sedes. Valer. Maxim. lib. IX, cap. 2: « Captivos navibus substraverunt, ut earum carinis ac pondere elisi inusitata ratione mortis barbaram feritatem satiarent, tetro facinore pollutis classibus ipsum mare violatori. » *Incestare classem funere* apud Maronem; quod *polluere* Servius interpretatur, quo verbo Lucanus usus de hac ipsa re. Heinsius.

Lucani locus non absimilis, Pharsal. VI, 420: « Sextus erat magno proles indigna parente, Qui mox Scyllæis exsul grassatus in undis, Polluit æquoreos siculus pirata triumphos. » Pari indignatione Florus, l. IV, c. 8: « Jam et classe medium mare insederat, o quam diversus a patre! ille cilicas exstinxerat, hic secum navales piratas agitabat. » Ed.

Cap. LXXIV, §. 2. *Quippe L. Antonius.*

Scripsere hoc bellum, quos ad Flor. lib. IV, c. 5, *Camers* notavit; quibus adde Dion. XLVIII. Boeclerus.

Ibid. *Virtutum, quæ interdum in illo erant, expers.*

Rarum quippe « monstrum nulla virtute redemptum; » hoc est, aliquem vitiis omnimodis infamem esse, neque ullo commendabilem merito; unde Tiberius apud Tacitum, lib. I Annal., c. 46: « C. Cæsari, forte orto sermone, L. Sullam irridenti, omnia Sullæ vitia, et nullam ejusdem virtutem habiturum prædixit. » De Lucio isto Antonio, eadem plane prodita L. Floro, lib. IV, c. 5: « Semper alias L. Antonii pessimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiæ, agitabat; » adeo ut mirer, virum, artium harum peritissimum, eo loco reponere *piissimum*; neque enim ullus omnino auctorum laudat Lucium, nisi Appianus; nec tamen is simpliciter, sed quatenus arbitratur bellum excitasse, non stabiliendæ suæ potentiæ caussa, verum vindicandæ in pristinam libertatem reipublicæ. Gruterus.

Ibid. *Qui juste divisione prædiorum, nominatisque colonis, agros amiserant.*

Lipsius *injuste*, vel *injusta* legendum putat, atque ita quidem ter monebat; sed Velleius Cæsarianis factis ubique colorem appingit, aut juris titulum. Boeclerus.

Jussa divisione, ni fallor; tum *ordinatisque coloniis*. Donatus, in Vita Virgilii: « In distributione agrorum, qui post philippensem victoriam veteranis triumvirorum jussu dividebantur. » *Injusta divisio prædiorum* Lipsiana longius abit. Caute, ut omnia, Velleius, *jussam agrorum divisionem* dixit, quam neque ut justam voluit approbare, nec damnare ut injustam, ne Tiberium offenderet, qui in acta Augusti juraverat: auctor enim præcipuus fuit divisionis Augustus, dum veteranis studet gratificari. Heinsius.

Krausius ex Vascosani emendatione, *justa*, id est, pro numero colonorum satis ampla. Nobis magis placet Heinsianum, *jussa*; quod in recto

quoque sermone ferendum censemus, siquidem apud Tacitum, Ann. XVI, 17: « accepto jussæ mortis nuntio. » Tum vero participium illud, *jussa*, cum altero, *nominatis* (sive Heinsio in omnibus adsentias, *ordinatis*), mire convenit. Si tamen *juste* retinendum est, certe non vulgari sensu, sed elegantiori et libenter a bonis auctoribus usurpato, quoties *justus* pro legitimo ponitur: « filii justa uxore nati, justus heres, justus dominus; » pudet in exemplis commorari. *Instituta divisione*, recte procederet, nisi longius abesset a codice. Ed.

Cap. LXXIV, §. 3. *Uxor Antonii.*

M. Antonii triumviri. Ne qua deinceps nominum ambiguitas lectorem moretur, admonemus de Lucio, Marci fratre, in hoc tantum capite mentionem fieri. Ed.

Cap. idem, §. 4. *In Perusinos magis ira militum quam voluntate sævitum ducis.*

Suetonius tamen diversum testatur in Aug. 15: « Perusia capta, in plurimos animadvertit; orare veniam, vel excusare se conantibus una voce occurrens, moriendum esse. » Boeclerus.

Ibid. *Cujus initium incendii.*

Incendii Krausius uncis includit. Ed.

Ibid. *Macedonicus.*

Verum ejus nomen erat Cestius. Cæterum Macedonici nomen sibi assumpserat, quod olim in Macedonia militasset. Auctor ejus rei Appianus, in V Bell. Civil. Vossius.

Cap. LXXV, §. 1. *Tib. Claudius Nero.*

Tib. Claudius Nero L. Antonium consulem ad Perusiam secutus, deditione a cæteris facta, e bello profugus (Tacit. Ann. V, 1) solus permansit in partibus, et circa Neapolim novum bellum molitus est. Vid. Sueton. Tib. 4. Krausius.

Ibid. *Doctissimique ingenii.*

Vulgata se optime habet, et est *prudentis* seu *callidi*. Ingenium *doctum* diversum est ab illo rudi simplicique quod fuit Domitiorum, Sexti Pompeii, etc. Bipont.

Cap. idem, §. 3. *Quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam.*

Sensus hic est: Livia Augusti, cum quo postea nupta est, et cujus consecrata sacerdos ac filia fuit; Livia, inquam, Augusti arma fugiens et Tiberium vix bimum, futurum et ipsum ejusdem Augusti filium, in sinu gestans, etc. Sacerdotem Augusti fuisse Dio quoque eo, quem proxime

adduxi, loco tradit; filia etiam Augusti fuit, quippe ejus testamento adoptata fuit, sive in bona et nomen vocata. PUTEANUS.

CAP. LXXV, §. 3. *Fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, nus bimum hunc Tiberium*, etc.

Alii, *vix bimum;* non displicet. MANUTIUS.

Putida lectio. In autographo fuit : « Cæsaris arma, nus bimum, etc. » Unde lego : « futuri sui Cæsaris arma, minus bimum, etc.; » quod comprobat quoque Velleiana χρῆσις, cui familiare τὸ *quam* reticere, ut supra me etiam monuisse memini. Firmatque idem supputatio annorum : nam fuga hæc Neronis incidit in annum U. c. DCCXIII, Antonio et Servilio coss. Mortuus vero Tiberius anno U. c. DCCXC, Proculo et Nigrino coss., anno ætatis septuagesimo et octavo; quod Suetonio, Tacito, Dioni et aliis etiam notatum. Horum ergo annorum computationem si quis accurate instituat, inveniet Tiberium, sub tempus Neronianæ fugæ, bimatu fuisse inferiorem. VOSSIUS.

Erat, *nus bimum;* hinc fecerant aliqui, *vix bimum*, quod Aldus approbavit et Gruterus edidit. *Vix bimus*, est, *necdum bimus*. BECLERUS.

Non patet, cur novi editores optimam Basileensis et Aldi lectionem neglexerint, cui vix prætulerunt Vossianam, *minus bimum :* nequaquam vero in Ruhnkenii sententiam ire possumus, veterem lectionem omnino turbantis; præterquam *bimum hunc Tiberium*, initio membri positum, vel durissimas aures offendit; non ita, si *vix* aut *minus* præcesserit. ED.

Ibid. *Futurumque ejusdem Cæsaris filium.*

Eamdem fortunæ vicissitudinem miratur Dio, XLVIII, pag. 418: ὥστε καὶ τοῦτο ἐν τοῖς παραδοξοτάτοις συμβῆναι· ἥτε γὰρ Λιουία αὕτη ἡ τὸν Καίσαρα τότε φυγοῦσα, μετὰ ταῦτα αὐτῷ ἐγήματο, καὶ ὁ Τιβέριος οὗτος ὁ σὺν τοῖς τοκεῦσι τότε ἐκδρὰς, τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν αὐτοῦ διεδέξατο. Præcesserat de fuga Neronis et Liviæ, cui subjungit : « accidisse tum rem in maxime mirabilibus ponendam. Nam hæc Livia (inquit) quæ tum Cæsarem fugiebat, postea ipsi nupsit; et Tiberius iste, qui cum parentibus tum fugiebat, principatum Cæsaris postea accepit. » BECLERUS.

CAP. LXXVI, §. 1. *Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum.*

Forma Apuleiani sermonis, ut *in* ad ornatum abundet; quod hic, quisquis es, cave tollas. Nam sic et Sallustium et Virgilium alicubi locutos, clarum faciemus suo loco. ACIDALIUS.

Alii omittunt *in*, quod possit ferri, ut alis ejus generis, in quibus τὸ *in* imitatur Græcum κατὰ. Plaut. Asinar. II, 4, 94: « neque deceptus in eo. » BIPONT.

Ibid. *Honoratissimo inter illos CCCLX judices loco a Cn. Pompeio lectus.*

Nescio quomodo convenire potius videtur, *a Cn. Pompeio lectos;* nam

legi loco honoratissimo inter plures, non satisfacit auribus, multo minus animo. Gruterus.

Pompeius III consul judices legit trecentos sexaginta, quum omnium judicum numerus esset DCCCLI, treceuti quidem senatorii ordinis, reliqui quum equites, tum tribuni ærarii: Cicero ad Cœlium, lib. VIII, ep. 8; ad Atticum, lib. VIII, ep. ult.; Pædian. et Plutarch. *Honestissimum locum* vocat senatorium, quia amplissimus ordo fuit senatorius, qui totus latiolavius; at equestris in parte alius laticlavius, alius angusticlavius, ut ex historicorum lectione facile patet. Popma.

Grutero non placet *honoratissimo loco lectus*. Quidni autem Pompeius judices a se lectos pro dignationis ordine in album retulerit? inter quos non ultimus fuerit nostri Velleii avus. Ed.

Cap. LXXVI, §. 2. *Et propriæ classis factum ducem.*

Domitius, qui jam ante a. U. c. DCC fuerat prætor, et anno sequenti provinciam sortitus erat, nunc post mortem Cassii et Bruti, quum earum partium duces quisque raperet ad se reliquias dispersas, Domitius *propriam* sibi classem vindicavit; ita expressis verbis Appian. lib. V. Bell. Civil. p. 673: καὶ τὴν αἵρεσιν ἐφ' ἑαυτῶν καθίσταντο· qui cum Domitio manebant *propriam factionem constituerunt*; quod Noster *occupatis navibus*, post cædem Bruti, dixit supra cap. 72, et ita ipsi erat *propria*. Denarius quoque hujus Domitii, *imperatoris* titulum præfert, quo a suis ornatus fuit. Vid. *Vaillant* in gente Domitia, n. 17. Burmannus.

Cap. idem, §. 3. *Præparatusque.*

Schegkius, magno aliorum applausu, edidit, *paratusque*. Sed noli aliquid mutare: nam vulgata lectio nititur fide codicis MS. *Præparatum* autem, pro παρασκευὴ, usurpavit etiam A. Gellius, lib. X, cap. 11: « in præparatu rei rusticæ. » Vossius.

Ibid. *Sed pax circa Brundusium composita.*

Contra in scripto, nec displiceret, nisi præcessisset proxime: « præparatusque contra eum Cæsaris. » Heinsius.

Contra et *circa* fere semper in MSS. confunduntur apud Nostrum, Quintilianum et alios; *contra* vero pro e regione, exadversum, usitatissimum olim fuit. Sic Livius, III, 26: *contra eum locum*; Varr. I de Rep. Rom. 2: *contra auream imaginem*; Suet. Aug. 44: *contra prætoris tribunal*; vetus interpres Lucæ Evang. XIX, 3: *castellum quod contra est*; ut Ovid. VII Met. 587: *templa vides contra*; Stat. VII Theb. 240: *nondum hostes contra*; ubi alii *circa* probant. Scribebant nempe per compendium, *cra*, unde et *circa*, et *contra* faciebant. Burmannus.

Cap. idem, §. 4 *Rufi Salvidieni scelesta consilia patefacta.*

Suet. Aug. cap. 66; Senec. de Clem. lib I, cap. 9 Livii Ep. CXXVII; Euseb. in Chron. Dio, lib. XLVIII, scribit Salvidienum in id dignita-

tis a Cæsare evectum fuisse, ut consul, quum senator nunquam fuisset, designaretur. Puteanus.

Fuit accusatus in senatu ab ipso Cæsare, populi Cæsarisque hostis judicatus, jugulatus est, supplicationes ejus rei ergo decretæ, triumvirisque custodia urbis mandata. Schegkius.

Dio, lib. XLVIII, p. 430; Appian. V, ἐμφυλ., pag. 710; ubi etiam illa *ars Cæsaris in evertendo Salvidieno*, aliis quoque principibus in simili caussa non raro usurpata: accitum enim ad se propere, quasi præsentia ejus ad negotium quoddam opus haberet, moxque ad exercitum remissurus eum esset, occidit. Boeclerus.

Idem Salvidienus optimis consiliis Augusti fortunam inchoaverat, supra cap. 59. Antonius cum Octaviano in ejus necem conspiravit. Hic agnoscimus graves principum amicitias. Ed.

Cap. LXXVI, §. 4. *Proximus a Cn. Pompeio, ipsoque Cæsare.*

Ideo, quia illorum quoque uterque ad hoc fastigium venit, priusquam in curiam aut senatum, nec post eos alius, ante hunc Salvidienum. Cæsarem porro accipies, Octavianum. Lipsius.

Ibid. *Parum habebat.... creatus esse.*

Cui ignotus hic hellenismus? Catullus: *Ait fuisse navium celerrimus.* Virgilius: *Sensit medios delapsus in hostes.* Neutiquam sane audiendus Ursinus, qui in Velleio legere malebat, *cos. creatum esse.* Vossius.

Cap. LXXVII, §. 1. *Urebat.*

Gravius dictum est quam *premebat*, *urgebat*, quæ etiam in hac re solennia sunt. *Urere* dicuntur quæ gravissima et molestissima sunt. Vid. Duker. ad Florum, l. II, c. 6 (ubi: « urebat nobilem populum ablatum mare »); Liv. X, 47: « pestilentia urens simul urbem atque agros. » Krausius.

Cap. idem, §. 2. *Achaiamque.*

Achaia complecti totam Græciam non obscure hic ex Dione colliges, et provinciæ Achaiæ inesse Græciam docuit ex Pausaniæ libro VII Lipsius. Schegkius.

Ibid. *Qui ad eum ex diversis caussis fugerant.*

Inepte Acidalius, *castris*. *Ex diversis caussis* dixit Velleius, quia alii essent proscripti, alii obærati, alii animo in eum propensiore. Quo facit illud Appiani V de Bellis Civilibus: Πομπήϊος γὰρ ἐκ τῶν προγραφῶν, καὶ κατοικίσεων τοῦ στρατοῦ, καὶ τῆς δὲ τοῦ Λουκίου διαφορᾶς, ἐπὶ μέγα δόξης καὶ δυνάμεως ἦρτο· « Pompeius enim ex proscriptis, et militaribus colonis, et hac ipsa Lucii simultate, multum existimatione ac viribus creverat. » Vossius.

CAP. LXXVII, §. 3. *Et Aruntium Actium.*

Gentilitia duo nomina perperam juncta. Scribes, *Aruntium ac Titium*. M autem Titius Dioni nominatur, et Velleio bis infra. LIPSIUS.

Ibid. *Mena et Menecrates.*

Pompeii liberti, iidemque classium præfecti, de quibus supra cap. 73.

CAP. LXXVIII, §. 1. *Quas magnis momentis.*

Observa *momentis* pro motibus; quomodo et apud alios legisse, sic quasi per nebulam meminisse videor: nam exempla in promptu nulla; immo ecce tibi unum Senecæ, epist. 50: « Exemplum (clavi) a piscibus tractum est, qui cauda reguntur, et levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt. » ACIDALIUS.

Momenta vocantur hic eventus præliorum, obsidionum, et similes, qui efficerent, ut Labienus superior evaderet, et rebus bene gestis, illis ut magnis momentis, concuteret provincias; metaphoram a libra ductam esse jam sæpius adnotatum, quæ parvo momento in hanc vel illam partem inclinatur; sic *non modicum victoriæ momentum*, Justin. XXII, 5; *non mediocre momentum*, lib. XI, 4, et XIII, 6; sic *parva momenta* in re alia Ovid. IV Metam. 180; ubi ex Acidalii sententia et pro motibus possit capi. Sed modus non esset exemplorum, quæ in omnibus scriptoribus obvia. BURMANNUS.

Ibid. *Labienus ex Brutianis castris profectus ad Parthos.*

Vir olim patriæ amans, reipublicæ defensor, Bruti comes, nunc adversus Romanos cum Parthis arma ferens, indicio est, quantopere partium studio generosæ quoque mentes in ejusmodi temporibus obcæcari soleant. ED.

Ibid. *Interfectoque legato Antonii.*

Atqui ille se interfecerat. Florus, IV, 9: « Saxa, ne veniret in potestatem, a gladio suo impetraverat. » LIPSIUS.

Ibid. *Qui virtute et ductu Ventidii.*

Qui ad Labienum refertur. Maxima forte distinctio post *concusserat*, in textum adhibenda erat. ED.

CAP. idem, §. 2. *Interim Cæsar per hæc tempora, ne res disciplinæ*, etc.

Neutrum delendum, una minima vocula transposita: *Interim Cæsar, ne, per hæc tempora, res disciplinæ. Per hæc tempora* valet, ea temporum conditione, ut quibus in armis habere militem pro repub. non necesse foret. ACIDALIUS.

CAP. LXXVIII, §. 2. *Crebris in Illyrico Dalmatiaque expeditionibus.*

De quibus vid. Dio. XLIX; Appian. Illyr.; Liv. Epit. CXXXII; Hist. Misc. VII, 7. BOECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Primipili centurionem.*

In legione tria genera peditum: *hastati*, *principes*, et qui omnes antestabant, *triarii*. In singulis deni centuriones, ab ordine in hastatis et principibus nominati: nimirum primus hastatus, primus princeps; secundus hastatus, secundus princeps; tertius, et usque ad decimum. In *triariis* dispar: non enim primus triarius, sed primipilus, primipili centurio primus centurio appellabatur; hic primus in legione post tribunum, qui parebat legato, ut legatus imperatori. Hæc strinxi e Vegetio et uberrimo Manutii nostri de hoc tractatu. SCHEGKIUS.

Ibid. *Fuste percussit.*

Fusti percussit. Ita libri manuscripti, non *fuste*, et Valer. lib. VI: « Uxorem, quod vinum bibisset, fusti percussit. » Sall. Hist. IV: « Sorte ductos fusti necant; » ubi *percutere* et *necare* eadem, sicut frequenter percutiendi verbum usurpatur pro occidendi. Suetonius, Caligula: « Hostem cominus sæpe percussit. » Ulpianus tit. de senatusc. Silaniano: « Occisorum appellatione eos contineri Labeo scribit, qui per vim aut cædem sunt interfecti, ut puta jugulatum, præcipitatum, vel saxo, vel fusti, vel lapide percussum, vel quo alio telo necatum. » Caussæ fustuarii præcipuæ erant fuga ex acie, desertio ordinum, abitio a signis sine commeatu. Ritus is, quem Polybius describit: accepto fuste, tribunus vix tantum attingebat damnatum; quod ubi factum, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus lapidibusque, plerosque in ipsis castris interficiebant. POMA.

CAP. LXXIX, §. 1. *M. Agrippa.*

Ignobilem loco, bonum militiæ, et victoriæ socium, Tacit. I, vocat. Adi Horat. I Od. 6; Senecam patrem, Controvers. II; Dion.; Appian. SCHEGKIUS.

Ibid. *Virtutis nobilissimæ.*

Krausius recepit: *vir virtutis nobilissimæ.* Alludit ad illud ipsum (ut Tacitus loquitur) ignobile Agrippæ genus; indicat animum supra natales suos erectum. ED.

Ibid. *Et per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens.*

Simile quodammodo est infra cap. 110 de Pannoniis: « Itaque hercules nulla unquam natio tam mature consilio belli bellum junxit, ac decreta patravit; » et post etiam de Arminio, cap. 118: « Opprimi posse Roma-

nos et dicit et persuadet; decretis facta jungit; tempus insidiarum constituit; » et aliquanto inferius de L. Cæditio et aliis dicit, c. 130, « eos nec temerario consilio, nec segni providentia usos. » ACIDALIUS.

CAP. LXXIX. §. 2. *Despondente ei Nerone.*

Ἐξέδωκε δὲ αὐτὴν αὐτὸς ὁ ἀνὴρ, ὥσπερ τις πατὴρ, inquit Dio, XLVIII, pag. 438: « Elocabat autem Liviam ipse maritus, tamquam patris loco. » Scilicet hoc schema quærebatur rei, quasi maritus sponte concederet Augusto uxorem. Revera autem « Tib. Neronis matrimonio Liviam, et quidem prægnantem, abduxit, » ut simplicius loquitur Suetonius, Aug. 62; sicut et prudentes apud Tacit. Ann. I, 10, 7, increpant, « abductam Neroni uxorem, et consultos per ludibrium pontifices, an, concepto necdum edito partu, rite nuberet. BECLERUS.

Ibid. *Pompeio Siciliæque bellum*, etc.

Præter scriptores supra laudatos, accurate hæc omnia exsequitur Dio, lib. XLVIII et XLIX. BECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Quod postea dubia*, etc.

Quid audio? *anceps* fortuna alia, quam *dubia?* hoc enim interjecta particula *interdum* innuit; sed ea traducta, scribe: *dubia interdum et ancipiti.* Nisi tamen dicas, ancipitem esse periculosam, et hac quadam ratione a dubia diversam: ancipitia enim sine certo periculo tangi et tractari nequeunt; in dubiis non item est. Et hoc tamen putidum et puerile. Quin potius voculam trajiciamus, ut monstratum. ACIDALIUS.

Fortasse legendum, *dura et interdum ancipiti*: nam adversa fortuna sæpius usus Cæsar; *durus* vero et *dubius* confuderunt librarii, ut clarissime ad Quintil. l. VI, 3, ostendimus: ubi apud Ciceronem, *dubios casus variosque*, apud Fabium, *duros variosque* legi notavimus, ut hic *dura* et *ancipiti fortuna*. BURMANNUS.

Anceps fortuna aperte hoc loco differt a *dubia*; est plusquam dubia fortuna, ut supra cap. 55 dixit, *plusquam dubio marte*. KRAUSIUS.

CAP. idem, §. 4. *Circa Tauromenium.*

Sic et Ptolemæus; sed aliis *Tauromenia* dicitur: Siciliæ colonia, priscis *Naxus* vocata. BIPONT.

CAP. idem, §. 5. *A Titio jugulatus est.*

Phrygiæ in oppido Midæo, ut Dio; an, Mileti, ut Florus et Appianus. SCHEGKIUS.

Jam de Mileto omnes consentiunt. Strabo, Geogr. lib. III, scriptor ejusdem propemodum temporis, idem affirmat. ED.

Cap. LXXX, §. 3. *Non ab Scipionibus, aliisque..... quicquam ausum patratumque fortius, quam tunc a Cæsare.*

Factum tam memorabile Augusti, quod hoc capite exponitur, scripsere etiam Dio, XLIX, pag. 455; Appian. V ἐμφυλ., pag. 742 et seq.; Hist. Miscell. VII, 6; Liv. Epit. CXXIX; Sueton. Aug. 16. Tacitus, una voce *exuendi*, opportune huc accommodata, rem complectitur, Ann. I, 2, 1.
Boclerus.

En tibi ipse Taciti locus: « Postquam Bruto et Cassio cæsis nulla jam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, *exuto*que Lepido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus nisi Cæsar dux relictus.... » Quam multa et quam paucis! Ed.

Cap. idem, §. 4. *Ad in dissimillimam vita sua potentiam.*

Krausius *in* uncis inclusit, quod excludere textu potuisset. Tum *vitæ suæ* edidit; quæ Basileensis lectio fuit, sane optima. Cum Krausio Lepidi *vitam* interpretamur, ejus mores ab omni virtute alienos. Ed.

Ibid. *Spoliata dignitas.*

Similis locutio Hirtii, lib. VIII de Bell. Gall. 5: « qui omnem honorem et dignitatem Cæsaris exspoliarent; » ubi vide Davisii notas. Burmannus.

Cap. LXXXI, §. 1. *Contemplatus frequentiam suam.*

Simile dictum Tacito, Annal. lib. I: « Illi, quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere. » Schegkius.

Idem dixit Dio: πρὸς τὴν ὄψιν τοῦ πλήθους σφῶν θρασύνονται· et Lucanus, V, 259: « .... Ipsa metus exsolverat audax Turba suos; quicquid multis peccatur inultum est. » Ideo Domitianus prohibuit, *legionum castra geminari*: Suetonius in vita, cap. 7. Popma.

Cap. idem, §. 2. *Ejus relicti erant publici.*

Tota hæc res explicata ab uno Dione, lib. XLIX, qui de hac ipsa seditione et ejus placamentis: Οὕτω μὲν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε, κ. τ. ἑ......: « Atque ita milites tunc quidem composuit; et argentum statim, agros non multo post iis dedit. Quoniam enim publici, qui tunc erant, non sufficiebant, etiam alios emit a Campanis illis, qui Capuam incolunt, eosque multos (multis enim colonis indigebat ea urbs), et ipsis tum aquam Juliam, qua maxime omnium gaudent, tum terram Coosiam (*Gnosiam* melius, estque Gnosus in Creta), qua etiam nunc fruuntur, eorum loco dedit. » Omnia hæc quasi de industria scripta ad Velleii lucem; et quis scit, si non a Dione istinc sumpta? Lipsius.

Publica pro pratis publicis Nasoni jam olim restitutum a me, Fastorum V: « Vindice servabat nullo sua publica vulgus; Jamque in privato pascere inertis erat. » Adde Plinii locum, lib. VII Ep. 18: « Numerus reip. summam, verendum est, ne dilabatur; des agros, ut publica, negligentur. »

Sic enim vetustissimus liber Mediceus, non *ut publici*. Asconius in Divinationem *pascuorum publicorum* meminit, eosque, qui hæc redimant ad pascendum, dictos *pecuarios* docet; occurrunt et apud Livium *pascua publica*, lib. XXXIX, cap. 29; *agri publici* passim apud Livium, et de publicis agris et privatis Epitom. Liv. LVIII. Heinsius.

Bipontina quum in textu dedisset ex Basileensi conjectura; *ejus reditus erant publici*, in notis tentabat: *ei agri relicti erant: publice pro his*, etc.; relictos, scilicet a possessoribus, agros intelligebat. Krausius edidit: (*Agri*) *ejus relicti erant publici*. Ita restituit, quod subaudiri posse non putabat, nomen *agri*; et nos assentimus. Quum tamen apud Livium legatur, monente Burmanno ad h. l.: *qui ager civis campani fuisset*, *ut is publicus P. R. esset*, eaque solennis fuisse juris formula videatur, fieri fortasse non omnino nequivit, ut ejusmodi ἔλλειψις paulatim in usum cederet, nec a Velleio repudiaretur, dicendi compendia sectanti. Recte vero Krausius adnotat, ex Frontino et Hygino, quos antea citaverant Mazochius et ex Wesselingio Grunerus, *loca relicta* esse in re agraria non assignata, non divisa, quæ communi coloniæ servirent. Ita publici remanserant apud Campanos agri, quibus coloni defuerant, quum xx millia civium eo sunt deducta, narrante Nostro supra cap. 44. Ed.

Cap. LXXXI, §. 2. *Salubritatis instar.*

Festus Pompeius ab *instar*, *instaurare* deducit: quoniam illud instaurari proprie dicatur, quod ad formam similem exemplo priori reducitur. Hic vero *instar* non exemplum est, neque passive pro eo capitur, quod est instauratum, sed enim active, ut quod instaurat, heic nempe salubritatem. Acidalius.

Cave credas; sed nihilominus vocabuli singularis virtus adnotanda est: *salubritatis instar*, nempe salubritatis caussa tam efficax, ut ipsam quodammodo repræsentet, ejusque certum quoddam signum sit et imago. Ed.

Cap. idem, §. 3. *Insigne coronæ classicæ.*

Tangit princeps poeta: « Tempora navali fulgent rostrata corona. » *Rostrata* Plinio quoque dicta. Vide A. Gellium. Schegkius.

Ibid. *Quo nemo unquam romanorum donatus erat.*

Si voluit dicere Velleius, neminem ante Agrippam reportasse coronam navalem, hoc est, rostratam, aut erravit, aut diversum sentit a Plinio. Is enim non dubitat affirmare lib. XVI, cap. 4: « Cedunt et rostratæ, quamvis in duobus maxime ad hoc ævi celebres: M. Varrone, piraticis bellis dante Pompeio Magno; itemque M. Agrippa, tribuente Cæsare Siculis. » Sed et idem naturæ mystes unicus, lib. VII, cap. 30: « M. Varronis, in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est; haud minore, ut equidem reor, gloria principe oratore et cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit,

multitudine unam hanc coronam dante, quam quum eidem Magnus Pompeius piratico ex bello navalem dedit. » Et vero nullo ævo cuiquam contigisse coronam rostratam, præterquam uni Agrippæ, idem etiam prodidit Dio Cassius, lib. XLIX; nec is tantum, sed et testis omni exceptione major, Livius, cujus hæc legimus, Ep. CXXIX: « M. Agrippa navali corona donatus est; qui honos nemini ante eum habitus erat; » quibus motus verbis, damnaverim potius unum Plinium, quam triumviros istos alios; etsi aliter visum viro maximo, in libris de Militia Romana, lib. V, c. 14. Gruterus.

Cap. LXXXI, §. 3. *Publicis se usibus destinare professus est.*

Quod fulmine tactus fuerat locus, eumque sic a deo desiderari responderant haruspices. Bipont.

Cap. LXXXII, §. 3. *Qua æstate Cæsar t. p. Lepidum*, etc.

Locus libris adfectus, et cui nec ego facile medendo. Vulgati nil conferunt, præter Bonhom. qui exprimit: « Qua æstate, Cæsar tam prospere in Lepidum. » Si nihil desit, tentaverim: « Qua æstate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, pæne fortuna in Cæsarem et rempublicam (*aut*, in Cæsare et rep., *antique*) militavit ad Orientem, » sententia clara: « Eadem æstate contra rempublicam et Cæsarem (solens Nostro adulationis genus reip. jungere Cæsarem, tamquam caput) fortuna stetit ad Orientem. Schegkius. »

Nihil deest, nec opus ulla mutatione; hoc enim dicit: Cæsar contra Lepidum prospere, fortuna bene in Cæsare et repub. militavit contra Antonium, quem Parthi ceciderunt. Ambitiose et adulatorie jungit Cæsarem et rempubl., et Cæsarem tamquam caput præponit. Popma.

Totus sic constituatur locus: « Qua æstate Cæsar tam prospere pro re civium in Sicilia, pæne fortuna in Cæsarem et remp. militavit ad Orientem. » *Pro re civium*, quasi reipublicæ, non suæ ambitioni dedisset Cæsar hanc expeditionem; sic ubique solet Velleius. Deinde *pro re civium* et *in remp.* concinne opponuntur inter se; *pæne* eleganter addit, quia Antonius Cæsari ac reip. non minus infidus, quam Lepidus. Heinsius.

Si Heinsiana conjectura placeat, rectius legeretur *prospere e re civium*. Ego mallem: « Qua æstate Cæsar tam prospere in Lepidum in Sicilia, bene fortuna pro Cæsare et repub. militavit ad Orientem; » hoc sensu: damnum Antonii et cladem fuisse utilem Cæsari et reip.; quippe qui inde in odium populi incidens, et luxuriæ se tradens, postea facilem de se victoriam Cæsari præbuerit, per quam optimus princeps reipubl. impositus est. Fortunam hic absentis Cæsaris vocat, quum in Lepidum bellum suis auspiciis gessisset. Ita Flor. IV, 2: « adversus absentem ducem aliquid ausa fortuna; » et ita passim. Requiritur autem necessaria illa oppositio *in Lepidum*, et *pro Cæsare*, nisi omne acumen Velleio, qui sibi in illis placere solet, demere velimus. Burmannus.

Bipontina proponebat non sane omnium pessimam lectionem: « Qua æstate Cæsar tam prospere militavit in Sicilia (*vel* in Lepidum), non bene fortuna sine Cæsare et republica militavit ad Orientem. » Krausius propositam a Ruhnkenio emendationem, etsi plus quam cæteras probat, in textum non admisit, ut res pro desperata jam sit et prope conclamata. Edit.

Cap. LXXXII, §. 3. *Atque illis legionibus.*

Emendant, *atque legionibus*; ego, *ac tot legionibus*. Lipsius.

Forte legendum, *ac tot illius legionibus*: quamquam nihil temere mutaverim; nam, vulgatam lectionem ferri posse, supra monui. Vossius.

Hoc M. Antonio ac tot illis legionibus saluti fuit. Ita rescripsi, minimum discedens a veteri scriptura, quæ habebat, *acto illis legionibus*. Vossius, *ac tot illius legionibus*, proxime verum. Vulgo, *atque illis legionibus*. Tac. Ann. I, cap. 6: « Germanicus, cujus in manu tot legiones. » « Tot pulcherrimarum legionum interitus, » Valerio Maximo, lib. I, cap. 6, et libro VI, cap. 2: « Obstupuerunt tot legiones, tam robustas senectutis reliquias intuentes. » Heinsius.

Retine Vossianam et optimam lectionem, *ac tot illius*, quæ ipsa exemplis ab Heinsio prolatis confirmatur. Ed.

Ibid. *Fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat.*

Geminum pæne dictum de eodem L. Flori, lib. IV, cap. 10: « Egregius imperator tandem profugit in Syriam: ibique incredibili quadam mentis væcordia, ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset, qui evaserat; » ubi philosophice tamen magis Annæus loquitur, quam ethice aut grammatice: ita enim solent homines, præter spem vivi. Sallustius, Bello Jugurthino, cap. 98: « et ipsi duces feroces, ac quod sui non fugerant, pro victoribus sese agere. » Annibal apud Horatium, lib. IV, Od. 4: « Cervi, luporum præda rapacium, Sectamur ultro; quos opimus Fallere et effugere est triumphus. » Syrus apud Terentium, Heautontimor., actu IV, sc. 1: « .... triumpho, si licet me latere tecto abscedere. » Gruterus.

Ibid. *Catenis, sed ne quid honori deesset, aureis vinxit.*

Dio, lib. XLIX: Ἔδησεν αὐτὸν ἀργυραῖς ἁλύσεσιν· αἰσχρὸν γὰρ, ὡς ἔοικεν, ἦν, βασιλέα αὐτὸν γεγονότα σιδηραῖς δεθῆναι· « Vinxit eum argenteis catenis: turpe enim, ut videbatur, erat, regem ferreis vinciri. » Curtius de Dario: « Ne tamen honos regi non haberetur, aureis compedibus Darium vinciunt. Vossius.

Cap. LXXXIII, §. 1. *Impugnabat.*

Malim *impugnarat*. Burmannus.

Cap. idem, §. 2. *In omnia et in omnibus venalis.*

Recte alterum *in* deletur. Ed.

Cap. LXXXIII, §. 2. *Quum Glaucum saltasset, in convivio refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia.*

Moneo distinctiunculam mutandam : « saltasset in convivio, refrigeratus ab Antonio. » Saltasse enim eum vult in convivio, non illic refrigeratum; sed quid hoc verbi, (in hoc significatu intelligo, nam alias vetus) novitii, nisi fallor, et illius ævi? Valet, minus amari; ardorem illum gratiæ extingui; et, ut ita dicam, in amicitiam cujuspiam frigere. Hoc inquam *refrigerari* dicebant, atque ita Suetonii Claudio scriptum, c. 41 : « Quum primum frequenti auditorio commisisset, ægre perlegit, refrigeratus sæpe a semetipso, » id est, frigore et fastidio sæpe affectus a se se. Rem enim ipsam, et teporem illum gratiæ sive amicitiæ, vocabant *frigus*. Plinius, lib. VIII, epist. 14 : « Interim Paullo (recitanti) aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. » Seneca, epist. 123 : « Votienus Montanus, et amicitia Tiberii notus et frigore; » quem scilicet Tiberius et ardenter amavit, et subito fastidivit. Nec peccet, qui Horatium sic explicet, l. II Sat. 1, 62 : « . . . majorum ne quis amicus Frigore te feriat; » etsi alio quoque hoc commode duci haud negem. Suetonii locum noviter corrigo, Aug. cap. 66 : « Desideravit et M. Agrippæ patientiam, et Mæcenatis taciturnitatem; quum ille ex levi rigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas se contulisset. » Nam quis *rigori* hic locus? nec suspicio de eo esse potest, sed sensus. Scripsit vero *frigoris*, hac ista nostra mente : eoque, inquit, secessit Agrippa, quod alieniorem sibi Augustum suspicaretur, et præferri atque in gratia esse Marcellum. Terentii illud huc quoque fecerit : « nimirum hice homines frigent. » Atque omnino amor, ardor est; fastidium aut defectio, frigus. Lipsius.

Ibid. *Dictitans, id probatum a Cæsare, cui ille ignoverat.*

Principes non omnia puniunt, sed non ideo eadem probant. Valet enim ibi illud Curtianum, l. VII, c. 1 : « Lyncestes Alexander, quia primus Alexandrum regem salutaverat, supplicio magis quam crimini fuerat exemptus. » Egregie Livius de Epirotarum legatis, petentibus a senatu, ut in amicitia pristina esse liceret, lib. XXXVI, c. 35: « Responsum datum est, quo veniam impetrasse, non caussam probasse videri possent. » Gruterus.

Cap. LXXXIV, §. 2. *Hinc reges firmissimi, illinc inopia affectissimi.*

Torsit me olim, quum publice legerem, hic locus: credo et illum, quisquis intente leget. An *reges* a Cæsare firmissimi, ab Antonio inopes et imbecilli? planissime contra est; nec dicam plurimi aut potentissimi, sed pæne omnes reges ab illo steterunt. Quid autem est in re? Velleiana adulatio, uti tunc censebam? minime : nec in scriptore, sed in scripto culpa, quam detectam nunc tollo Scripsit Velleius, *hinc remiges*. Vide μεταβολὴν! a sceptris venimus ad remos. Sic oportet; et docebunt te Plutarchus et Dio, Antonium hac parte maxime peccasse, quod hiemem cœptis suis

interposuerit, atque ita classis, quam paratam habuerat, valde viribus imminuerit; quoniam plerique remigum rei inopia aufugiebant, vel morbo peribant. Ita necessum habuit « ex afflictissima Græcia (ait Plutarchus) corripere viatores, agasones, messores, adolescentulos; iisque ægre etiam implevit naves. » Ergo vere hic scriptum *remiges* fuisse *inopia affectissimos* (quæ ipsa phrasis non apte cadit in reges), contra *firmissimos* Cæsari, recentes videlicet et bellis Siculis probe exercitatos. Lipsius.

Cap. LXXXIV, §. 2. *Navium hæc magnitudo : modicave celeritate*, etc.

Lege : « navium hac magnitudo modica, nec celeritati adversa, illac specie terribilior ; » *hac*, scil. parte. Heinsius.

Ibid. *Aliqui transfugiebant.*

Aliquid transfugiebat vetus codex, hoc est, aliquid militum vel sociorum navalium ; ni mavis, *aliquis transfugiebat.* Contra idem codex, cap. 76 : *nisi in is ascendisset*, pro *in id.* Heinsius.

Nihil tam miramur, quam quod vetus lectio, et latina, et plana, et tamen vulgari exquisitior, ab omnibus deserta sit. Ed.

Cap. idem, §. 3. *Nam Deillius, exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cæsarem.*

Krausius hoc loco per omnia Ruhnkenio adsentiens, lacunæ signum post *Dolabella* interposuit. Ed.

Ibid. *Nunquam reginam, nisi nomine salutavit.*

Ita quum Antonius Cleopatræ Artavasden Armeniæ regem captum vinctumque, cum suis, ostenderet, barbari neque alia humilitatis indicia edidere, ad quæ minis promissisque stimulabantur, neque aliter quam *nomine* compellavere, *Cleopatram*, non *reginam* vocantes. Dio auctor, XLIX, p. 475. Boeclerus.

Cap. LXXXV. §. 1. *Pro salute alter, in ruinam alter*, etc.

Ita Pacatus, Paneg. XII, c. 33 : « Tanta erat dissimilitudo caussarum, ut ab illis (Antonianos *intellige*) fuerit romani imperii appetita captivitas, ab his repetita libertas. » Boeclerus.

Cap. idem, §. 2. *M. Lurio.*

Luriorum gens in nummis et titulis obvia est. Hic M. Lurius olim anno U. c. dccxiv per bellum cum Sexto Pompeio ab Octaviano Sardiniæ præfectus erat. Discrepat Plutarchus, Agrippam lævum, Octavianum ipsum dextrum classis cornu curasse narrans. Krausius.

Ibid. *Taurus.*

T. Statilius Taurus, qui olim Octaviani legatus Africam subegerat. Vide

Dion. XLIX, 14. Apud Actium, copiis terrestribus præfectus, equitatum Antonii fudit (Dio, L, 13); ob egregiam hoc bello operam præstitam ab Augusto remuneratus: vid. infra 127, §. 1. Idem est qui theatro lapideo campum Martium ornavit. Vid. Dion. LI, 23; Sueton. Aug. 24. KRAUS.

CAP. LXXXV, §. 2. *Canidius.*

P. Canidius Crassus, ut vocat eum Dio, XLIX, 24, summa gratia valebat apud Antonium, ejusque legatus olim anno U. c. DCCXVIII in bello parthico fuerat. Dio, XLIX, 24; Plutarch. Ant. KRAUSIUS.

CAP. idem, §. 4. *In mortem dimicabatur.*

Sensus est: ne inulti morerentur, quamvis sine duce strenue dimicabant. De atrocissimo post Antonii fugam prælio navali, vide Dion. L, 34, sqq. ED.

CAP. idem, §. 5. *Cessere victoriam.*

Victoria cedere, Quintil. lib. V, 8. Utrumque tamen dici verum est, ideoque contra scriptos nihil facile mutarim; nam et Justinus, l. XXXII, c. 4: « ancipiti periculo circumventi, hosti victoriam cessere. » BURM.

Cessere victoria Heinsio magis arridebat, a quo stare videtur communis latinorum usus. *Victoriam* tamen Burmannus, et in ejus verba Krausius defendunt. Sed Heinsius vincit, aurium judicio, quod duo similiter cadentia verba, *vitam* et *veniam*, proxime sequantur. ED.

CAP. LXXXVI, §. 2. *Ad Sosium alarunt, in prisca gravitate celeberrimi fides, mox diu clem.* etc.

Ut conjecturas multorum in hunc locum non damno, propterea quod in locis adeo desperatis liberrimum uniuscujusque judicium esse oportet; ita mihi, credo, licebit meam suspicionem proponere, quæ est hujusmodi: « At Sosium L. Aruntii, prisca gravitate celeberrimi fides, mox diu clementia. » *Sosium* reposui ex Dione, lib. LI, in pr., qui narrans, quomodo se Cæsar post victoriam achaicam gesserit adversus eos, qui partes Antonii defenderant, hæc subjicit: Καὶ τινῶν καὶ ἐφείσατο καὶ ἐν μὲν τούτοις ὅ,τε Σόσσιος ἐπιφανὴς ἐγένετο (πολλάκις τε γὰρ ἀντιπολεμήσας αὐτῷ, καὶ τότε φυγὼν, καὶ κατακρυφθεὶς, χρόνῳ τε ὕστερον εὑρεθεὶς, ὅμως ἐσώθη), καὶ Μάρκος τις. Nec dubito affirmare hunc ipsum esse, quem in pugna ad Actium cum Poplicola classis Antonii præfectum fuisse, Velleius paulo ante retulit; existimo etiam eumdem esse, qui Antonii in Syria legatus rem valde bene gessit, Judæosque subegit, de quibus postea triumphum egit, qui notatus est in tabulis capitolinis ad U. c. DCCXIX, et biennio post consul fuit cum Cn. Domitio, qui utrique palam Cæsari adversati sunt, seque ad Antonium contulerunt, auctore Dione, lib. L, qui eodem libro meminit Sosii alterius, qui ad Actium interiit in pugna navali, ante ulti-

mam illam, qua debellatum est. Præterea reposui, *L. Arruntii*, insistens vestigiis depravatæ lectionis *Laruntin*. Nobile fuit per ea tempora *Aruntii*, sive *Arruntii* nomen. Proxime Paterculus Arruntium in pugna actiaca lævo Julianarum navium cornu præfuisse, Plutarchus autem mediam aciem tenuisse tradiderunt. L. Arruntii, ejusdem cum illo, ut opinor, aliquot post annis consulis cum M. Marcello, Dio, lib. LIV, et lapides romani meminere. Idem Dio, lib. LV, in annum U. c. DCCLVIII, M. Lepidum L. Arruntium coss. edit. Dicit autem Paterculus: Sosium L. Aruntii fides, mox... Cæsar servavit incolumem; vel quod Arruntius Sosium occultaverit, vel quod ei veniam et incolumitatem a Cæsare exorarit, quod mirifice cum loco Dionis supra adducto congruit. PUTEANUS.

De Sosio confer Ruhnkenii notam, supra c. 85, §. 2, p. 209. ED.

CAP. LXXXVII, §. 1. *Illata aspide in morsu sane ejus.*

Videtur scribendum: « illatæ aspidis immorsu sanioso expertem muliebris metus spiritum reddidit. » Cæterum in Velleii hoc loco Thomas Munkerus castigari volebat: « et illata aspide morsus ejus sanie, » hoc est mordentis ejus, ut apud Phædrum, lib. I, fab. 1, *ad meos haustus*, pro *me haurientem*. HEINSIUS.

Mallem *morsu et sanie ejus*, vel, cum Pontano, lib. I Annal. 8, *morsu sanieque ejus*. BURMANNUS.

« Illata aspide, morsu sanie ejus. » Bipont. Krausius vocem *ejus*, velut dubiam, uncis inclusit, infectamque expressit lectionem: « frustratis custodibus, illata aspide, morsu, sane expers, etc. » Nihil nobis felicius videtur Pontani conjectura, « morsu sanieque ejus; » nisi quod præpositionem *in* retinendam plane censemus, quum id sibi velit Noster, in ipso serpentis morsu sanieque ejus expirasse Cleopatram, quo sensu aliquis *in ipso ictu concidere* dicitur. Nihil ultra quærendum, miramurque aliter visum Ruhnkenio, qui certissimam lectionem in textum accipere debuisset. Voces *que* et *ejus*, non ita literarum forma discrepantes, potuerunt a librario confundi, qui, currente calamo, pro duabus unam posuerit. Quam timide vulgo, tam fidenter hic opinionem nostram asserimus. ED.

Ibid. *Quod nemo.... ab eo jussuve ejus sit interemptus.*

Vanus h. l. est Velleius. Jam enim Antonii filium majorem ex Fulvia Antyllum, Jul. Cæsaris ex Cleopatra filium Cæsarionem, innoxios pueros; Curionem Aquilium, filium pro patre se offerentem, nec tamen sic servato; P. Canidium, Cassium parmensem, Q. Ovinium, teste historia, occidi jussit. BIPONT.

CAP. LXXXVIII, §. 1. *M. Lepidus.*

Conjurationis Lepidi, meminere Suetou. Aug. 19; Liv. Epit. XIII; Dio, LIV, pag. 607; Seneca, I de Clem. 9. BECLERUS.

Cap. LXXXVIII, §. 2. *Equestri et splendido genere natus.*

Alii libri *equestris*, unde suspicor, *equestri, sed splendido*. Fuit equestri tantum genere, inquit, sed illo præ cæteris claro et illustri. Nota ejus prosapia hetrusca præconiis Horatianis, Propertianis, atque aliorum.
Acidalius.

Faveo conjecturæ Acidalianæ; nam duo erant equitum genera, de quibus consulantur indices mei Corneliani, et alioqui Noster supra, cap. 19: « C. Octavius, ut non patricia, ita admodum speciosa equestri genitus familia. » Gruterus.

Ibid. *Otio ac deliciis pæne ultra feminam fluens.*

Mollitiem Mæcenatis in vita et oratione castigat Seneca ep. 114. Effuse indulgebat deliciis mensæ (Plin. Hist. Nat. VIII, 43) et pantomimis (Tac. Annal. I, 54). Krausius.

Ibid. *Non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus.*

Inter præcipuos Augusti amicos, immo principes amicorum fuit Mæcenas, cum exceptione tamen ultimi temporis, quam Tacitus suppeditat III Ann. c. 30: « Provecta enim ætate (quod et Sallustio Crispo acciderat), speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit; fato potentiæ, raro sempiternæ: an satias capit, aut illos, quum omnia tribuerunt, aut hos, quum jam nihil reliquum est, quod cupiant? » Beclerus.

Ibid. *Angusti clavi pæne contentus.*

Fuit, quum ego castigandum censerem, *angusti clavi fine contentus*; sed *contentus* regit etiam casum secundum, ut monui ad Nasonem, Metam. XV, v. 515, ubi scriptus liber omnium, quos vidi, veterrimus: « Corda pavent comitum; mihi mens interrita mansit, Exsilii contenta sui. » Tum et eædem optimæ membranæ apud eumdem Nasonem, Metam. V, v. 169: « contentusque fugæ est. » Leg. 37, §. nuptura de leg. 3: « Quoniam in his expressit, ut contentus esset partis dimidiæ dotis. » Justin. l. XLII, c. 2: « Scythæ, contenti victoriæ, in patriam revertentur. » Ita nimirum optimis Fuldanis in membranis se reperisse exaratum Modius testatur. Dictys Cretens. lib. II: « Cæterum Achilles haud contentus eorum, quæ gesserat, Cilicas aggreditur. » Curtius, lib. VI, c. 2, ut quidem locum exhibent pervetustæ membranæ, quas in Etruria apud Florentinos magni ducis asservat Bibliotheca ad D. Laurentii: « Satietatem epularum ludis interpellabat, non contentus artificum, quos e Græcia exciverat. Turbæ quippe captivæ jubebantur suo ritu canere inconditum et abhorrens peregrinis auribus carmen. » Quæ vulgo nævis compluribus inquinata circumferuntur. Hæc jam scripseram, quum incido in librum de Constructione viri summi Gerardi Johannis Vossii, qui operis grammatici postremus est, ubi plura exempla congessit, ut Livii illud ex Linacro, « contentus libertatis; » Appuleii ex Scioppio, « contenta manus unicæ; » ut locum Velleianum non

esse tentandum liqueat. Et gaudet hisce non parum Velleius, ut *acer belli*, lib. I, c. 3; *clarissimus disciplinæ*, c. 5 hujus libri, quod frustra sollicitabat ol. Puteanus; *effusissimus munificentiæ*, c. 41; *cupiti interritus*, c. 45; *lætus animi et ingenii*, c. 93. Eleganter autem, « pæne contentus angusti clavi Mæcenas, » quod quamvis intra ordinem equestrem se videretur continere, tamen urbis præfecturam, quod munus equestri ordine majus, administraret, et plurimum gratia atque auctoritate posset apud Augustum Cæsarem. Heinsius.

Priori tamen Heinsii conjecturæ, *angusti clavi fine*, quantum in nobis est favemus, quæ forsan ad illum Senecæ Tr. locum respicit : « ... Hic nullo fine beatus, Componit opes, gazis inhians, » Herc. F. act. I, chor. Bipontina legit *angusticlavii persona*. Krausius verbum omissum *honore*, *decore*, vel *insigni*, putat, et *sane* pro *pæne* scribendum. Cludius, *angusto clavo bene contentus*; Mæbius, ab illo citatus, *angusti clavi panno*, proxime accedens ad Rubenii conjecturam, qui *pænula* proponebat. Ed.

Cap. LXXXVIII, §. 3. *Per summam quietem ac dissimulationem.*

Quod sæpius monere poteram, semel notabo, quam sit in sua expositione Velleius πολιτικὸς καὶ ἠθικός. Ecce quam paucis verbis, quantum politicæ artis hic inclusit ? Nonne enim omne et consilium et encomium opprimendarum conspirationum in eo versatur, ut dissimulata speculatione veluti aliud agendo, et per speciem otii, consilia scelerata observentur, et in ipsa temeritatis molitione deprehendantur ; deprehensa autem celeriter et absque omni περιεργίᾳ vindicentur, prius quam tumultus aliquis exoriri, rerumque aut hominum perturbatio intervenire possit, quæ plerumque difficilem eam medicinam reddit. Becleru s.

Ibid. *Æquetur prædictæ jam Antistii Servilia Lepidi uxor.*

In autographo legebatur : « prædictæ jam Antistiæ Servilia Lepidi uxor. » Emendandum putaverim : « prædictæ jam Antistii, Servilia, etc. » ut *uxori* ἀπὸ κοινοῦ intelligatur. Porro fidem vix mereri videtur, quod de Servilia narrat Paterculus. Sane omnes antiqui id uno ore Porciæ, Bruti conjugi, adsignant ; altumque de Servilia silentium apud Valerium Maximum, diligentem rerum talium notatorem, quique iisdem temporibus vixerit. Ut hæc mittam, nemo historicorum Serviliam Lepidi uxorem dixit; sed Antoniam, triumviri filiam, ut apud Dionem, l. XLIV, legas. Quæ etsi satis verisimilia videantur, tamen Velleio non ausim fidem detrahere : nam factum illud Serviliæ etiam respicere videtur Ælianus, XIV, 45, Variæ Hist. : Γυναῖκας τῶν Ῥωμαίων ἐπαινοῦμεν Κορνηλίαν, καὶ Πορκίαν, καὶ Κεστιλίαν. Quæ enim fuerit illa *Cestilia?* censuerim Σερβιλίαν reponi debere : potuit enim eam Lepidus, Antonia spreta vel mortua, superducere. Vossius.

Optima Vossii emendatio; frustra quidam Calpurniæ nomen hue inserere voluerunt. Supplendum est *uxori*, ex sequentibus. Sexcentesima est

hujusmodi apud Nostrum ἰλλειψις; hæc autem eo facilius toleranda, quod vulgo quum apud Græcos, tum apud Latinos, *filius*, *frater*, *uxor*, et talia subaudiri solent. Ed.

Cap. LXXXVIII, §. 3. *Vivo igni devorato.*

Ignis vivus est calens, ardensque, ut contra extinctus, *sopitus*. Sic Horatius, lib. III Carm., od. 21: « Vivæque producant lucernæ; » Virgil. V Æneid.: « Sopitos suscitat ignes; » ibidem: « Udo sub robore vivit Stupa vomens tardum fumum. » Habet autem proverbii formam, *vivum ignem devorare*, flammam ori includere, de re difficili et periculosa. Petronius, Satyrico: « Nam citius flammas mortales ore tenebunt, Quam secreta tegent. » Symmachus: « facilius est ardentes favillas ore comprimere. » Cicero II, de Oratore: « Dicere aiunt Ennium flammam facilius ore in ardente opprimi, quam bene dicta tenere. » Popma.

Eodem genere mortis Porcia, audito conjugis Bruti exitu, usa traditur Val. Max. IV, 66, et Plutarch. in Brut. extr., qui præter Valerium laudat Nicolaum philosophum. Sed idem Plutarch. ambiguum id facit, epistolam quamvis incertam laudans, qua Brutus uxorem suam lamentatus est. Quemcunque exitum habuerit Porcia, silentium Val. Maximi de hac Servilia non impediat, quo minus fidem habeamus certiori Velleio. Bipont.

Cap. LXXXIX, §. 1. *Nihil deinde.*

Krausius vulgatam lectionem adversus Ruhnkenium egregie tuetur. *Deinde* transitum indicat a favorabili Augusti reditu ad ea quæ redux in publicam felicitatem molitus est. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Repræsentaverit*

H. e. præsenti beneficio præstiterit. Loquendi ratio a re pecuniaria ducta esse videtur, in qua significat statim solvere, præsenti pecunia. Vid. Gron. de Pecun. vet. I, 6. Hinc omnino dicitur pro: sine mora, illico aliquid facere, seu perficere, præstare. Cicero ad Div. V, 16: « neque exspectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. » Krausius.

Cap. idem, §. 3. *Finita vicesimo anno bella civilia.*

Nam a Lentulo et Marcello coss., quibus civilia arma primum sumpta, usque ad Cæsarem v et Sex. Apuleium coss., quibus posita sunt, tot anni numerantur. Quæ deinceps Augustus gesserit, habes quoque apud Virgilium, VIII, et Ovidium, XV Metam. Schegkius.

Ibid. *Tantummodo octo prætoribus allecti duo.*

An ergo jam octo prætores? Certe illis *octo prætoribus*, qui antea erant, jam Julius Cæsar, duos primo, mox plures adjecerat. Sed Velleius noster Julianum numerum, quippe extra ordinem et ad tempus usurpatum, negligere, ac de octonario ordinario, cujus passim apud Ciceronem mentio,

loqui videtur. Cæterum de numero prætorum varie aucto imminutoque egit Lipsius in excurs. ad I Ann. Taciti, (nostr. edit. t. IV, p. 331). BECLER.

CAP. LXXXIX, §. 3. *Antiqua reipublicæ forma revocata.*

Quæ illa forma? an libertas? Adulatur hic Velleius; quamquam de *simulatione Augusti*, verissime equidem dicitur. Nihil magis Augusto inter initia curæ, quam, simulacro libertatis et reipublicæ improvidis populi animis objecto, vim principatus interim complecti et intendere. « Est enim omnis dominationis novæ arcanum primarium, simulatio antiquæ, » quod nec Tiberius postea omisit usurpare. BECLERUS.

Quantum a Velleio dissentit gravissimus historiarum auctor Tacitus! cujus non pigebit locos huc nonnullos afferre, tamquam optimum aulicæ adulationis ἀντίδοτον, Ann. lib. I, cap. 2 et 3: « Posito triumviri nomine, consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunitio jure contentum; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere; nullo adversante, quum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, cæteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur.... Domi res tranquillæ; eadem magistratuum vocabula. Juniores post actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotusquisque reliquus, qui rempublicam vidisset? Igitur, verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris: omnes, exuta æqualitate, jussa principis aspectare. » ED.

CAP. idem, §. 4. *Senatus sine asperitate nec sine severitate lectus.*

Dio, LII, 42; LIV, 13 et 14. Sueton. Aug. 35. KRAUSIUS.

Ibid. *Principes viri.... ad ornandam urbem illecti.*

Suetonius, Aug. 29: « sed et cæteros principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis, vel novis, vel refectis et excultis, urbem adornarent. » Tacitus ita de hoc more loquitur, III Ann. 72, 1: « Erat etiam tum in more publica munificentia, nec Augustus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hostiles exuvias et exundantes opes, ornatum ad urbis et posterorum gloriam, conferre. » Quæ verba magnam μείωσιν habent, monente Casaubono, si cum Velleio et Suetonio conferas. BECLERUS.

CAP. idem, §. 5. *Dictaturam quam pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter repulit.*

Valde errant Brissonius et Popma, qui τὸ *tam*, pro *valde*, poni asseruut: nam *quam* heic non pronomen, sed adverbium, eique τὸ *tam* opponitur. VOSSIUS.

Anno post consulatum XI, populus Augusto dictaturam deferebat; etiam illum curia inclusum incendia minando cogere voluit. Vide Dion, LIV, 1; Suet. Aug. 52. Recusavit ille sublatum in perpetuum e rep. magistratum,

lege quam tulit Antonius post Cæsaris mortem, laudata apud ipsum Cicer. Philip. I, 3. Ed.

Cap. LXXXIX, §. 6. *Bella sub imperatore gesta.*

Additæ non sine caussa duæ voces, *sub imperatore*, quæ cum prioribus collatæ idem valent, ac si diceretur : quum *dictaturam* respuisset, *imperator* esse maluit; cujus nominis ut vim impleret, bella suis auspiciis gerenda felicissime curavit. Ed.

Ibid. *Imaginem principatus ejus oculis animisque subjecimus.*

Subjiciemus res ipsa vult : dicet enim, non dixit. Lipsius.

Subjecimus, etiam ad sequentia referri potest : nam auctor de opere suo loquens recte hoc tempore uti potest; quare nihil mutem. Burmannus.

Nobis auctoribus scribe *subjicimus*; quamquam Burmanni interpretationi favet Krausius, prolato etiam loco Polybii, III, 23, ubi ὑπογεγράφαμεν, de iis quæ paulo infra scribenda erant, positum fatemur; sed vim compositi verbi non satis videtur attendisse Krausius. Ed.

Cap. XC, §. 1. *Coalescentibusque reipublicæ membris, et coram altero*, etc.

Tria hæc verba, quæ vulgo adduntur, *et coram altero*, Aldus tollit, atque alii illo duce. Nec nego sententiam absque iis probam esse : unde tamen sic frustra irrepserint? Mutari melius videatur : « et curante eo quæ tam longa; » nempe Augusto salutarem curam et medicinam adhibente reipublicæ laceræ. Lipsius.

Sequor literarum ductum, et scribo, « eo cura majore, quia tam longa, » vel, « et eo cura majore; » et hoc facit ad laudem Augusti : vult enim eo majore cura opus fuisse ad componenda reipublicæ membra, quod per tam longam tot bellorum seriem misere ea jam essent lacerata. Nempe mala inveterata majorem requirunt curam, ut tollantur, quam quæ nondum ipso usu convaluerunt. Sic lib. II, cap. 106 : « mira felicitate et cura ducis. » Heinsius.

Lips. emendat *et curante eo*, sc. Augusto; Voss. *eo curante serio*. Nos aliam rationem, *egit curam externorum, quæ*, etc. ex iis quæ jam narravit externa, invenimus. Tacit. Hist. I, 79, ait : « Conversis ad civile bellum animis, externa sine cura habebantur. » Ita, jam compositis civium bellis, Cæsar transiit ad curam externorum, seu provinciarum. Sulla aliam rationem secutus, supra cap. 24 : « Repulsoque externo metu, ubi quod alienum esset vicisset, superaret quod erat domesticum. » Forsan et malis h. l. *alienorum* pro *externorum*; perinde enim est. Bipont.

Ingeniosissima et, nisi fallimur, vero proxima Lipsii conjectura. Non multum ab eo sensu digredietur, si quis nobiscum emendarit, *et curatis aliquando*, ac deinde scripserit, *tam longa annorum series*, quo ex ipsa verborum oppositione venustior fiat oratio. Krausius controversas voces textu

ejiciendas putat, quod sane minoris esset negotii; non tamen Bipontinam lectionem, quam ne nostræ quidem posthabemus, ut severissimo, ita iniquissimo judicio damnare debuisset : nam si *alienorum* pro *externorum* legas, sensus lectione Bipontina optime restitutus erit, pæne salva manuscripti fide. Herelius præclare etiam tentabat *junctura meliore*, hoc sensu : lacerata reipublicæ membra, Augusto sapienter moderante, non solum coaluisse denuo, verum etiam melius multo artiusque juncta inter se esse atque compacta, adeoque in posterum validiora. Cludius, in corpore hist. latinorum, Nodelli hanc sententiam laudat : *et coierunt alia, quæ*, etc., ut sensus post *laceraverat* claudatur; necnon aliam recensoris Berolinensis, cum Grunero legentis, *in corpus antiquum* : ipse vero Rosenheynium secutus edidit, *et curatis aliis omnibus*, quod aliqua ex parte ad nostram lectionem accedere gaudemus. Ed.

Cap. XC, § 1. *Dalmatia* xx *et* cc *rebellis.*

Obscurum, sive mutilum est; et intellige *annos*, aut adde. Hoc sane vult, annos ccxx medios esse, a quo tempore vinci Dalmatia cœpit ad nunc victam. Primum autem bellum in Illyrios et Dalmatas fuit sub Teuta eorum regina, anno dxxv; postremum nunc, quum victi et domiti ductu Tiberii, auspiciis Augusti, anno dccxliv. Facilis supputatio. Lipsius.

Facile erit *annos* subaudire, si paulo ante nobiscum legeris, *annorum series*. Ed.

Ibid. *Ad certam confessionem pacata est imperii.*

Ita fere supra in recensione provinciarum : « Certam Hispanis parendi confessionem extorserat. » Acidalius.

Ibid. *Alpes feris multisque nationibus celebres.*

Rectius fuerit, « feris incultisque nationibus. » Sic Pomp. Mela, lib. I, cap. 19 : « Reliqua ejus feræ incultæque gentes, vasto mari adjacentes, tenent. » De Alpinis Livius, lib. XXI, c. 32 : « homines intonsi et inculti. » De Britannia idem Mela, lib. III, c. 7 : « Fert populos regesque populorum; sed sunt inculti omnes. » Tacitus, Ann. lib. IV, cap. 46 : « Decreta triumphi insignia Poppæo Sabino, contusis Thracum gentibus, qui montium editis inculti, atque eo ferocius agitabant. » Vide infra cap. 116. Iterum Tacitus, Annal. lib. XIV, cap. 24 : « Ventum dehinc in locos cultos, demessæque segetes. » Heinsius.

Cap. idem, §. 2. *Primo anno secundi punici.*

Minime probamus ab Heinsio huc insertum nomen belli, cujus omissio neminem ante hunc interpretem læserat; nec mirum, in auctore brevitatis etiam injucundæ studioso, ut sæpe alias adnotatum. Ed.

CAP. XC, §. 2. *Amissis populi romani imperatoribus, exercitibusque.*

Bipontina ex manuscripti vestigiis fecit, *amissis P. R. tot imp.*, etc. Sed male, quum paulo infra sequatur : « illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces. » Quamquam enim ingratis repetitionibus sæpe laborat Noster, inutile est plura illi vitia de alieno obtrudere. ED.

CAP. idem, §. 3. *Contumelioso* xx *annorum bello sub duce Viriatho.*

Puto, xv. Tot enim annis circiter duravit bellum, quod Viriatho potissimum duce gestum. Lipsio placuit, x *annorum*; cui hac in re non faveo. Scio quidem, Viriathi imperium non ultra patere; sed videtur Velleius de duratione belli, potius quam annis imperii Viriathi, loqui. Et hac ratione etiam defendi possint epitomator Livii, l. CXIV, et Florus, l. II, c. 17, qui Viriathum XIV annos cum Romanis bellasse scribunt. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 3. *Per quinquennium.*

Atqui octo *annos* bellum hoc Sertorio duce gestum, et octavo ipse cæsus. An ergo *octennium* hic legimus? an vult priores *quinque* annos ambiguos, reliquos non sic fuisse? LIPSIUS.

Quinquennium sunt priores hujus belli anni, quibus iniquo marte a Romanis pugnatum est. KRAUSIUS.

CAP. XCI, §. 1. *Phraates.*

Dio et cæteri scriptores Orodis filium Pacorum, non Phraatem edunt, ut fortasse hic quoque *Pacorus* pro *Phraates* reponendum sit. URSINUS.

Desidero hoc loco majorem in Ursino curam, qui pro *Phraates* substitui rectius posse putat *Pacorus*: nam hunc, ait, historicorum consensus Orodis filium facit. Quasi vero Orodes plures habere filios non potuerit. Immo ex Justino, Dione, Zonara, ac aliis, triginta eum filios habuisse constat, interque eos Pacorum et Phraatem. Præterea temporum quoque ratio Ursini conjecturam respuit: nam ex iisdem auctoribus, immo et Velleio, constat, Pacorum ante fugam Antonii a Ventidio jam fuisse occisum. VOSS.

Ibid. *Signa romana.... remissa sunt.*

Recepta a Tiberio. Sueton. Aug. 21, Tiber. 9. SCHEGKIUS.

Ibid. *Quod cognomen illi viro, Planci sententia, consensus universi S. P. Q. R. indidit.*

Ante diem XVI kalendar. februar. Censorinus, c. 21; contra Ovidius, idibus januariis; Fast. I : « Idibus in magni custos Jovis æde sacerdos Semimaris flammis viscera libat ovis. Redditaque est omnis populo provincia nostro, Et tuus Augusto nomine dictus avus. » De vocis significatione idem, Suetonius, Dio, Eutropius. SCHEGKIUS.

De *Augusti* cognomine complusculа sunt, quæ ad Suet. Aug. 7, notata

reperies in Diatribis Berneggerianis. Adde, si placet, commentationem de Auspicio regio. Bœclerus.

Cap. XCI, §. 1. *Illi viro.*

An, *illi vivo?* nam Florus, I. IV, c. 12: « Reverentius visum est nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine et titulo consecraretur. » Burmannus.

Cap. idem, §. 2. *L. Murena et Fannius Cæpio.*

L. Murena e Liciniis (vide Dion. LIV, 3). Adoptatus vero a L. Terentio Varrone, unde Varro Murena dicitur Suet. Aug. 19, Tib. 8; Tacit. Ann. I, 10. Ejus soror Terentia nupta erat Mæcenati. V. Dion. l. l. Eodem teste vir liberrimi spiritus, qui caussam Primi, Macedoniæ præfecti olim, ob bellum Odrysis illatum rei, agens, vehementer in Augustum, qui judicio aderat, invectus est. Hac ex rixa conjuratis, quorum dux Fannius Cæpio erat, se adjunxit; certe ita arguebatur. Krausius.

Fannius Cæpio, haud dubie Serviliæ gentis (Glandorp.), princeps conjurationis per Castricium Mæcenati indicatæ, cum L. Muræna conscio fugit, adjuvante Mæcenate qui Terentiæ uxoris fratri parcere volebat (Dio, LIV; Sueton. Aug. 66) accusatus a Tiberio, damnatus est absens. Ab uno servorum mira fide custoditus (Macrob. Saturn. I, c. 11) ab altero proditus est (Dio, l. c.) deprehensus videtur sibi mortem conscivisse, ex Martiale lib. II, epigr. 80: « Hostem quum fugeret se Fannius ipse peremit. Hic rogo non furor est, ne moriare mori. » Ed.

Cap. idem, §. 3. *Rufus Egnatius.*

M. Egnatius Rufus dicitur a Dione, LIII, 24, qui de ædilitate ejus conspirat cum Velleio, præter quem nemo veterum scriptorum ingenium hominis tam diligenter notavit. Conjurationis Egnatii inter alias obiter tantum mentio fit apud Sueton. Aug. 19; Tacit. Ann. I, 10; Senec. de Clement. lib. I, c. 9; de Brev. vit. 5. Animus Egnatii elatus quo despexit Augustum (V. Dion, LIII, 24), et repulsa quam in consulatu petendo tulit (infra, 92, §. 4), iram ejus et consilia acuisse videntur. Krausius.

Ibid. *In tantum quidem, ut ei præturam continuaret.*

Non quia bis prætor; sed hoc modo vult, continuasse eum et junxisse præturam ædilitati: opus enim intervallo annorum erat a magistratu ad magistratum; Egnatius id neglexit. Ipse Velleius ita interpretatur capite seq., dum ait, « præturam ædilitati junxisse. » Dio idem indicat lib. LIII. Lipsius.

Ibid *Quum esset omni flagitiorum scelerumque conscientia mersus.*

Insolens loquendi modus, si recte attendis; quamquam Livius *mersum*

secundis rebus Alexandrum Magnum dixit libro IX, cap. 18. Fors sit, ut dederit Velleius: « omni flagitiorum scelerumque ceu sentina mersus. » Sic « mersam vitiorum cæno Romam » Petronius dixerat carmine de bello civili. Florus, lib. III, cap. 12: « Illæ opes atque divitiæ adflixere sæculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina, rempublicam pessumdedere. » Valerius Maximus, *ceu sentina mersus*. Heinsius.

Cap. XCI, §. 4. *Et idem passurus minus conspici.*

Hoc est, in communi omnium occidione latere, pereuntem ob nefaria consilia. Krausius.

Ibid. *Abditusque carceri cum consciis facinoris.*

Verius arbitror, *addictusque*; quod ni est, ego me tibi mancupi addicam. Acidal.

Recepit Acidalii conjecturam Hudsonius; sed licet rarior sit hujus verbi constructio cum dativo, quum Virgilius aliique cum ablativo, vel cum accusativo, addita præpositione *in*, jungant, non tamen plane sine exemplo hæc scripsit Velleius; nam et Virg. Æneid. II, 553: « Lateri capulo tenus abdidit ensem; » ubi Cerda, ex Senecæ Troad. 48, profert: « Alto nefandum vulneri ferrum abdidit; » et in multis locis veterum dubium esse potest, an dativus, an ablativus sit. Certe apud Cicer. pro Arch. 6: « si qui ita se literis abdiderunt, » Stephanus censebat dativum esse. Burmannus.

Cap XCII, §. 2. *Aberat in ordinandis Asiæ Orientisque rebus.*

Malim, *aberat ordinandis rebus*. Heinsius.

Ibid. *Tum Sentius, forte et solus, et absente Cæsare, consul.*

Solus, quod, uti superiori anno DCCXXXIV factum erat, locus reservabatur Cæsari, qui ipse consulatum gerere recusans, dein Q. Lucretium designavit consulem alterum. Bipont.

Cap. XCII, §. 2. *Vetere consulum more ac severitate.*

Verba hæc omnia Krausius, post censorem editionis Ruhnk. in Ephemer. liter. Gœtting. ann. 1779, uncis inclusit. Enimvero nisi a glossa profecta essent, scriptorum negligentissimus merito posset haberi Noster. Ed.

Cap. idem, §. 3. *Consularem, si in campum descendissent, vindictam minatus.*

Comparat Burmannus ad h. l. Horat. carmen. III, od. I: « . . . hic generosior Descendat in campum petitor. » Ex re et solenniter dicitur *descendere in campum*, quum hic depressior esset reliqua urbe maximam partem in montibus sita. Cfer Ernesti Clav. Cicer. sub verbo *descendere*. Minatur consul se vindicaturum pro consulari imperio. Quali autem pæna id licebat, non constat; fortasse obstinati e campo per lictores removendi. Kraus.

CAP. idem, §. 4. *Consulatum præturæ se juncturum.*

Sensus esse non potest : Egnatium se statim ex prætura consulem fore sperasse; prætor enim fuerat ante septennium, anno DCCXXVIII. Krausius igitur intelligit : sperabat se, qui prætor fuisset, etiam consulem futurum. Sed quia priori sensu vox *jungere* usurpata est supra cap. 65, §. 3, Vossius hic *præturam* vocari putat *propræturam*, quæ nomine carebat apud Latinos. ED.

CAP. XCIII, §. 2. *Per M. Agrippam.*

Agrippa enim summopere a populo diligebatur, neque parum meritis suis in remp. et Augustum fidebat; ideo nec Augustus ausus est Marcellum ei præferre. Unde prima offensionum inter Marcellum et Agrippam semina; quæ ne erumperent, Augustus sub specie ministeriorum principalium Agrippam ablegavit. Dio, LIII, pag. 593; ubi etiam de magnificentissimo Marcelli munere. Adde Sueton. Aug. 66. BECLERUS.

CAP. idem, §. 3. *Filiam Cæsaris Juliam.*

Coactus repudiare priorem uxorem, quamvis esset sororis Augusti filia. Matrimonii bujus caussa duplex : altera e temporibus et negotiis petita (volebat enim Augustus, quum abesse Roma cogeretur, ad coercendas subnascentes turbas præficere urbi Agrippam; qui prudentia tantæ rei par, etiam dignitate principalis matrimonii ad venerationem publicam provehendus videbatur); altera e profunda ratione status, quam vocant, sive potius e consiliis dominationis; dum callidissimus Mæcenas in aurem principi insusurrat : « Agrippam jam tantum fecisti, ut vel gener tibi asciscendus, vel occidendus sit. » Heu! quantus ab extremo in extremum saltus! nimium ille quidem, nimium magnis aulis familiaris; adeo inter summa et ima apud *Statistas*, si volunt ita appellari, nihil medium est. Adi Dionem, LIV, p. 600. BECLERUS.

CAP. XCIV, §. 1. *Ut prædiximus.*

Errant qui hæc verba referri putant ad cap. 75, ubi dictum de Livia fugiente, vix bimo Tiberio; sed revocantur, quæ cap. 79, iisdem fere verbis, de Livia uxore ducta narravit, quo tempore Tiberius trimus erat. BIPONT.

CAP. idem, §. 2. *Visusque prætulerit principem.*

Id videtur ita emendandum : *visuque prætulerat principem*, etc.; nam præcedit, *sperari potuerat*, etc. Sententia vero respicit Euripideum illud : εἶδος ἄξιον τυραννίδος. URSINUS.

CAP. idem, §. 3. *Maximam difficultatem annonæ.*

Suetonius etiam in Tiberio, c. 8, testatur, « cum curam administra-

visse annonæ, quæ arctior inciderat. » Crebra ea difficultas Romæ, indeque magna laus aut odium recte secusve administrantibus : « Sane annonæ cura aliquando Pompeio non minus addidit gloriæ, quam pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, Oriens triumphis Occidensque lustratus, » teste Plinio in Paneg. 29; vide Dion. LIV, pr. Lips. Elect. I, 8. Cæterum quæ illa, et cujus sollers cura, sufficere potuit rei annonariæ Romanorum, ac in longum satis providere? Non immerito aliquis miretur tanti imperii tam periculosum et anceps vitium. Ut ali posset populus romanus, peregre et longinquis e locis advehenda erat annona; adeo quidem, ut horreum Romanorum, Ægyptus, vel armis occupata vel sterilitate depleta, fame potuerit Italiam urgere (Tacit. Ann. I, 59, 4). Igitur hæc inter intimas et secretissimas principum sollicitudines non postrema fuit; sicut Tiberius fateri opus habuit, apud Tacit. Ann. III, 54, 6, in gravissima illa ad senatum epistola : « At Hercule nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur, ac nisi provinciarum copiæ et dominis, et servitiis, et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur. Hanc P. C. curam sustinet princeps; hæc omissa remp. funditus trahet. » Neque tamen potuit ille ipse, qui de hac cura gloriatur hoc loco, providere, quin subinde *gravitate annonæ juxta seditionem veniretur* (Tac. Ann. VI, 13, 1). Caussa hujus mali, primo ex divitiis et affluentia, quam tot victoriæ pepererant; hinc a labore et studio agriculturæ in otium et voluptates versa plebs annonam accipere potius, quam parare assuevit. Altera caussa latet in visceribus degenerantis reip., dum magistratus quidam affectationa popularitatis largitioni frumentariæ studebant; et mox perturbata assiduis novis molitionibus republica, quicunque dominationem cupiebant, *annona populum* inescabant, sive, quod Tacitus etiam inter arcanas Augusti artes refert, I Ann. 2, 2, *pelliciebant.* Quid hoc erat aliud, quam ad otium et cessationem ab agricultura, veluti signum omnibus sustollere? Scilicet ita obnoxiam sibi fidamque plebem reddebant, ac si ejus vitam et necessitates, copiam inopiamque veluti in manu haberent. Testatus quidem est ipse Augustus, prodente Suetonio Aug. 42, « se *aliquando* impetum cepisse, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret; neque tamen perseverasse, quia certum haberet, posse per ambitionem quandoque restitui. » Vide quæ ad hoc argumentum pertinentia P. Cunæus commentatus est lib. I de Rep. Heb. cap. 3. Boeclerus.

Cap. XCIV, §. 4. *Regnum ejus Artavasdi tradidit.*

De Artavasde legere non memini, de Tigrane monet Dio; Suetonius Tiberio, 9 : « Deinde ducto ad Orientem exercitu, regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit. » Tacit. Annal. II : « Datus a Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone; nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam sociatis more externo in matrimonium, regnumque. Dein jussu

Augusti impositus Artavasdes, et non sine clade nostra dejectus.» Patet dissensio, non conciliatio, nisi si forte dixeris cum Velleio, et istum a Tiberio deductum : nam erroris Velleium, qui ejus ævi, arguere haud animi. Schegkius.

Mihi sedet mutilum defectumque locum esse (nonne multa in hoc libello?), et fuisse antea : « regnum ejus Artavasdi ereptum, Tigrani tradidit ; » aut tale in hunc sensum : nam etsi Tacitus et Josephus *Artaxiam* regno dejectum volunt, non *Artavasdem*, tamen pro Velleii hac scriptione etiam Dio sit, qui lib. LIV, in actis anni DCCXXXIV, diserte scribit, « Tiberium missum ut Artabazen (idem ille cum Artavasde) regno pelleret, et Tigranem ei imponeret. » Lipsius.

Artavasdes, qui ab Antonio captus et post necatus fuit, duos filios reliquit, Artavasdem et Tigranem; ex his minori regnum tradidisse Tiberium referunt Suetonius et Tacitus, Velleius majori : cujus dissensionis caussam puto esse, quod Tiberius utrumque regem fecit, sed priorem a seipso, alterum deinde jussu Augusti. Pojma.

Vulgatam lectionem satis ferri posse censeo. Videtur Velleius Tigranem omisisse, quod, ut ait Tacitus, brevi tantum spatio imperarit. Nec est, quod quis Artavasdem jussu Augusti deductum dicat : nam et idem de Tigrane ex Tacito cognoscas. Sufficit, si a Tiberio, jussu Augusti, regno impositum statuamus. Vossius.

De Artavasde tantum loquitur adulator, ne quid a Tiberio factum memoret, quod paulo post infectum fuerit. Ed.

Cap. XCIV, §. 4. *Cujus rex quoque Parthorum*, etc.

Puto, *quum rex*. Lipsius.

Lipsius perperam, *quum rex quoque Parthorum*; constructio est, *cujus tanti nominis*. Si quid mutandum, scripserim : « cujus rex quoque Parthorum tanta nominis fama territus. » Heinsius.

Optimam Ruhnkenii lectionem, *quin rex quoque*, Krausius et Cludius receperunt. Equidem dubitare nefas duxerim. Ed.

Cap. XCV, §. 1. *Quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia.*

Tertio novi conjugii mense. Hinc tum Romanis ille versiculus vulgabatur : Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία· « Fortunatis et trimestres nascuntur liberi. » Bipont.

Cap. idem, §. 2. *Uterque, diversis partibus, Rhætos Vindelicosque aggressi.*

Has Neronum res gestas describit, Augusto gratulans, Horatius, Carm. IV, od. 14; et cum historico vates ita consentit, ut duo prope coævi scriptores inter se compositi mutuam sibi lucem afferant : « Drusus Genaunos, implacidum genus, Brennosque veloces, et arces Alpibus impositas tre-

mendis, Dejecit acer plus vice simplici : Major Neronum mox grave prælium Commisit, immanesque Rhætos Auspiciis pepulit secundis. » Ac paulo infra, quemadmodum in Velleio legimus, « majore cum periculo quam damno romani exercitus, » sic apud Horatium : « Primosque et extremos metendo Stravit humum, sine clade victor. » Totus conferendus est locus. Ed.

Cap. XCV, §. 3. *Censura Planci et Pauli.*

Dio, LIV, pr.; Sigon. Comment. in fast. et triumph. Rom. ad ann. U. c. dccxxxi. Cur Augustus tales constituit censores, quum hoc magistratu nihil debeat esse gravius sanctiusque? An voluit hac ratione caussam struere et magnificam in publicum speciem quærere, cur in posterum censuram perpetuam, quam hactenus per accisumum recusaverat, princeps deberet suscipere? Ita enim nec discordiis locum, et officio dignitatem dari, vitiis hujus censuræ moniti, crediturí erant cives. Certe non abhorret talis calliditas ab illa Augusti arte, qua *paulatim*, per occasiones et machinamenta, munia magistratuum legumque ita in se traxit, ut sponte et merito concessa viderentur. Buclerus.

Ibid. *Nec quicquam objicere posset adulescentibus, aut objicientes audire.*

Quamvis ipse non objiceret, objicientes tamen adolescentibus vitia sive collegam suum, sive alios magistratus, audire oportebat; quod illi erubescendum erat, qui censorem ipse timere deberet ob nimiam morum corruptelam. Ed.

Cap. XCVI, §. 1. *Ut et Neronis esset socer.*

Habuit enim Tiberius Vipsaniam Agrippinam, Agrippæ ex Pomponia Attici filia gnatam; quam dimittere coactus, demum duxit Juliam Augusti filiam. Bipont.

Ibid. *Caii ac Nepotes suos, D. Augustus, præpositis Gaii ac Lucii nominibus adoptaverat.*

Ex Julia, quæ fuerat Agrippæ nupta, (supra 93, §. 3) natos, et per æs libramque a patre emptos : v. Sueton. Aug. 64; Tac. Ann. I, 3, et quidem statim post Lucium natum an. U. c. dccxxxvii. Inde acceperunt nomen Cæsarum, *præpositis* prænominibus suis. Krausius.

Cap. idem, §. 2. *Quod inchoatum Agrippa, M. Vinicio avo tuo consule.*

Verba et notatio, quæ viros doctos late induxit in errorem : nam censent ii, qui fastos nobis industrie et perite collegerunt (Sigonium et Onufrium me dicere palam est); censent, inquam, Agrippam Vipsanium

quartum fuisse consulem; atque ita adnotant, alter in anno DCCXXXIV, alter DCCXXXV. Quinetiam mirantur in lapide Colotiano, ubi accurata recensio suffectorum consulum, Vinicium poni, negligi aut non exprimi Agrippam. Ego illos ab errore non revoco (abierunt in communem locum), sed lectori caveo et inclamo, ne cum iis erret. Non fuit hoc anno aut alio M. Agrippa quartum consul; tertium ille consulatum non transcendit. Quo teste? ipso Velleio supra, ubi de Agrippæ laudibus: « quem usque in tertium consulatum amicitia principis evexerat. » Nonne majus aliquid esset, si in quartum; et Velleius hoc negligat aut omittat? Quin testes fastos veteres et memorias omnes advoco: nusquam Agrippa nisi tertium consul. Ita et Martialis aperte, lib. VIII, epigr. 66: « Felix purpura, tertiusque consul, Pompeio dederit licet senatus, Et Cæsar genero sacros honores, Quorum pacificus ter ampliavit Janus nomina; » quæ ad ternos Agrippæ consulatus spectant, et licet interpretes non ultra errent. Tertium igitur consul, non quartum. Atqui Velleius hic clare. Nunquam ipse, nunquam. Librarius erravit, quum ille scripserit: « quod inchoatum ab Agrippa, Marco Vinicio avo tuo consule. » (Possis et legere : *inchoatum Agrippæ*.) Hoc dicit, Agrippam missum ad hoc bellum, eumque id primum administrasse, illo anno, quo Vinicii avus consul. Ita enim infra unicum consulem: « Patre tuo P. Vinicio consule Tib. Nero reversus. » Nonne hæc clara, et, quod dicitur, solis radio scripta? ite nebulæ, et locum date huic luci. Colotianum marmor, quod fallere non potest, consules hos ita digerit: C. SENTIVS SATVRNINVS, Q. LVCRETIVS VESPILLO SVF. M. VINVCIVS. P. F.; nec collegam ullum Vinucio adjungit: quiane solus fuit? an potius, quia cum Q. Lucretio Vespillone? quem ex Dione, in actis hujus anni DXXXV, disco serius paulo electum, et quum Saturninus aliquantisper solus in consulatu fuisset; merito igitur diutius etiam eumdem gessit. Sed quidquid hujus rei sit (nec est tanti), credetne aliquis M. Agrippam, illum generum Augusti, illum tribunitia potestate præditum, inter suffectos consules fuisse, et quidem post Sentium et Vinucium? non qui res moresque antiquas noverit. LIPSIUS.

CAP. XCVI, §. 3. *Ovans triumphavit.*

Fallitur Barthius, qui hinc adstruere conatur, ovationem triumpho aliquando fuisse conjunctam: nam et ovatio est triumphus, sed minor. Servius ad IV Æneid.: « Proprie ovatio est minor triumphus. » Constat autem eam a triumpho, κατ' ἐξοχὴν dicto, hoc potissimum distare, quod triumphantes curru, ovantes equo aut pedibus urbem ingrederentur. Hinc Dionysio Halicarnassæo, sub finem lib. IX, item Eusebio in Chronico, ad numerum MDCCCCLXXXV, θρίαμβος πεζὸς, sive *pedestris triumphus*, vocatur. Quid? quod Velleius infra similiter, et nulla quidem necessitate cogente, dixerit? « Quis enim dubitat, quin ex Armenia recepta, et rege ei præposito, ovans triumphare debuerit? » Valerii quoque Maximi est libro II, cap. 7: « Quamvis qui præclaras res, maximeque reip. utiles, civili bello gessisset; imperator tamen eo nomine appellatus non est, ne-

que snt ovans, aut curru trinmphavit. » Nemini igitur posthac dubium fore arbitror, quin ovatio ἁπλῶς intelligi debeat. Vossius.

Cap. XCVII, §. 1. *Accepta in Germania clades.*

Majoris infamiæ quam detrimenti. Suetonius; historiam Dio, LIV, et Eusebius. Schegkius.

Hic, antequam clade a Germanis afficeretur, eosdem devicerat, si fides sit Obsequenti. Ait enim: « Insidiis Romanorum Germani circumventi: sub M. Lollio legato graviter vexati. » Et, ne quid mutes, idem in Chronico prodidit Eusebius. Mirum tamen de Germanis devictis silere Dionem, lib. LIV, ubi solum a Lollio Bessos fuisse debellatos, scribit: Ἐν τε τῇ Θρᾴκῃ πρότερον μὲν Μάρκελλος Λόλλιος Ῥυμητάλκῃ, θείῳ τῶν τοῦ Κόκκυος παίδων, βοηθῶν Βησσοὺς κατεστρέψατο. Ubi rescribe, Μάρκος Λόλλιος. Pighius, corrupta Dionis lectione deceptus, a Claudio Marcello Bessos victos putabat. Etiam pro Κόκκυος, repone Κότυος. Hoc enim Thracium nomen esse constat. Vossius.

Dio, LIV, pag. 612; Sueton. Aug. 23, ad quem locum notat Casaubonus, unum esse Eusebium, qui Lollii hujus non cladem, sed victoriam memoret. Verba hæc sunt, Chronici libro priore: « Germanos in arma versos M. Lollius superat. » Non putandus est autem pugnare cum cæteris Eusebius: acceperat quidem Lollius cladem aliquam, sed victus non erat plane; quin potius, quum mox hostes apparatum ejus audirent, in suam terram regressi, obsidibus datis, pacem acceperunt, teste Dione; sed et antea victos a Lollio; ex Obsequente probari potest. Meminit ejus cladis Tac. Ann. I, 10, 6. Beclerus. De Lollio vide infra ad cap. CII, §. 1.

Cap. idem, §. 3. *Fatorum iniquitas consulem.... rapuit.*

Periit lapsu equi, fracto crure, intra tricesimum diem: Livius. Conditum corpus in tumulum Cæsaris Augusti: Dio. Laudes ejus apud Horat. l. IV Carmin., et Albinovanum, elegia ad Liviam matrem. Schegkius.

Cap. idem, §. 4. *Et in formam pæne stipendiariæ redigeret provinciæ.*

Nimius es, Vellei! Ipse Tiberius (ap. Tacit. Ann. II, 26) ad Germanicum scribit, « se novies a D. Augusto in Germaniam missum, plura consilio quam vi perfecisse; sic Sugambros in deditionem acceptos. » Et Sueton. Tib. 9: « Germanico (sc. bello) xl m. deditorum trajecit in Galliam, juxtaque ripam Rheni sedibus assignatis collocavit. » Bipont.

Cap. idem, §. 4. *Alter triumphus.*

Quem egit anno U. c. dccxlvii, quum consulatum alterum iniret cum Cn. Pisone (vid. Dion. LV, 8), et quidem curru. Suet. Tib. 9: « quas ob res et ovans et curru urbem ingressus est. » Scilicet ob res in Pannonia gestas ovavit (vid. supra 96, extr.), ob germanicas curru triumphavit. Krausius.

CAP. XCVIII, §. 1. *L. Pisonis.*

L. Calpurnius Piso, ejus filius in quem est oratio Ciceronis, consul anno urbis DCCXXXIX. Dein legatus Augusti, triennio Thraces domuit. Fuit et pontifex, et per XX prope annos, nempe a primo statim anno Tiberii, præfectus urbis. Obiit anno DCCLXXXV. Ad hunc et filios Artem suam scripsit Horatius. Confer de eo ejusque indole Tac. Ann. VI, 11, et Senecam epist. 83. ED.

CAP. idem, §. 3. *Esse mores ejus vigore ac lenitate mixtissimos.*

Forte legendum, *rigore.* PUTEANUS.

Rigore ac lenitate recte Puteanus. Cæterum τὸ *mixtissimos* dictum insolenter, nec latine satis, ut opinor; suspicari licet Velleium dedisse, « rigore ac lenitate mixtis justissimos, » hoc est temperatissimos et quales esse oporteat. HEINSIUS.

An *vigore* mutandum sit, dubito; vide quæ notamus ad Ovid. Epist. IV, 118, et XVI, 51. Sic nec contra scriptos mutarem apud Silium, lib. VII, 612: « Et sine tristitia virtus; non ille vigoris Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat. » Certe hic præcedentia, ubi *diligentissimus* et *lenissimus* simul dicitur, deinde etiam sequentia *vigorem* requirunt: opponitur enim ille recte otio, non *rigor*; sic *vigorem* laudavit Noster in J. Cæsare sup. cap. 41; in Sulpitio, cap. 18; in Sejano, 127, et in aliis. Decepit viros doctos, qui *rigorem* prætulerunt, quod *lenitatem* pro mansuetudine ceperunt, quum indicet vitæ genus quietum et tranquillum, *sine ostentatione agendi*, ut Noster addit, *agenda curarit*; sic *lenem laborioso* opponit Terent. Heaut. prol. 45, et Horat. I Ep. 18, 97: *Leniter traducere ævum; lenem vitam* Cicero dixit I de Off. quam Terentius Adel. I, 1, *clementem* vocat. Remissius ergo et leniter Piso magistratum administrabat, ubi otium id permittebat; si vero negotia exigebant, vigentem ac parem se illis ostendebat. BURMANNUS.

Krausius post Ruhnkenium *temperatissimos* in textum admisit. Insolens sane verbum *mixtissimos*; sed qua auctoritate rejecerunt, quum pleraque hoc genus participia superlativum patiantur? quisve jurare ausit, *mixtissimos* a Velleio non scriptum, cujus exemplum fidenter auctoritatis loco afferretur ad eam vocem defendendam, sicubi apud alium scriptorem occurreret? ED.

CAP. XCIX, §. 1. *Et vere alterum reip. lumen et caput.*

Scite admodum *lumen* et *caput* junxit; ut et supra de Cæsare et Pompeio, cap. 53: « Collisa inter se duo reip. capita, effossumque alterum rom. imperii lumen. » ACIDALIUS.

Alterum lumen, optime: alterum caput, pæne ridiculum. Nec vero locus similis ab Acidalio prolatus magis tolerandam speciem menti oculisque nostris exhibet. ED.

Cap. XCIX, §. 1. *Et hoc quia volebat.*

« Noluit sane adversus avum rebellare ! » Putidissima adulatio, quæ Tiberio laudi apponit, noluisse id, quod sine immanissimo scelere neque velle neque cogitare poterat. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Incredibili atque inenarrabili pietate.*

Adulatorie hæc de Tiberio Velleius, ut alia multa; calliditatem enim potius dixerit, qui Tiberium novit, quam pietatem. Suetonius diserte in Tib. 10, totam rem complectitur : « Tot prosperis confluentibus, integra ætate et valetudine, statuit repente secedere, seque e medio quam longissime amovere. Dubium uxorisne tædio, quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre posset; an ut, vitato assiduitatis fastidio, auctoritatem absentia tueretur atque etiam augeret, si quando indiguisset sui resp. Quidam existimant, adultis jam Augusti liberis, loco et quasi possessione usurpati a se diu secundi gradus sponte cessisse, exemplo M. Agrippæ, qui, M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit; ne aut obstare, aut obtrectare præsens videretur, quam caussam et ipse, sed postea (v. cap. 11) reddidit. Tunc autem honorum satietatem ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit. » Adde Dionem l. LX, p. 635. Quis non videt, concurrisse omnes illas caussas; quarum prima e necessitate domestica; altera, e consilio dominationis; tertia e sollertia et institutis vitæ aulicæ exoriri putanda est. Meminit hujus secessus Tacit. Ann. I, 4, 4. Boeclerus.

Ibid. *Lucius item maturus esset viris.*

Ex hoc loco Norisius ad Cenotaph. Pisan., dissert. II, cap. 3, colligit Velleium dissentire a Suetonio et Dione, qui Tiberium ante togam a Caio sumptam secessisse Rhodum tradunt, eorumque auctoritatem Velleii præfert; et sane vix Lucius *maturus curis* (ut Heinsius emendat) dici potest hoc tempore : nam Caius togam sumpsit a. U. c. DCCXLIX, jam natus annos XV, quum Lucius annum ageret duodecimum, qui demum triennio post productus fuit et honoribus destinatus. Sed facile putamus Velleium in concordiam cum aliis reduci posse, si modo distinctio hujus loci mutetur hoc modo : « pietate (cujus caussæ mox detectæ sunt, quum C. Cæsar sumpsisset jam virilem togam, Lucius item maturus esset curis, ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis) dissimulata caussa, etc. » ut velit Velleius, Tiberium dissimulata prius caussa secessisse, sed post togam a Caio sumptam et maturitatem Lucii detectas fuisse caussas; nam Sueton. Tib. 11, dicit eum diu post, epistola ad Augustum data, « confessum esse, se nihil aliud secessu devitasse suo, quam æmulationis cum Caio Lucioque suspicionem. » Hinc patet, quantum intersit distinguere verba auctorum, quæ confusa in errores inducunt viros doctissimos. Burm.

Bipont. et Cludius, « maturus esset viribus; » Krausius ex Vascosano (vide Ruhnk. notam), « L. item maturus esset, veritus ne, etc. » Pessime

integram hujus loci sententiam pervertit Burmannus; nam quia adulationem cum veritate conciliatam velit? Dio quidem, LV, 9, et citatos ad hunc Dionis locum a Reimaro Zonaras, Caio nondum ex ephebis egresso, Tiberium secessisse narrant. Sed Suetonius (ut recte Krausius observavit) Tiberium, cap. 10, tradit « adultis jam Augusti liberis sponte cessisse. » Tamen Suetonius fortasse a Paterculo hunc errorem accepit, qui sic Tiberii exsilio honestam prætexere caussam voluit. Caussæ, inquit, inenarrabilis hujus pietatis postea detectæ sunt: homines scilicet, facta et tempora comparando, animadverterunt Tiberium, tunc potissimum abiisse, quum togam virilem sumeret Caius, frater vero mox sumpturus esset. Conjecerunt igitur veritum esse Neronem, « ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis. » Translatio a siderum ortu petita, et præclara quidem; sed quæ lectoribus fucum non faciet, iis præsertim, qui veras caussas ex Tacit. Ann. I, 53, Sueton. Tib. 10, Dion. LV, 9, petierint. Ed.

Cap. XCIX, §. 2. *Commeatum... adquiescendi a continuatione laborum.*

Omnino est *commeatus* venia cessandi a munere. Sueton. Tib. 10, de eadem re: « Tunc artem honorum satietatem ac requiem laborum prætendens, *commeatum* petit. » Calig. 29: « Prætorium virum ex secessu Anticyræ, quam valetudinis caussa petierat, propagari sibi *commeatum* sæpius desiderantem, etc. » Krausius.

Cap. idem, §. 4. *Visendi ejus gratia ad quem convenientes, semper privatos illa majestas privata unquam fuit, fasces suos summiserint.*

Videtur hic locus ita legendus: « visendi e. g. ad eum convenientes (semper privatus ille, majestas privata nunquam fuit) fasces, etc. » Potest etiam retineri *illa*, dummodo parenthesi includantur verba, « (semper privatus, illa majestas privata nunquam fuit); » sed *ille* magis placeret. Ursinus.

Doctiss. Lipsius: « visendi ejus gratia atque conveniendi, semper privato (si illa majestas privata unquam fuit) fasces, etc. » Verum sententia nimium pendet. Schegkius.

Nos olim restituimus, in Epistolicis, lib. III, cap. 8. Aiunt pendulam sic sententiam esse; mihi non videtur, nec moto. Lipsius.

Mirifice variatur. Quid quisque statuat eorum, qui corrigere moliti sunt, non referre statui. Si quis etiam mihi relictus est locus, ita universum hoc scripserim: « ut omnes proconsules legatique, qui in transmarinas profecti provincias visendi ejus gratia ad eum convenere, semper privato (si illa majestas privata nunquam fuit) fasces suos summiserint. » Initio de transpositione τοῦ *qui* susque deque habeo. *Convenere* scripsi ad nexum orationis firmandum, qui solutus aliter et minime solidus est; nec, puto, majora in ea voce mihi indulsi, quam sibi reliqui. Denique *nunquam* e Rhenani et Manutii mutuatus sum. At vero *si* positum accepi, pro *etsi*: tamen nuto etiam hercle, ac prope moto; nam præstat hic timidiorem, quam audaciorem videri. Acidalius.

Locum corruptissimum, varieque a variis tentatum, ita emendandum censeo: « ut omnes, qui pro consulibus, legatique, in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratia ad eum convenientes, semper privato (si illa majestas privata nonnunquam fuit) fasces suos summiserint. » Illud unum monendum, me *pro consulibus* restituisse fide codicis MS. Mutaverant illud alii, quibus omnia pervertere moris, quæ se judicio eorum non statim probent. Atqui cur minus dicere liceat *pro consulibus*, quam *pro consule?* Vossius.

Opinor, *visendi ejus gratia undecunque convenientes*, vel *undique*. Vide sis Vossium ad lib. II, cap. 6. Heinsius.

Si cum Lipsio legas *atque conveniendi*, claudicabit sententia: si cum Vossio, *visendi ejus gratia ad eum convenientes*, inepte pronomen iterabitur: Heinsianum *undique* vix ferri potest; non enim undique, sed Roma omnes profecti aderant. Ego malim, *assidue convenirent;* ex Suet. Tib. 12, idem narrante. In re per se omnino dubia cuique vel editori vel lectori genio suo indulgere fas est. Bipontina, *undique convenientes*; Krausius, *ad eum venientes*, quem secutæ sunt Argentoratina a. 1811, et Hanoverana, edente Clodio, anno 1815. Ed.

Cap. XCIX, §. 4. *Si illa majestas privata unquam fuit.*

Cæterum adulationem Velleii arguet Suetonius, Tib. 12; ubi specie legati exsulem egisse memorans, addidit: « Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit, mediterraneis agris abditus, vitansque prænavigantium officia, quibus frequentabatur assidue; nemine cum imperio aut magistratu tendente quoquam, quin diverteret Rhodum. » Boeclerus.

Cap. C, §. 1. *Sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem urbis.*

Urbis, si quid intelligo, prorsus ejiciendum, a glossatore inepto librariove, æquali, barbaro more, verborum tinnitu delectato, temere intrusum. Quid enim, quæso, Parthi Germanique rebelles ad relictam a Nerone custodiam *urbis?* Quod Romæ in domo Neronis accidit, sequenti periodo narrat Velleius: « at in urbe, etc., » sensu disertim discreto. Custodia potius elliptice referendum ad *terrarum orbis*, eadem adulatione qua, c. 99, Neronem « æquatum Augusto, civium post unum eminentissimum et vere alterum reip. lumen et caput » appellavit, itemque c. 104, « vindicem custodemque imperii, » et c. 120, « perpetuum patronum romani imperii. » Herelius.

Ibid. *Parthus.... adjecit Armeniæ manum.*

Posset capi pro *injecit*, ut paulo ante, licet diverso significatu loquitur. Sed forte legendum, *adjecit animum*, quæ locutio Terentiana. Eun. 1, 2: « ad virginem animum adjecit. » *Manus* vero et *animus* confundi docuit Heinsius ad Val. Flac. I, 41. Ita cap. 115: « Cæsar ad alteram belli Dal-

matici molem soimnm atque arma cootulit.» Wopkens. defendit vulgatam lectiooem, sed sioe exemplo, nisi Valer. Max. VII, 5, 4; sed ibi *adjicere summam manum.* BURMANNUS.

CAP. C, §. 2. *Magnificentissimi.*

Magnificentissimis Cuper. de Eleph. II, 9, p. 209, ex cap. 56. Sed supra c. 93: « magnificentissimo munere edito.» BURMANNUS.

Ibid. *Se et Gallo Caninio coss.*

Id fuit anno Urbis DCCLII. Dio tamen Cassius valde ab boc calculo abit, qui relegatam Juliam commemorat anno DCCXLVIII, C. Aotistio Vetere, D. Lælio Balbo coss.; sed moneo juventutem, manifestum illic hiatum defectumque historiæ esse. Postea quidem annotatur ab ioterprete; at hic debebat ante frumentationes et oaumachiæ ludos: e Velleio discis; tum etiam e Macrobio, non fallaci argumento. Ille, II Saturn., indicat Juliam haoc pessimam simul et argutissimam feminarum, tunc quum pulsa a patre fuit, egisse anoum circiter trigesimum octavum. Atqui nata ea (ex Dione didici) anno Urbis DCCXV. Ergo ad huoc annum DCCLII, justi intercedunt, ut Macrobios voluit, aoni XXXVIII. LIPSIUS.

Errat ergo Josephus Scaliger in Animadversionibus Eusebiaois, ad numerum MMXII; ubi Juliam relegatam ait D. Lælio Balbo et C. Antistio Vetere coss.; quumque Eusebium accuset de unius anni prochrenismo, peccat ipse prochrooismo quadriennii. Virum summum in huoc errorem induxit Dio, apud quem hic aliquot annorum defectum esse non attendit. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 3. *Quippe filia ejus Julia.*

Seneca, lib. VI, cap. 12, de Benefic.: « D. Augustus filiam intra pudicitiæ maledictum impudicam relegavit, et flagitia priocipalis domus in publicum emisit, admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus urbem, forum ipsum ac rostra, quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiæ in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum, quum ex adultera in quæstoriam versa, jus omois luxuriæ sub ignoto adultero appeteret.» De quo et illud: « quod nunquam oisi pleoa navi vectorem tollat.» Macrob. lib. II, cap 5. SCHEGKIUS.

Quæ de Julia hic habentur vide apud Sueton. Aug. 65, Tib. 11; Tac. Ano. I, 53, 1; Dion. LV, pag. 635. BECLERUS.

Ibid. *Quidquid liberet, pro licito vindicans.*

Alii libri, *judicans*, et melius, si quid ego judico. Pro licito judicare, sic dictum, ut pro bono et æquo putare; eaque ipsa forma ab aliquot paginis est: « Interdum ut pro pari loquebantur.» ACIDALIUS.

Alii *judicans*. Opinor, *venditans*, hoc est, palam ostentaos; *venditare* proprie dicitur, qui vendere desiderat; et quia per jactationem commen-

dabant mercem suam venditores, *venditare* in usu esse cœpit pro jactare; sic apud Plautum, Sticho, I, 3, *lingua venditaria;* vide insignem Turnebum, lib. XXV Adv. 15; sic *venditare se litteris senatus*, cap. 63. Tacitus de Galba: « famæ nec incuriosus, nec venditator. » Gellius, lib. V, cap. 14: « est in prædicandis doctrinis suis sane quam venditator. » *Venditationem* et *ostentationem* Cicero aliique e scriptoribus antiquis non semel conjungunt. HEINSIUS.

CAP. C, §. 4. *Julius Antonius.*

Malim, *Julus Antonius*. Horatius, lib. IV Carm. od. 2: « Pindarum quisquis studet æmulari, Jule, ceratis ope Dædalea Nititur pennis. » Tacit. Annal. I: « Lollianas, Varianasque clades, interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Julos. » Diversus tamen Dio, lib. LV, qui et *Julium* vocat, et non sibi ipsi necem conscivisse, verum morte multatum cum aliis tradit. SCHEGKIUS.

M. Antonii triumviri ex Fulvia filius junior. V. Dion. LI, 15; Plutarch. Ant. extr. Jani ad Horat. l. c. ex Perizonii animadv. hist. c. 3, Antonium, ut genus maternum per Juliam aviam C. Jul. Cæsaris dictatoris filiam a Iulo Æneæ filio descendens declararet, hoc nomen indidisse, uti filio majori Antulli nomen, paternum genus ab Antone Herculis filio, oriundum significans, refert. KRAUSIUS.

Manifeste *Julus*, non *Julius*, legendum, vel ex ipso Horatii versu. ED.

Ibid. *Singulare exemplum clementiæ Cæsaris.*

Sic apud Tacit. Annal. lib. XII, Caractacus loquitur: « at si me incolumem servaveris, æternum exemplar clementiæ ero. » PUTEANUS.

Ibid. *Violator ejus domus.*

Forte, *violator Augustæ domus;* ut τὸ *ejus* irrepserit e glossa, ut sæpe alias. Valerius Maximus, lib. VIII, c. 15, et alii scriptores passim. Apud Gruterum in opere magno, *Jovi conservatori domus Augustæ*, et *cultores domus Augustæ*, et *Flaminiæ domus Augustæ*. HEINSIUS.

Ibid. *Matrimonio sororis suæ filiæ.*

Marcellæ scilicet, Octaviæ ex C. Marcello priori marito filiæ natu majoris, auctore ipso Augusto, ab Agrippa dimissæ. Vid. Plutarch. Ant. extr. KRAUSIUS.

CAP. idem, §. 5. *Quinctiusque Crispinus.*

Hic Crispinus aliunde non magis notus quam Appius Claudius et Scipio. Appium tamen Appii Claudii, consulis a. DCCXVI, filium suspicatur Glandorpius in Onomast. Sempronius Gracchus notissimus ex Tacit. Ann. I, 53; Juliæ jam, quum Agrippæ nupta esset, violator. KRAUSIUS.

Cap. C, §. 5. *Sempronius Gracchus.*

Tacitus, Annal. I, 53: « Par caussa sævitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio, et prave facundus, eamdem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeravit; nec is libidini finis: traditam Tiberio, pervicax adulter, contumacia et odiis in maritum accenderat; literæque, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinam, Africi maris insulam, quatuordecim annis exsilium toleravit. Tunc milites ad cædem missi, invenere in prominenti litoris lætum nihil opperientem; quorum adventu breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariæ per literas daret, cervicemque percussoribus obtulit. » Scheckius.

Ibid. *Quasi cujuslibet uxore violata.*

Non culpo: nempe relegati ipsi aut pulsi, quæ pœna Juliæ de adulteriis. Tamen Tacitus aliter longe adstruit III Annal. « Ut valida, inquit, D. Augusto in remp. fortuna, ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit: nam culpam inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine læsarum religionum ac violatæ majestatis appellando, clementiam majorum suasque ipse leges egrediebatur. » Sed uterque adspectu aliquo verus: Velleius, si relegationem intueare istorum, quos nominat; Tacitus, si mortem aut exsilium quorumdam. Lipsius.

Cap. CI, §. 1. *Provinciis adsidendum obitis.*

Noli dubitare, quin cum Rhenano legendum sit, *ad sedandum obitis.* Rufus Festus, eamdem hanc rem narrans, ita ait: « C. Cæsar quum per majestatem romani nominis facile cuncta sedasset. » Vossius.

Bene Lipsius, *ad visendum obitis;* post quem sera est opera Popmæ, corrigentis *adsidendo obitis.* Supra cap. 94: « Nec multo post missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque, quæ sub Oriente sunt, provincias. » Livius, lib. XXVII, cap. 35: « Ut L. Manlius trans mare legatus iret, viseretque quæ res ibi gererentur; » libro XXIX, c. 12; « Lætorio legato misso ad visendas res, pacemque turbandam; » XXXIX, 33: « Aliam legationem patres, cujus Ap. Claudius princeps, in Græciam decreverunt, ad visendum redditæne civitates Rhodiis et Thessalis essent; lib. XL, cap. 2: « prius audito Marcio, qui ad res Græciæ visendas missus erat; » mox: « legatos ad eam rem visendam missurum senatum; » sic et lib. XLI, cap. 19: « legati missi ad res visendas in Macedoniam; » et sic alibi quoque non semel. Heinsius.

Subscripsimus Lipsio et Heinsio: nam et Suetou. Aug. 64, dicit, « circum provincias et exercitus dimisisse, » id est, visendi gratia, et ut juvenis adsuesceret curis publicis; nulli vero in provinciis illis motus, qui sedandi erant. Burmannus.

Cap. CI, §. 1. *Cui omnem honorem ut superiori habuit.*

An Velleius ita scripserit, principi suo, ut sæpe, serviens, nescio; contra scripsit planissime Dio, libro LV: Τοῦ δὲ Γαίου σταλέντος ἐς τὸν πρὸς ἀρμενίους πόλεμον, Τιβέριος, ἐς Χίον ἐλθὼν, αὐτὸν ἐθεράπευσε· « Caio misso ad bellum armeniacum, Tiberius Chium trajiciens ipsum coluit et veneratus est. » Idem Zonaras. Nec sane Caius illi se dedit, ut superbia et fortuna adolescentuli fuit; idque Suetonius clare indicat, Tib. cap. 12: « Privignum Caium Orienti præpositum, quum visendi gratia trajecisset Samum (Chium dixit Dio), alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii. » Et omnino abjectior tunc despectiorque sors Tiberii, tantum non exsulis; ut fortasse Velleius scripserit, *qui omnem*. Tamen, ut dixi, adulatio, familiare scriptori meo in hujus ævi rebus vitium, facile defenderit quod vulgatur. Lipsius.

Ibid. *Cum rege Parthorum juvene excelsissimæ insulæ*, etc.

Consensu emendant: « juvene excelsissimo, in insula. » De insula recte; de juvene, cur tam inconspecte? Phraates enim hoc tempore Parthorum rex, et cum eo colloquium. Ergo ille juvenis? immo annorum et regni vetus. Ille est qui bellum cum M. Antonio gessit, ille qui obsides liberos ad Augustum ante annos aliquot misit. Emenda verissime, « juvenis excelsissimus. » Hoc dicit: cum summo rege in colloquium coiisse summum juvenum (is est Caius), et ad spem imperii ab Augusto destinatum. Lips.

Cap. idem, §. 3. *Sub patre tuo M. Vinicio, et P. Silio,... in Thracia*, etc.

M. Vinicio. Immo P. ille nominabatur, ut ex Velleio alibi, et fastis liquet. Inepte igitur mutavit Burerius lectionem MS. quæ erat, *M. Vinici.* Vossius.

Sub patre tuo, etc., sic infra 120, §. 3: *sub Varo militans*; vide et 50, §. 4. *Thraciam Macedoniamque* provincias fuisse puto Vinicii et Silii. Reliquas autem terras h. l. dictas peragratas fuisse a Velleio cum C. Cæsare, cujus exercitus in Achaia adscriptus fuisse videatur, crediderim: nam Cæsar, antequam Syriam intravit, alias provincias obiit: supra, §. 1. Krausius.

Ibid. *Et omnibus ad Orientem visis provinciis.*

Alii *versus*, vel *usus*. Scribo, *ad Orientem versis provinciis.* Tacit. Hist. lib. I, cap. 76: « Simul Ægyptus omnesque in Orientem versæ provinciæ nomine Othonis tenebantur, » ubi etiam turbant libri veteres; lib. II, cap. 83: « Versum in Italiam mare longis navibus claudere; » de Moribus Germanorum: « Rhenus in Occidentem versus. » Heinsius.

Ego nihil muto, nam quæ subjungit de recordatione haud injucunda tot rerum, etc. magis exigunt, ut *visis* legamus. Ita Horat. Art. Poet. 142: « Qui mores hominum multorum vidit, et urbes; » Ovid. I Trist. 11, 77: « Oppida non Asiæ, non loca visa prius; » et millies alii. Burmannus.

Cap. CI, §. 3. *Et ore atque utroque maris pontici latere.*

Puto : « et ora ab utroque maris pontici latere. » Sic supra, *ora Asiæ*, et cap. 73, *ora maritima*. Pro *ore* sunt, qui bosporum thracium intelligant. Heinsius.

Neque etiam *ore* mutem ; tunc enim bis idem diceret, *ora* et *utroque latere* Ponti : sed *os* pontici maris est bosporus thracius. Tacit. Annal. II, 54, *os ponticum ;* Florus, III, 6, *utraque Ponti et Oceani ora*, i. e. bosporus thracius (posset et per *utraque* etiam cimmerius intelligi simul) et fretum gaditanum ; ut apparet ex ejusdem Flori II, 17 : « victor ad Gades et Oceani ora pervenit. » Pomp. Mela, l. I, 1, de Ponto Euxino, « exiguo ore paludi committitur. » Ovidius, III, Trist. 12, 41 : « Fas quoque ob ore freti, longæque Propontidis undis, etc. » Avien. Descr. Orb. 199, de bosporo : « terraque parci Faucibus oris hiat. » Idem, 85 : « Hic duo rursus Ora patent ponti, geminus sinus, » de sinu persico, et ut credebant, Caspio ; et Oræ Marit. 264 : « Ora sinus Tartesii. » Ratio autem hujus appellationis est, quod pontum crederent per bosporum exire in Propontidem ; et ita, ut loquitur Senec. IV Nat. Quæst. 2, in infernum mare influeret rapidus, et semper pronus et torrens. Sic etiam ostia fluviorum vocant *ora*. Burmannus.

Cap. CII, §. 1. *M. Lollii.*

Consul fuit a. dccxxxiii, cum Q. Lepido. De clade quam in Germania accepit, vide cap. 97, §. 1 ; ubi Velleius, cum omnibus horum temporum scriptoribus, infamem ejus avaritiam notat. Ad eum scripsit Horatius, Carm. IV, od. 9. Clam cum Parthis egisse videtur contra Cæsarem. Per ipsum hostem Cæsari indicatus, eum exitum habuit, « ut interdicta amicitia a C. Cæsare Augusti filio (cujus *comes* et *rector* a Suetonio vocatur) venenum biberet. » Plin. IX, 35. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Mox in colloquio, cui se temere crediderat*, etc.

Narrat Florus, libro IV : « Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompeius assuefecerat, ut rectores a nobis acciperent. Intermissum ergo jus, per hunc (Caium) recuperatum non incruento, nec multo tamen certamine : quippe Domnes (Nostro, *Adduo*), quem rex Artaxatis (Noster cum Zonara, *Artagera*) præfecerat, simulata proditione adortus virum intentum libello, quem ut thesaurorum rationes continentem ipsi porrexerat, stricto ferro cruentat vulnere in tempus. » Schegk.

Ibid. *Nomine Adduo.*

Straboni, lib. XI, dicitur Ἀδώρ. Melius, ut puto, Ἄδων, vel Ἄδδων, quod apud Zonaram. Nomen illud fit ex Hebræo *Adon*, quod *dominum* notat. Favet nobis, quod Floro, lib. IV, cap. ultimo, Rufoque Festo vocetur *Domnes* sive potius, *Donnes*, ut habent quidam libri : nam

princeps syllaba omissa, ut apud Plautum, Pœnulo act. V, sc. 11, *Donni*, pro *Adonai*. Sic et *Derceto* ex *Atergatis*. Cæterum Florus et Rufus in hoc falsi sunt, quod Dionem hunc Artaxatis præpositum fuisse dicant: nam *Artageras* ab *Artaxatis* diversas esse, ex Strabonis libro jam citato, aliisque, liquet. Rufi error eo ignoscendus, quod hic quoque, ut sæpe alibi, Florum κατὰ πόδα sit secutus. Quod forte quibusdam videbitur ridiculum, quum Artaxatorum in eo nulla fit mentio; sed verba ejus ex Floro ita emendanda censeo: « Donnes quidam, quem rex Artaxatis præposuerat. » Vulgo corruptissime edunt: « quem Parthis Arsacea præposuerat. » Quod non uno nomine falsum est: nam *Donnes* non Parthis, sed Artageris, Armeniæ urbi, erat præpositus; nec Arsaces, sed Phraates, hoc tempore Parthorum obtinebat imperium. Vossius.

Cap. CII, §. 2. *Ut corpus minus habile, ita animum minus utilem.*

Unde etiam Quintilianus declamatione pro Cæco: « Temeritas omnis animorum calamitate corporum frangitur; et frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum. » Et vero vigorem animi una flaccescere cum corpore, rarosque inveniri, in quos conveniat illud Romuli Virgiliani Æn. IX, 610: « nec tarda senectus Debilitat vires animi, mutatque vigores. » Stabilimus pluribus quasi exemplorum columellis apud Tacit. Annal. lib. III, cap. 42, sub finem. Gruter.

Cap. idem, §. 3. *Semper magnæ fortunæ comes adest adulatio.*

Admodum placet Velleius de adulatione declamans; sed exemplis argumenta refellet ipse, nec diu morabitur: nam à proximo cap. 103, ut vere adnotavit Bipontina, jam prorsus in fœdissimas adulationes adversus Tiberium demittetur, laudator magis quam historicus. Ed.

Cap. idem, §. 4. *Deinde reluctatus.*

Nihil hic mutandum suspicarer, absque dissensu vulgatarum lectionum esset. Exinde conjicio, *Dein diu*; aut, *Diu inde reluctatus*; quorum utrum utrum recipias, perinde est. Acidalius.

Ibid. *In urbe Lycia, Limyram vocant, obiit.*

Clare et distincte Velleius in Lycia obiisse Caium vult, urbe quoque expressa. Et Limyrum quidem fluvium, Limyram urbem, in Lycia Ptolemæus collocat, quæ in Stephano *Lamyra* scripta. In eadem cum Velleio sententia Suetonius: « Caium et Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos; Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. » Etiam Joh. Zonaras, qui a Dione, ut solet (nam ipse Dio hac parte mutilus) hausit: Ὁ δὲ Γαΐος ἐς Λυκίαν ἐν ὁλκάδι περιέπλευσεν, ἔνθα δὴ καὶ μετήλλαξεν. « Ipse Caius in Lyciam oneraria navi provectus est, ubi et obiit. » Hoc isti censent, probi, fidi, et talium curiosi scriptores. Tamen ecce qui dis-

sentiunt (miramur in fato illustria juvenis), et in Syria obiisse volunt. Grande autem, ne nescias, inter Lyciam et Syriam intervallum et Pamphylia ac Cilicia totæ interjectæ. Seneca pater, qui ipse illius ævi: «Quum mortuo in Syria C. Cæsare, codicillo questus esset Augustus.» Florus pariter: «Massiliæ Lucius morbo solvitur; in Syria (ita omnes scripti libri) Caius ex vulnere.» Etiam Festus Rufus: «Caius vulneratus, reversus in Syriam obiit.» Quid dicemus? inclinabam ad priores; sed revocat Bellonii, viri fidi et industrii, ut mihi videtur, observatio, qui narrat lib. II, «urbem Hamam esse, Arabibus Hamzam, Latinis olim Emesam vel Emissam, juxta quam sepulchrum sit δίστεγον, in modum quadrangulæ pyramidis fastigiatum, valido cæmento exstructum, in quo C. Cæsaris epitaphium græcis characteribus inscriptum legatur.» Si ita est (et utinam expressisset ipsum scriptum!), quis ambiget, quin ad hunc C. Cæsarem pertinuerit, atque ita firma probaque sit altera sententia, quia Emesa illa citra controversiam Syriæ in Phœnice urbs est? Lipsius.

Seneca rhetor, Florus, ac Rufus Festus, in Syria mortuum volunt; Suetonius et Zonaras Velleium sequuntur. Lipsius iis objicit observationem Bellonii, qui apud Emessam sepulchrum C. Cæsaris se vidisse scribit. Non ausim virum eruditum vanitatis insimulare: cæterum, quid si illud fuerit κενοτάφιον? Sane Dio clare scribit, corpus ejus a tribunis militum Romam delatum. Et nihil verius. Inscriptio Romæ retro Minervam: OSSA C. CAESARIS AVGVSTI F. PRINCIPIS IVVENTVTIS. Habes eam inscriptionem Gruterianarum p. 235, num. 4. Vossius.

Cap. CII, §. 4. *Limyram.*

MS. *Lymira.* Forte, *Lymiram* legendum ex Pomponio Mela, lib. I, in descriptione Lyciæ, et Plinio, lib. V, cap. 27. Sic et Ovidius, Met. IX: «Jam Cragon, et Lymiren, Xantique reliquerat undam.» Græci tamen omnes Λιμύραν appellant. Sed μετάθεσις vocalium in urbium nominibus non rara est: sic *Utica* Græcis Ἰτύκη; ita et in veteribus inscriptionibus nummisque, sæpe *Lybica* pro *Libyca* scriptum invenias. Vossius.

Lymira vetus exemplar, hoc est *Limyran.* Prima enim litera subsequentis vocabuli hanc absorbserat. Nomina græcanica passim græca efferre enuntiatione Velleius, etsi, qui membranas ejus descripsere, id non semper adsecuti sunt. Vide annotata nostra supra cap. 33. Heinsius.

Cap. CIII, §. 1. *Ante utriusque horum obitum.*

Id ipsum Suetonius affirmat cap. 13 et 15, in Tiberio: atque adeo rediisse illum, *Caio permittente.* Quomodo igitur Dio verus? qui sic lib. LV: *Συνέβη δὲ εὐθὺς μετὰ ταῦτα καὶ τὸν Τιβέριον ἐκ Ῥόδου ἀφικέσθαι, Λουκίου καὶ Γαΐου τελευτησάντων·* «Accidit post ista statim, ut Tiberius Rhodo rediret, Lucio et Caio defunctis.» Profecto hæc falsa, etiam ipso Dione arguente. Si *post ista statim* rediit Tiberius (id est, post ingressum Caii in Armeniam, et revocata fœdera cum Partho; ita narrat), quomodo

Lucius et Caius jam defuncti? nam Caius certe aliquanto post diutule supervixit. Puto negationem e Dionis textu excidisse, scribendumque: Λουκίου καὶ Γαΐου οὐ τελευτησάντων, sive voles, οὐδέπω. Confirmat, quod Zonaras quoque (assecla aut exscriptor fere Dionis) significat, Tiberium rediisse ante utriusque obitum. Lipsius.

Cap. CIII, §. 3. *Tribunitiæ potestatis.*

Vide Tacit. Annal. I, 3, 5; Sueton. Tib. 15 et 16; Dion. LV, p. 637. Intellige autem *tribunitiam potestatem* iterum datam; acceperat enim et gesserat jam antea. Adde Tac. Ann. I, 10, 10. Boeclerus.

Ibid. *Constitueret.*

Posset aliquis corrigere, *restitueret*, quia jam antea fuerat consors; sed Velleius recte utitur hoc verbo, quo firmum et perpetuum, nec jam per alios interrumpendum ipsi tribunatum indicat. Sic *constituere dignitatem*, inf. 130, *patrimonium*, *regnum*, et similia apud Nepotem, Justinum, Ciceronem, et alios. Vid. ad Quint. decl. cclx. Sueton. Tib. 16, dicit reverso « datam rursus tribunitiam potestatem in quinquennium, et seposito Agrippa certum fuisse, uni spem successionis incumbere. » Antea ergo data consortio tribunitiæ potestatis; sed illa fuerat iterum intermissa, hæc *constituta* et perpetua. Burmannus.

Cap. idem, §. 4. *Concursumque civitatis.*

Scilicet ad comitia curiata, quibus rata habenda erat hæc adoptio. Vid. Gell. V, 19: nam *lege curiata* Tiberius, teste Suet. Aug. 65, adoptatus est. Infra, *hic implere*, est in tam reciso opere plenissime exponere. *Plenius exponere* dixit Sulpic. Sev. lib. II, c. 28, et *plenissime laudare* Plin. ep. V. Krausius.

Cap. idem, §. 5. *Id unum dixisse juvat, quam ille carus omnibus fuerit.*

Duo verba, *juvat* et *carus*, nulla fuerunt in autographo, quo usus Rhenanus: ipse fatetur indidisse. Tentabam igitur legere: « Id unum dixero, quam ille omnia omnibus fuerit. » Proverbialis loquendi modus, in gratiosis, aut qui apud aliquem possunt. Demosthenes in Philipp.: Πάντ' ἐκεῖνος ἦν αὐτοῖς. Diogenes Laertius in Hipparchia: Ἀλλὰ πάντα ἦν Κράτης αὐτῇ. Lucianus: Καί οἱ πάντα Κόμβαβος ἦν. Idem: Καὶ σωτὴρ, καὶ εὐεργέτης, καὶ πάντα ἦν ἐγώ. Varro: « Hic enim omnia erat, idem sacerdos, idem parochus, idem senatus, idem populi caput. » Lipsius.

Juvat non exhibetur in membrana, deinde nec *carus* eæ agnoscunt: « quam ille omnibus fuerit. » Puto: « vix in illo justo opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. Tentemus id unum dixisse, quam ille omnibus omnia fuerit; » vel, « id unum habeo dixisse; » ut cap. 124: « Id solum voce publica dixisse habeo. » Adulatorie omnino, et multa paucis artificiose complexus Velleius. *Omnia omnibus* jam vidit Lipsius.

Cognatio vocum contiguarum in membranis sæpe effecit, ut harum altera omitteretur. Vide nos ad cap. 110. Sic apud Petronium, *Trimalchioni τὰ πάντα est*, ita lege, non *Trimalchionis*. Livius, lib. XL, cap. 2: « Demetrius iis unus omnia est; » sic et forte supra castigandum cap. 83: « in omnia omnibus venalis. » HEINSIUS.

Hactenus Heinsii conjectura placet, ut legamus « ... implere. Tentemus unum dixisse. » Sed deesse vocem in illis, « quam ille omnibus fuerit, » puto, quæ diem illum acceptum et gratum populo fuisse indicet: nam *ille* non ad Tiberium, sed ad diem referendum arbitror; sed difficile est ipsam vocem divinare; an, *quam ille omnibus lætus*, vel *gratus*, vel *festus*, vel *candidus fuerit*, vel simile quid. Nec inepte ex Rhenani conjectura possimus formare: « ...implere. Contenti simus id unum dixisse, quantus ille (vel *quam illustris*) omnibus visus fuerit. Tum refulsit, etc. » Sed desino conjecturarum incertissimarum. BURMANNUS.

Recte Burmannus: « incertissimarum. » Heinsiana vero conjectura: *tentemus id unum dixisse*, certissima est. Nec minus Lipsiana: *omnia omnibus*: quis enim dubitet post allata ab ipso Lipsio ex græcis auctoribus exempla, ab Heinsio etiam ex latinis? Res eo redit: vulgarem apud Græcos esse constat formulam; apud Latinos, ut rarius, ita non semel occurrit; quidni et apud Velleium? Atqui nihil præstantius inveniri potuit hoc, si tibi ita videtur, ἑλληνισμῷ: nam Tiberius dicitur *omnibus*, nempe parentibus, viris, dominis, etc., *omnia*, nempe omnium bonorum instar fuisse, liberorum, matrimoniorum, patrimonii, etc. Auctor ipse suam hac enumeratione sententiam explicandam curavit; quam quum imperitus non intelligeret librarius, ex duobus verbis unum, imprudens, an sponte, omisit. *Ille*, quidquid contendat Burmannus, de Tiberio certe intelligi debet. Doctissimus ergo vir, præter morem suum, quot verba, tot habet errores. Non probo cæterorum conjecturas. Krausius, « quam in illo omnia omnibus fuerint; » Bipontini editores, « quam ille omnibus adfuerit; » Cludius, « quanti omnibus ille fuerit: » quæ lectio ex Rosenheynii ingenio defluxit, hoc saltem laudanda quod a manuscripto minimum discedat. ED.

CAP. CIV, §. 1. *Hoc, inquit, reipublicæ caussa facio.*

Idem Suetonius, Tiberio, capite vigesimo primo: « quum et reipublicæ caussa adoptare se eum in concione juraverit. » Ubi notandus mos solennis in adoptione, quo caussam adoptans facti sui addebat. Cicero, pro Domo: « quæ deinde caussa cuique sit adoptionis; » ibidem: « caussa quæri solet adoptandi. » POPMA.

Dubitatum est a multis, « an Tiberius reipublicæ caussa ab Augusto successor constitutus; » unde prudentium aliqui apud Tac. I Annal. 10, 9: « ne Tiberium quidem caritate aut reipublicæ cura successorem adscitum; sed quoniam arrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse. » Sed Suetonius, liberi alias et prudentis judicii scriptor, suspicionem eam ab Augusto removet, dum in Tib.

21, scribit: « Adduci tamen nequeo, quin existimem, circumspectissimum et prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temere fecisse, sed vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes; præsertim quum et reipublicæ caussa adoptare se eum pro concione juraverit, et epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, utque unicum populi romani præsidium prosequatur. » Bœclerus.

Cap. CIV, §. 2. *Erat et ab eo quibusdam in locis gestum.*

Post Ruhnkenium in omnes editiones transiit Lipsiana lectio *erat id ab eo*. Sed forsitan et modesti hominis est, paternaque officia parce laudantis. *Et ipse*, inquit, pater meus quibusdam in locis bellum hoc non male gesserat. Sic tenuitatem patris sui agnoscit, præsertim cum Tiberio comparati. An nobis priscæ lectionis auctoritas fucum facit? Ed.

Cap. idem, §. 3. *Tribunatu castrorum.*

Fuit temporibus imperatorum in exercitu et unaquaque legione *præfectus castrorum*, cujus munus describit Veget. lib. II, cap. 10, et meminit Velleius, Suetonius, Tacitus. Huic parebat, au operam præstabat tribunus castrorum, dignitate et auctoritate minor; de quo nulla mentio apud historicos, præter Velleium. Forte *strator* dicitur ab Ulpiano tit. de Offic. proconsul. et leg., qui scilicet castra præit, ut loca impedita exercitui traducendo præparet et extricet. Poppma.

Præfecti castrorum, quales memorantur sæpe a veteribus, et a Nostro infr. 119 et 120, videntur tantum præfecti fuisse ad tempus, quo exercitus in aciem educebatur, et castris præsidio relicti; licet postea videatur munus ordinarium factum. An vero idem sit præfectus et tribunus, nec Lipsius, de Milit. Rom. diss. II, 9, ausus definire, neque ego definio. Certe sic more romano Justinus videtur, XIII, 14, dixisse *summum castrorum tribunatum Seleuco cessisse*, ubi *præfecturam* certe intelligit. Diversum vero fuisse a tribunatu militum, de quo etiam dubitabat Lipsius, hic locus ostendit: nam jam ante, c. 101, se tribunum militum sub Caio in Oriente fuisse dicit, nunc vero promotus ad præfecturam equitum, sive alæ, ut Suet., Aug. 38, vocat; unde et ordo promotionum militarium intelligi potest, et hoc exemplo confirmari. Nulla vero specie Dodwellus in Annal. §. 12, suspicatur, *tribunum castrorum* dictum Velleium, quia præerat castris prætorianis; et eodem modo ut milites gregarii ad prætorianorum militiam evehi solebant, sic tribunos militum promoveri solitos ad tribunatum castrorum prætorianorum; quod quum nullo testimonio firmatur, est per se absurdum, tum, quia hoc tempore, de quo agit Velleius, nulla erant castra prætoriana, a Tiberio demum Romæ constituta (Suet. Tib. 37); quare fingit castra alia, non multum Roma distantia, quorum nulla in omni antiquitate mentio. Multa deinde addit de gradibus et promotionibus militaribus, per leges annales certo ordine procedentibus, quæ nullo argumento sed commentis et suspicionibus nituntur, sed quibus hic discutien-

dis nullus est locus. Quidquid denique de his tribunis castrorum sit, inepte *stratores* eosdem facit Popma, qui inferioris longe ordinis, et vilioris ministerii, ab equis sternendis dicti fuere; de quibus et eorum officio multa Salmas. ad Spartian. Caracal. 7, Gothofr. ad tit. C. Theod. de Stratorib., et Fabret. ad column. Trajan. pag. 185, Vales. ad Ammian. Marcell. XXIX, 3, et XXX, 6. BURMANNUS.

Ridiculam hanc litem de medio sustulit virgula inter *tribunatu* et castrorum inserta. « Pulveris exigui jactu compressa quiescent. » ED.

CAP. CIV, §. 3. *Spectaculo, quo fructus sum.*

Lucretius, lib. III : « Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa. » Cicero in Hortens. : « et amœnitate summa perfructus est. » Adi ad invidiam ablectissima et laboriosa illa Collectanea humanissimi, juris antiquitatisque consultissimi viri Hub. Giphanii nostri. SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 4. *Meritis ac viribus.*

Superbius videtur. An vires imperatoriæ Tiberio ante imperium? dici aliquid possit, sed malim ego, *meritis ac virtutibus.* LIPSIUS.

Nihil muta : *vis* enim est etiam virtus. Vid. ad Quintil. II, 1. BURMAN.

Ibid. *Contingendi manum cupiditas.*

Imperatoris manum contingere vel osculari, si cui concedebatur, erat honorificum, atque etiam summæ reverentiæ indicium. Velleius infra, cap. 107 : « impetratoque ut manum contingeret. » Plutarchus, Catone minore : *αὐτοῦ καὶ χειρῶν ἐμοὶ καλὸν ἅψασθαι καὶ γόνασι προσπεσεῖν Καίσαρος·* « etiam manus ejus contingere, et ad genua mihi fuerit honestum procumbere Cæsaris. » Suetonius, Caligula : « ex aliqua caussa agenti gratias osculabundam manum offerre. » Idem, Domitiano : « Osculumque, ut assueverat, offerenti manum præbuit. » Tacitus, lib. XV, de Nerone : « genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare. » Caussam pete a Plinio, lib. XI, cap. 45, et lib. XXVIII, cap. 2. POPMA.

CAP. CV, §. 1. *Caninifaci.*

Cannenufates, apud Plinium, lib. IV, cap. 15. MANUTIUS.

Caninefates cum Velleio Tacitus, lib. IV et XX, nominat. PUTEANUS.

Pro *Caninefates* male in editione principe fuerat, *Caninifaci;* pro quo tamen minima fortasse mutatione reponi debeat, *Caninifati.* Sic *Teutones* et *Teutoni*, *Santones* et *Santoni*, *Mediomatrices* et *Mediomatrici*, *Tectosages* et *Tectosagi*, *Velocasses* et *Velocassi*, promiscue apud auctores legitur. Ita et *Atrebatis*, non *Atrebatibus*, est apud Cæsarem, lib. II, de Bello Gallico, in codd. MSS. Plura ejus generis alii per se observabunt. VOSSIUS.

CAP. CV, §. 1. *Attuarii.*

Pro *Attuari* B. Rhenanus *Chattuari* reposuit, optime. Strabo, lib. VII, Καττουάριοι; id quod Aldum currentem fugit. PUTEANUS.

Caninefates, *Attuarii*. Ita emendavi, quum vulgo esset *Attuari*, qui apud Straboneem, lib. VII, Καττουάριοι, inter minores Germaniæ gentes, quasi *Altwaters*. POPMA.

Rhenanus et alii ex Strabone legunt, *Chattuarii*; Cluverius vero, *Cattuarii*; qui et addit, *Attuarios* alias non legi. Sed falluntur: Ammianus, l. XX. « Rheno exinde transmisso, regionem subito pervasit Francorum, quos Attuarios vocant. » Meminit etiam eorumdem Gregorius Turonensis in gestis Francorum epitomatis, cap. 19. Nihil igitur in Velleio mutandum. VOSSIUS.

Attuarii sunt Velleio Paterculo Germaniæ populi; *Arthuarii*, Ammiano XX, Francorum gens; eadem vicina Bructeris. Scio Rhenanum et Junium hoc loco *Ansivarii* legere apud Ammian. ORTEL.

Ibid. *Bructeri.*

Ita edunt omnes ex conjectura Rhenani; at perperam, ut arbitror: retinendum enim *Bruteri*, ut erat in autographo. Ita etiam hanc gentem nominat Nazarius, Panegyrico ad Constantinum. Unde non longe abit *Borteri*, ut in epistola quadam Gregorii II, papæ, appellantur. Quin pro vulgata Velleii lectione quoque facere videtur locus Suetonii in Tiberio, quo ille *a Ruteno* prope occisus dicitur: ita enim est in vulgatis, ubi codices quidam MSS. habent *Bructero*, alii *Rutheno*, aut *Rutero*; ut forte *Brutero* sit scribendum. Non enim acquiescit animus Torrentii conjecturæ, qui censebat, Romanos *Ruteri* vocem, tamquam proprium viri nomen, expressisse, quum germanico idiomate quemvis equo merentem significet. *Bructeros* tamen gentem hanc nominant plerique alii scriptores. VOSSIUS.

Ibid. *Et inamninus*, etc.

Et amnis omnes edunt, quasi de hac lectione, quam commentus Rhenanus, dubitare videatur nefas. Ego tamen pro certo habeo aliter scriptum fuisse Velleio; nam in autographo fuit: « et inamminus mox nostra clade nobilis, etc. » Unde, duabus literis additis, quæ ob vetustatem erant extritæ, legendum censeo: « et utinam minus mox nostra clade nobilis! etc. » Intelligi autem Varianam cladem, manifestum est. VOSSIUS.

Krausius et Cludius a Rhenano; quem et secutus est in textu Ruhnkenius; sed Vossianam conjecturam, quantum in nobis est, amplectimur, quæ Velleio non oratorium modo, sed romanum et bono cive dignum restituit affectum, multoque propius, quam vulgata lectio, manuscripti vestigiis insistit. Paulo supra, *gentas* post *Cherusci*, ut ex margine allatum, omnium consensu deletur. ED.

Ibid. *Transitus Visurgis.*

Apud Dionem in hac re narrata mendum: Τιβέριος μέχρι γε τοῦ ποτα-

μοῦ πρότερον μὲν τοῦ Ἐρύγρου, μετὰ δὲ τοῦτο καὶ τοῦ Ἀλουΐου προεχώρησεν. « Tiberius usque ad flumen primum Erygrum, deinde ad Albim progressus est. » Scribe, *τοῦ Οὐισύγρου*, reducta syllaba a vocula priori. LIPSIUS.

CAP. CV, §. 1. *In iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum... præfecisset.*

Contra omnem bonorum scriptorum usum dixit *præficere aliquem in aliqua re*. Inde expungendum duxi *in* vel ex sequente *iis* natum, vel ab indocto homine additum. KRAUSIUS.

Leg. *vindicaret sibi; iis... præfecisset.* Adjeci *sibi*, sententia postulante, pro *in* quod est in edit. principe. CLUDIUS.

Ibid. *Qui tum legatus patris ejus in Germania fuerat.*

Krausius pro *fuerat* recepit *erat*, ex Ruhnkenii sententia; sed apud omnes omnium gentium scriptores crebræ temporum affinium permutationes occurrunt; idque in hac præsertim voce observare licet. Virg. Æn. V. 397. Si mihi, quæ quondam fuerat,.... foret illa juventas; VII, 532: « Natorum Tyrrbi fuerat qui maximus. » Sic Martial. l. VIII epigr. 3: *quinque satis fuerant*, pro *satis erant*. Sic Græci suum ἦν pro præteritis quibusvis temporibus usurpare solent. ED.

CAP. idem, §. 2. *Virum multiplicem in virtutibus.*

Libro veteri abest particula *in*, et bene. RAPHEL.

Est in editione Rhen.; sed omiserunt Vossius, Heinsius et Hudson., et quidam alii: natum puto ex litera *m* præcedenti, ut millies factum. *Multiplex* aut est varius, ut Ciceroni de Amicitia, 18, *multiplex ingenium*; et 25, *animus multiplex*. Idem est, quod de Antonio Florus, IV, 7, 4, *varius ingenio*. Ita contra sæpe Noster laudat viros insignes a simplicitate, ut mox cap. 116, *simplicissimus dux*; supra II, 10, *simplicitatis nobilissimæ*; sed in primis in Flacco Pompeio laudat *simplicem virtutem*, II, 29. BURMAN.

CAP. idem, §. 3. *Pietas sua Cæsarem.... in urbem traxit ad tutelam imperii, eum veris initio reduxit in Germaniam.*

Melius et concinnius: « in urbem traxit, at tutela imperii eum veris initio, etc. » Pietas in utrumque parentem, et desiderium videndi duxit eum in Italiam: tutela imperii (quod defendendum ei contra barbaros) reduxit in Germaniam. LIPSIUS.

Ibid. *Pæne obstructis hieme Alpibus.*

Ita emendarunt. Prius fuerat, *pæne exstructis*. Recte, meo judicio; nam, ut ait Florus lib. III, c. 3, *hiems altius Alpes levat*. VOSSIUS.

Ibid. *Veris initio.*

Pro *initio* in MS. tantum erat, *initi*. Unde forte legendum: « obstructis

hieme Alpibus in urbem traxit : ad tutelam imperii eum veris initium reduxit in Germaniam; » quamvis *initio* etiam retinere possis, dummodo nobiscum vulgatam distinctionem mutes. Quod si placeat, *pietas* ἀπὸ κοινοῦ erit intelligenda. Vossius.

Cap. CV, §. 3. *Juliæ fluminis.*

Feci *Lupiæ* pridem. Persevero; nisi si *Julii* faciendum, quasi in honorem C. Julii Octaviani flumen sic noviter appellatum. Lipsius.

Librarii erratum, an Velleianum? verum nomen *Lupia*, quod retinet Tacit. Annal. I; Mela, l. III, cap. eod.; Dion, l. LIII, et Strabo, l. VII, Λουπίας. Quin etiam hodie in Germania inferiori celebratur in titulo indito comiti *de Lipp.* Popma.

Cap. CVI, §. 1. *Proh dii boni! quanti voluminis opera*, etc.

Quantum volumen exigunt res sub Tiberio gestæ! hic quoque Velleius alludit ad illa toties a se promissa justi operis volumina; sed longe aliter Dio, LV, 28, qui nihil memorabile a Tiberio gestum hoc anno dicit. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Fracti Langobardi.*

Alii malunt Longobardi. Quum *Langobardi* trans Albim coluerint, eorum tamen partem etiam cis Albim egisse arbitrantur, quod Tiberius Albim non transiit. Et sane etiam Tacito Cherusci Langobardorum opibus aucti dicuntur, Ann. XI, 17. Possis credere ab his pagum *Bardungau* (hodie *Almark*) cis Albim et Bardevicum nomen traxisse. Bipont.

Ibid. *Quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat.*

Drusus quidem anno DCCXLVI, teste Dione, LV, 1, frustra Albim transire conatus, tropæis constitutis recessit; et L. Domitius, Tacito referente, Ann. IV, 44, « exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania quam quisquam priorum, ob easque res insignia triumphi meritus est. » Sed Drusus nondum pervenerat classe ad Amisiæ ostia, et exercitu Albim tentavit; utrum L. Domitius ante Tiberium, an sub eodem, flumen tentaverit, incertum : Tiberius certe et classe et exercitu tentaverat, quamvis Velleius gesta ejus in majus augeat. Bipont.

Ibid. *Ad quadringentesimum milliarium a Rheno usque ad flumen Albim.*

Ostendit Krausius non tantum a vero distare Velleii supputationem, quantum Cluverio et Bœclero visum est. Nam Strabo VII, diserte ait inter flumen Albim et Rhenum, recta pergentibus, tria millia stadiorum interesse, quæ CCCLXXV milliaria romana conficiunt. Ed.

Cap. idem, §. 3. *Plurimarum gentium victoria.*

Potior lectio videbatur, *a plurimarum*; id est, post victoriam; sed

elliptica figura est, quæ in Plauto frequens, ut *nostrum salute socium*, et *salute horiæ*, aliaque multa. ACIDALIUS.

Dura illa ellipsis; quare mallem legere, *victori*, ut referatur ad *exercitui* et *Cæsari*; non enim classis illa, quæ commeatum vehebat, plurimas gentes vicit, sed Cæsar et exercitus, qui perlustraverunt armis Germaniam; sic et mox cap. seq., « victor omnium gentium Cæsar. » BURM.

CAP. CVI, §. 3. *Exercitui Cæsarique se junxit.*

In statione ad dictum oppidum Stade, ut Cluverius in Germania, l. III, c. 18, p. 578, notat. BIPONT.

CAP. CVII, §. 1. *Non tempero mihi*, etc.

Quæ in hoc capite habentur, solius Velleii diligentiæ debentur; quo minus judicare integrum est, quid juxta aut supra veri fidem dictum sit. Certe quum in Tiberianis plerisque laudibus nimius deprehendatur Noster, non sine ratione suspicatus est Lipsius, parum pro indole germani hominis sonare istam ad Tiberium orationem. BACLERUS.

Ibid. *Armata hostium juventute fulgeret.*

Ornandi studio sic dixisse videtur Paterculus. In Germanos barbaros eosque a cultioribus terris remotiores, vix arma fulgida e metallo confecta cadunt. KRAUSIUS.

Ibid. *Sub omnem motum nostrorum navium protinus refugientum.*

In scripto erat, *motumque*. Lego : « sub omnem motum quoque. » Voss.

Refugiebant barbari terrore perculsi, simul atque naves romanæ se movebant : unus tamen horum ad medium fluvii processit. Hoc Velleius voluit. In veteri codice erat, « sub omnem motumque. » Corrigo, « sub omnem motum cujusque nostrarum navium protinus refugientibus unus e barbaris; » ni mavis, « sub omnemque motum. » Refugisse naves romanas neque fit verisimile, neque narrasset Velleius, si factum esset, ut Tiberio immane quantum ubique blanditur in omnibus. Mox in illis, « in eam quam armis tenebamus, ripam, » nihil est mutandum. HEINSIUS.

Sed *refugientium* respicit *hostium*, quod præcedit. BURMANNUS.

Inter voces *omnem* *** *motumque* excidisse putaverim substantivum *molem*, ex Virg. Æn. V, 118: « Ingentem ... ingenti mole Chimæram. » Nam barbari, *cavatis ex materia alveis*, *lintribus* et *naviculis* utentes, admodum obstupefieri debebant romanarum navium mole. Vocem quoque *molem* facile hausit insequens *motum*. Neque minus, si verius viderit Ruhnkenius in *omnem* aliud substantivum latere, idem *molem* in *omnem* corruptum esse putaverim. KRAUSIUS.

Sub omen metumque : ita Velleium scripsisse puto. Codex : *sub omnem metumque*, pro quo ed. pr. *motumque*. Nos præter *omnem* nihil mutavimus. *Omen metumque* autem dicit, nota figura, pro omine formidoloso.

Naves nostras formidabile putantes omen, in fugam se conjecerunt. Adeo non est necesse, ut olim feceram, mutare lectionem codicis in *ob subitum omen metumque. Omina* autem a librariis confundi solere docet Drakenborch. ad Sil. Ital. IV, 131; IX, 4. Cæterum *omen* pro ostento, portento etiam interdum ponitur, ut Sueton. Vitell. c. 8, Virg. G. IV, 386, Ovid. sæpe. *Sub* hoc loco positum videtur pro *ob* vel *ad*, ea ratione, qua præpositiones interdum permutantur. CLODIUS.

CAP. CVII, §. 1. *Cavatum, ut illis mos est, ex materia conscendit alveum.*

Meminit ejusmodi navigiorum Plinius, XVI, 40: « Germaniæ prædones singulis arboribus cavatis navigant, quarum quædam et triginta homines ferunt. » Scilicet hoc veluti *rudimentum navium* gentibus fuisse antiquitus, consentaneum est. Ita Sanchuniathon apud Euseb. Præparat. Evang. I, 10 de Phœnicum theologia, tradit : *δένδρου λαβόμενον τὸν Οὔσωον καὶ ἀποκλαδεύσαντα, πρῶτον τολμῆσαι εἰς θάλασσαν ἐμβῆναι·* « Usoum, arbore, cujus ramos amputaverat, accepta, primum hoc veluti navigio ausum esse mare ingredi. » Annotandum hoc vel propterea videbatur, quia in disputatione de primis *rei navalis originibus* multa obscuritas tollitur, observato navis tumultuariæ sive rudimentariæ, tum fabricatæ exstructæque discrimine : hic proprie *ναυπηγία* locum habet; Velleianum autem istud navigium, aut quæ alia ad eum modum memorantur, non sunt accurate loquendo *ναυπαγηθέντα*. BECLERUS.

Græcis *μονόξυλον*, Latinis *linter*, et *alveus*. Vid. Scheffer. de Milit. Naval. lib. I, c. 3. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 2. *Adpulso lintre.*

Non nisi uno Tibulli loco, lib. II, 5, 34, masculino genere reperiri *lintrem* notant grammatici : hunc ergo alterum addant, et videant Heins. ad Ovid. II Fast. 864. BURMANNUS.

Ibid. *Nostra quidem, inquit, furit juventus.*

Adulatoria oratio et inepta, nec pro indole aut ferocia germanica. Est qui legat, *fugit juventus :* male, male. Immo vero furere illam vult, nec esse suæ mentis, quæ cum diis belligeretur. LIPSIUS.

Hæc illis Curtianis e libro IX, cap. 6, illustrantur : « Hinc militum clamor, hinc remorum pulsus, variæque nautarum voces hortantium pavidas aures impleverant. Ergo universi ad eos, qui in armis erant, currunt, *furere* clamitantes, *et cum diis prælium inituros.* » HEINSIUS.

Ibid. *Quæ quum vestrum numen absentium colat.*

Tolerabilior videri posset montanorum barbarorum apud Curtium, VII, 6, 6, oratio, qui veniæ petendæ deditionem suam hoc colore adornant : « cum diis pugnare sacrilegos tantum. » Nam quæ idem scriptor de barbaro imbellique Indorum stupore memorat, IX, 1, 18 et 8, 7, quibus dii scilicet erant, quos fortiores adeoque sibi formidabiles credebant, fa-

-cile fidem inveniant; sed cui verisimile fit, Germanum, dignitate graduque militiæ honoratum, in tantum non modo a libertate, sed a servitute ipsa degenerasse? Et quodnam illud numen Romanorum, quod juventus germana scilicet coleret? An illa terrarum dea gentiumque Roma, quam pro domicilio latronum detestabantur Germani? An vero Julii Cæsaris ἀποθέωσις, aut Augusti veneratio hanc formulam dictavit? qua eadem nimirum postea Arminius, « illum inter numina dicatum Augustum, » gravi cum irrisu vecordiæ romanæ, memorat, ap. Tacit. Ann. I, 59, 6. Curiosior aliquis non difficulter crederet, Velleium hic commentum esse rationem, qua suum Tiberium summis quibusque et admirandis ducibus æquaret. Vide de Scipione Val. Max. II, 10, 2. Boeclerus.

Fatemur jure visam esse Lipsio, Bœclero et aliis parum verisimilem in germano homine talem agendi, sentiendi, loquendi rationem. Adnotandum tamen est, Velleium rem a se oculis spectatam, multis qui adfuerant viventibus, narrare. Et talia fere in recentiorum navigatorum commentariis legimus, qui quum, inaudita perlustrantes litora, barbaricis appulerunt insulis, eodem sæpe die, ut est instabilis gentium semiferarum animus, ab incolis et adorantur supplicibus et impugnantur armatis. Sit igitur apud Velleium tum narratio hæc omnis, tum præsertim oratio aliquantum amplificata; materiam tamen veram subesse, et, si non hæc, his tamen proxima facta ac dicta fuisse credimus, salva nobilissimæ gentis gloria, quæ se tunc temporis barbaram fuisse non inficiatur. Ed.

Cap. CVII, §. 2. *Nec feliciorem ullum vitæ meæ aut optavi aut sensi diem.*

Non dissimiliter Cicero de Cæsaris interfectoribus, II Philipp.: « Qui homines tam agrestes, qui se, quum eos aspexerint, non maximum cepisse vitæ fructum putent? » Acidalius.

Cap. CVIII, §. 1. *Nihil erat jam in Germania.*

O vanitatem? Sed hæc plura magnifice, immo serviliter, Velleius narrat in Tiberii sui laudes. Ἀλλ' ἐγὼ οὐ πείθομαι. Lipsius.

Quam vane et serviliter domino suo adulatur homo! lege veriora apud Tacit. Germ. c. 37. Florus, IV, 12, etiam a Drusi victoriis statim, præteritis Tiberii expeditionibus, transit ad cladem Varianam. Nihil erat jam in Germania quod vinci posset! Restabant tamen populi septemtrionales, et illi inter Rhenum et Visurgim et Albim! infidam colebant pacem. Bipont.

Ibid. *Marcomannorum.*

Marcomanni hi, qui sub Cæsare duce, cum aliis, Ariovisto duce, Galliam invaserant (Cæs. Bell. Gall. 51), et deinde pro Suevorum more Hercyniam silvam ad Pannoniam usque pervagari solebant, circa Augusti tempora in Pannonia intra Danubium et Dravum sedes fixas ceperant. Inde per Romanos expulsi (Rufus Fest. 8, 3) circa a. U. c. DCCXXXIX, in septemtrionalem ripam Danubii transmigrantes, Boiorum terras Maroboduo

donec occupavere (Strab. VII, Tac. Germ. 42); inde Boiohemiam nostram meridionalem, una cum Hermonduris et, quibus imperabant, aliis populis, tenebant. Confer infra 109, §. 5. KRAUSIUS.

CAP. CVIII, §. 1. *In interiora refugiens.*

Vulgo *inferiora*; verius *interiora*. Loca magis interna petierunt et dissita a limite romano. LIPSIUS.

Valde hic sudat Philippus Cluverius, Germaniæ Antiquæ libro III, c. 11; sed omnem nodum exsolveris, si scribas *interiora*; quomodo jam olim Gryphio, Stephano, et aliis editum. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 2. *Maroboduus.*

Cujus apud Tacitum, lib. II, 63, Tiberii eulogium in hæc verba: « Non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum populo romano, perinde metuendos fuisse. Exstat oratio, qua magnitudinem viri, violentiam subjectarum ei gentium, et quam propinquus Italiæ hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. » Consule Strab. lib. VII. SCHEGKIUS.

Ibid. *Sed certum imperium.*

Hunc locum, Deo annuente, amplius explicabimus in comment. de Auspicio regio. Historiam juvabunt Strabo, VII, prope principium, egregia, ut solet, brevitate rem totam complexus, et Tac. Ann. II, 45 et 46. BŒCLERUS.

Ibid. *Conditionibus.*

An æquis, an vero imparibus? Dubitat Petrus Faber, Semestr. I, 7. Nobis nil videtur dubitandum, si vel consilium Marobodui, vel textum Velleii consideramus. Dominari cæteris volebat Maroboduus, proferendique imperii caussa finitimos bello petebat; ergo partim vi cepit, partim deditione, quos *sui juris*, omnes nimirum, *fecit*. Qua Velleii phrasi nihil potuit clarius dici: nam *sui juris facere*, est utique, « in suam ditionem potestatemque redigere. » Non consistunt autem συνθῆκαι ἐπ' ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ, quum alter amittit imperium, alter accipit. BŒCLERUS.

CAP. CIX, §. 1. *Corpus suum custodia, tum imperium*, etc.

Vet. edit. habet, *custodia tum*; ex quo Lips. *custodia tutum*. RAPHEL.

Nugæ sunt de corpore suo custodito; neque enim id aut novum in viro principe, aut commemoratione dignum; sed nec ad rem facit hic loci: pro *custoditum* præterea *custodia tum* vetustus liber et primæ editiones; pro quo haud dubie rescribendum *custodia tutum*: sic *custodia provinciarum*, pro milite præsidiario, cap. 14; *custodiæ maris præesse*, cap. 72; *custodiis exercitus inclusus hostis*, cap. 88. Tollius, Philipp. XII: « Itaque in urbe, si sic licebit, manebo: hæc mea sedes est, hæc vigilia, hæc

custodia, hoc præsidium stativum; » sed et alibi is non semel *custodias* cum *vigiliis et excubiis* conjungit. Præterea *sui juris* præcesserat apud Velleium, ut τὸ *suum* minus concinne hic denuo repetatur. Subodoratus sum latere elegantem loquendi modum, quem ecce: « Corpus custodia tutum imperii (*vel* corpus sui custodia tutum imperii) perpetuis exercitiis pæne ad romanæ disciplinæ formam redactum, etc. » Supra dixerat de hoc ipso Maroboduo, « finitimos omnes aut bello domuisse eum, aut conditionibus sui juris fecisse. » Gentes varias in potestatem a Maroboduo redactas Strabo recenset, lib. VII; videndus et Tacitus de iis, Ann. II, cap. 45 et 63. E quibus membris corpus imperii, quod hic describitur, constabat. Simili omnino modo de Carano Justin. lib. VII: « Primus, adunatis gentibus variorum populorum, velut unum corpus Macedoniæ fecit. » Idem, lib. XXXIV: « Achæi, licet per civitates, veluti per membra divisi sint, unum tamen corpus, et unum imperium habent; » et mox: « legatis occulta mandata dant, ut corpus Achæorum dissolverent, etc. » *Corpus rerum naturæ*, cap. 66, de mundo habes apud Nostrum; *membra reip. lacerata* denuo apud Nostrum, cap. 90. Τὸ *armorum* videtur excidisse præterea, *armorum perpetuis exercitiis*; sic *exercere bellis exercitum*, paulo post hoc ipso capite. Heinsius.

Corpus imperii, recte dici nemo dubitat; sed *corpus imperii custodia tutum*, quid significet ignaro; nec eleganter etiam dici, *corpus imperii reducere ad formam disciplinæ R.*, nec *perducere ad fastigium*, puto, nisi saltem duriter et insolenter. Quare legerem, *juris sui fecit*, et *corpus suorum custodia tutum*; scilicet *fecit*, quod repetendum: primum ergo cavit sibi a Germanis subactis; tunc, nova periodo, *imperium perpetuis*, etc. Vel etiam legi posset: *corpus suorum custodia tutum, imperium.... redactum, eum brevi in eminens.... perduxit fastigium*; idque magis placet. Certe rectius Maroboduus dicitur perductus ad fastigium, quam *corpus imperii*, sic supra cap. 30: *in summum fastigium vectus*; Just. I, 1: *quos ad fastigium majestatis non ambitio.... evehebat*; et ita eleganter duo diversa subsidia dominationis tangit: satellitium ex suæ gentis militibus, quibus fidere poterat; imperium, id est, alios, quos sibi adjunxerat, redactum ad formam disciplinæ romanæ; quæ eum ad fastigium perduxere. De barbaris, qui romana disciplina suos imbuere tentarunt, vide Freinsh. ad Flor. IV, 12, §. 17. Burmannus.

Nos novam emendationem inivimus: *corpus suum custodia tutum, imperio et perpetuis*, etc. *Corpus suum* nobis est populus ipse Marcomannorum, e quo erat Maroboduus (confer. Liv. I, 17, de Sabinis *sui corporis regem* volentibus); ille igitur suæ corpus civitatis *custodia* (scilicet silvæ Hercyniæ) *tutum, imperio et perp. exercitiis.... redactum, brevi in eminens.... perduxit fastigium*; sic omnia plana. Bipont.

Krausius Ruhnkenium secutus est. *Corpus suum custodia tutum*, ad Lipsii mentem scripsit Cludius, sensumque post ea verba clausit, ut sic constaret sententia: *finitimos... juris sui fecit; corpus suum custodia tutum.* Qui ejus opinioni favebunt, post *tutum*, intelligent iterum *fecit*; iidem ex

Heinsii Bipontinorumque sententia, *corpus* Marcomannæ civitatis, *custodiam* Hercyniæ silvæ interpretabuntur. Nos, ut nostram quoque symbolam afferamus, legendum, quamvis hæsitanter, proponimus : *corpus suum custodia tuens*, *imperium*, etc. Sic enim legenti constat prope integer textus, et quod Burmanno præcipue arridebat, *corpus* et *imperium* inter se manent opposita. Ed.

Cap. CIX, §. 1. *Gerebatque se ita adversus Romanos.*

Quæ hoc et sequenti commate dicuntur, prudentiam Marobodui singularem abunde ostendunt. Cæteri scriptores parcius hic agunt; an puduit fateri, fuisse inter Germanos virum, qui gerenda rep. constituendoque principatu æmulum agere posset eorum, qui soli eo nomine celebres et cupiebant esse et videbantur? Nimirum et elusit Maroboduus infinitam Romanorum ambitionem calliditate, et virtute coercuit; et quantum ille dedisset Romanis negotii, nisi intestinis armis collisi inter se duo *germanici Martes* (Arminius ille alter est, quem indigito), nudum hostibus latus præbuissent! Macte nunc quoque, virtus germanica, invicta omni externa vi in hunc diem futura, si libertati tuæ concordia constantius litavisses, neque alienæ dominationi tuum decus et sanguinem gratificari didicisses.

Boclerus.

Ibid. *Ut neque bello nos (lacesseret, et, si) lacesseretur, superesse sibi vim ac voluntatem resistendi (ostenderet).*

Mallem: « lacesseret, at superesse sibi vim ac voluntatem resistendi ostenderet; » nam similitudo syllabarum in *resistendi* et *ostenderet*, effecit ut ultima vox exciderit. *Ostendere* autem est, vel verbis vel factis voluntatem significare, et mentem aperire (vid. Manut. ad Cicer. V ad Famil. 19); *declarare* vero plus est, sine dissimulatione aperte indicare; ita inf. 117 : « pecuniæ quam non contemptor Syria declaravit. » Et ita Cicer. pro Mil. 2, dicit, « vultu et verbis significare, sed sententiis declarare. » Apud Terent. Heaut. II, 1 : « pater per alium ostendit sententiam, » sed non declarat, et ita passim alii. Burmannus.

Cap. idem, §. 2. *Totumque ex male dissimulato agebat æmulum.*

Adeone quisquam sine corde, qui *in totumque*, aut legendum non intelligat, aut legere non audeat? Nam et sensus non aliter fit, qui debet; et quid iis nostro familiarius, *in longum*, *in quantum*, *in tantum*, denique illo ipso *in totum?* Acidalius.

Ex male dissimulato, id est, qui antea dissimulaverat, sed non ita, ut detegi ejus animus non posset, nunc agebat aperte æmulum; ita Quint. Serm. Decl. CCCLXII : « partibus ex austero indulgentibus. » *Dissimulatus* hic, ut apud Ovid. Art. Am. I, 690 : « Veste virum longa dissimulatus erat; » et Fast. VI 507, *dissimulata deam*; et eodem modo est supra, cap. 79, *peragratus*, ubi vide; ita etiam *formam assimulata*, Virg. Æn. XII.

224; Stat. Silv. I, 11, 14. *Male* autem dictum ad imitationem Ovidii Epist. XVI, 7, ubi Paris: « Sed male dissimulo, quis enim celaverit ignem, Lumine qui semper proditur ipse suo? » *Agere* vero *æmulum* est aperte jam pro æmulo se gerere, ut *agere nepotem* Just. I, 6, *principem*, VII, 5, et Noster, cap. 124, *agere consulem*; 92 et similia. Offendit vero viros doctos, *totum æmulum*; sed quidni ita loqui liceat, quum Cicero ad Att. XIV, 1, dicat, « Octavius mihi totus deditus. » *Totus* vero hic est, maxime et uoice id agens, ut Lucan. V, 742: « jam totus adest in prælia Cæsar; » πᾶς καὶ ὅλος, Græcis. Vid. ad Petron. cap. 6. BURMANNUS.

Forte *notumque*. IDEM in margine.

Raphelengius cum Lipsio, *tutumque*; Bipont. *notumque*; Heinsius, *totusque*, quod Ruhnkenius probavit, et omnes deinceps ediderunt; sed *totumque* retinere præstat, siquidem rectos inde sensus, Burmanno monstrante, elicitor. Formulam *ex dissimulato* adverbialiter sumi optime vidit Wopkensius a Ruhnkenio laudatus, allatumque Senecæ exemplum rem extra dubitationem ponit. Eadem fere ratione *ex composito*, *ex inopinato*, dici solet. Igitur *ex male dissimulato* pari sententia positum est, ac, frustra dissimulanter, aut male dissimulato consilio. Manuscripta lectio, ubicunque salvo sensu stare potest, sacrosancta nobis habetur. ED.

CAP. CIX, §. 2. *Majori, quam quod habebat, operi præparabat.*

Legendum *quod obibat*, non, *quod habebat*; id enim minus latinum: *obire opus*, ut *obire munia*, *partes*, et similia. Non dissimile illud Livianum de Hannibale: « His anxius curis, ita se africo bello gessit, ut appareret majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum. » HEINS.

Malim, *quam quod agebat; agere* enim et *habere*, centies a librariis confusa. Vide nos ad Quint. V, 6, et X, 1, et ad Ovidium passim. *Agere* vero *opus*, dictum, ut *agere bellum*, quod post alios latinissime dici ostendimus ad eumdem Fabium, lib. X, 1. Ex Livii loco posset et legi, *quam quod gerebat*. BURMANNUS.

Defendit se *habebat*, non *agebat*, quod paucis versibus præcesserit, *agebat æmulum*. Nisi cui magis placet Heinsianum *obibat*; sed vulgata recta est; subauditur enim *in manibus*, sive quid aliud. Cic. Academ. I, 2: « Habeo opus magnum in manibus. » ED.

CAP. ideio, §. 3. *Eratque eo timendus, quod... tamquam in omnes semper venturus, ob omnibus timebatur.*

Quum ab omni parte vicinus esset Maroboduus vel provinciis romanis, vel populis obedientibus, metuendum erat ne ab ulla parte invaderet. KRAUSIUS.

In omnes semper, pro, *in quoscunque et quandocunque libuisset*; sed Velleiana phrasis multo ἐνεργεστέρα, quippe non singulis nec vicissim, sed omnibus simul imminentem ostendit. *Venturus*, pro, *irruptionem facturus*, ut apud Virgil. II, 47, « venturaque desuper urbi; » apud Phædr.

I, 21 : « Aper fulmineis ad enm venit dentibos ; » obi coofer interpretom notas. Iu iis vero quæ brevitatis caussa uon exscripsimus, « Germaniam ad lævam et in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo sedinm suarnm haberet Noricos, » notaodnm est, com Krausio, *frontem* pro septemtrionali parte usurpari ; qui enim ex Italia Boiohœmum spectaot, septemtrionem in fronte habent : cætera hioc facile intelligentur. Ed.

Cap. CIX, §. 5. *Legiones Boiohæmum.*

Tacit de Morib. Germ. *Boienium* vocat. Strabo, lib. VII : Βοίαιμον τὸ τοῦ Μαραβόδου βασιλεῖον. Puteanus.

Cluverios, quod *Boiohæmum* regionis nomen sit, emendare cooatur, *in Boiohæmum.* Fallitor ; oeque enim auetores regulam illam semper observant : ad Tacitum et Justioum abunde id viri docti comprobarunt. Virgilius, Æneid. VI : « .... finesque Venturum Ausooios ; » ubi Servios : « Κατὰ τὸ σιωπώμενον, *in* intelligitur. » Ita enim legendum; recte autem a Lipsio additnr *duceret.* Vossius.

Sententia ἀλλὰς Lipsio recte videtur ; sed quum paulo infra verbum *ducere* sit expressum, oec obscuritatis quidquam in textu, licet ad grammaticas regulas non exaeto, legentis animum offendat, Velleiusque calami impetu libens rapiatur, et io ellipticis formulis frequens ae fortasse oimins sit, oihil temere adjiciendum putamus : ἀνακόλουθος φράσις est, quales apud scriptorea præsertim antiquos occurrunt qoam plorimæ. Ed.

Ibid. *Ipse a Carnunto.*

Aote hæc videtur deesse verbum *duceret,* aut aliud simile. De Carnunto Plinius, lib. IV, cap. 12, et Ammiaous, lib. XXX : « Qoumque exinde Carnuntum Illyricorum oppidum introisset. » Popma.

Ad Danubium in Austria inferiori, ubi hodie est *Petronell* et quæ circumjacent. V. Mannert. Geogr. t. III, p. 738 sqq. A scriptoribus insequentis ætatis, v. e. Plio. H. N. IV, 12, ad Pannoniam refertur, postquam Cetius mons (bodie *Troianer-Berg* et *Kahlenberg*) Panooniæ et Norici fioes coostitoebat. V. Mannert. l. c. et pag. 612. A Velleio antem ad Noricnm refertur, quia tom fioes otriosque terræ ooodum fixi eraot atque certi. Krausius.

Ibid. *Norici regni.*

Noricum regnum etiam dixit Suetonios Tiberio, cap. 17 : « Ioter Italiam, regnumque noricum ; » ubi illud *regnum* expungendnm censet Torreotius : male. Popma.

Cluverius legendum ceosebat, *norico regno ;* sed nibil mutandum. Sic infra, 114, de Lepido : « vir nominis ac fortunæ suorum proximus. » Ita ibi legendom docemus, non *eorum.* Vossius.

Sed hic genitivus cum *locus* potest construi, ut recte Bœclerus in Indice. Immo debet; nam *proximus* a Marobodui regno intelligitur. Ed.

Cap. CX, §. 1. *Rumpit, interdum moratur proposita hominum fortuna.*

Perquam honesta oratio hæc; particula eum posteriori membro juncta, semel exprimitur, bis ad sensum explendum intelligitur. Ita et *sive* frequenter est invenire. Catulli Phaselo: « Et inde tot per impotentia freta Herum tulisse: læva, sive dextera Vocaret aura. » Acidalius.

Puto iterandum: « rumpit interdum, interdum moratur proposita hominum fortuna; » sic cap. 114: « captum alterum, alterum deditum; » ubi in membranis τὸ *alterum* semel tantum erat expressum; cap. 109, in iisdem, « ut neque bello nos lacesseretur, » quum scribendum alii jam monuerint, « ut neque bello nos lacesseret, et si lacesseretur; » cap. 116: « ornamentis triumphalibus, consentiente cum judicio principum voluntate senatus, donatus est; » sic recte viri eruditi, quum *donatus* absit e vetusto codice. Vide nos ad cap. 103. Burmannus.

Ibid. *Admotoque exercitu non plus quam quinque dierum iter*, etc.

Videtur scribendum nobis loco perplexissimo: « amotoque exercitu non plus quinque dierum iter a primis hostium; » vel, « non plus quinque dierum itinere, » omisso τῷ *quam*, ut alibi sæpe peccatur apud Nostrum. Quum exercitus jam a primis hostium non plus itinere quinorum dierum esset remotus: nam *admoto exercitu*, et *Saturninum admoveri placuerat* prorsus inconcinnæ sunt repetitionis. *Plus iter aberant*: sic Livius, lib. XXV, cap. 32: « Asdrubal et Mago conjunctis castris quinque ferme dierum iter ab Romanis aberant; » sic libro XXIX, cap. 27: « Gubernator ait Scipioni, non plus quinque millia passuum Africam abesse; » lib. I, cap. 23: « Castra ab urbe haud plus quinque millia passuum locant; » lib. XLIV, cap. 5: « Paulo plus septem millia die Romani processerunt. » Sic forte, cap. 6 ejusdem libri, emendandum, « paulo plus mille passuum ad mare relinquant spatii, » expuncto τῷ *quam*. Postea defectum bene constituit Vossius, « cujus copiæ pæne æquali divisæ intervallo. » Heinsius.

Verba *cujus copiæ*, post *Saturninum admoveri placuerat*, recte a Lipsio, monente Acidalio, inserta sunt; quæ Bipontini editores et Cludius receperunt. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Quum universa Pannonia*, etc.

Vide de hoc bello Dionem, lib. LV et LVI; Sueton. Tib. 16. Becler.

Ibid. *Et adulta viribus Delmatia.... constituto arma corripuit.*

Placet magis, *et adjuta viribus Dalmatiæ*, etc. Ursinus.

Adultam viribus dicit ob longæ pacis bona. Noli audire Ursinum, cui legendum videbatur, *et adjuta viribus Dalmatiæ*, etc. Vossius.

Nos Ursini emendationem amplectimur, ut in cæteris cum manuscripto a quo vulgata discessit, conveniamus. Habet enim illud : « omnibusque... constitit, arma corripuit. » Quæ vero facilius vocis *constitit* extremo absorpta fuit copula *et*, eam restituimus : « constitit et arma corripuit. » *Constitit* verbum militare nobis est : junctim contra adstitit Romanis. Verbum autem singulare melius convenit cum universa Pannonia, quam in utramque et Pannoniam et Dalmatiam. Bipont.

Bipontinis *constitit* idem valet quod *consurrexit*, græce συνέστη; novus ille verbi *consistere* sensus aliquo si fulciretur exemplo, libenter assentiremus; nec tunc arbitraremur copulam *et* inserendam, quæ sæpe alias omittitur, et hic omissa phrasim levat, meliusque repentinum exprimit ad arma impetum; sed quamdiu exemplis caremus, Ruhnkenium sequimur, quem et omnes secuti sunt recentiores. Ed.

Cap. CX, §. 3. *Amplius* DCCC *millibus.*

Non dubito notam numerali expressum in MS. millenarium fuisse : DCCCM. Unde Acidalius, potius *millia*, ex optimorum auctorum consuetudine, legendum esse, quam *millibus* existimat. Beclerus.

Cap. idem, §. 4. *Nauporti ac Tergestis confinio.*

Nauportum urbs Pannoniæ, ad fluvium ejusdem nominis, ab oriente Ocræ montis seu Juliarum Alpium, quæ Italiam ab Illyrico et Pannonia dividebant. Hodie *Ober-Laybach*. Ab hoc inde loco, mercibus ab Aquileia transvehendis via super has Alpes munita erat : Strab. IV, VII; Mannert. Geogr. t. III, p. 729 sq. De Tergeste in Carnis (hodie *Trieste*), Mela, III, 3, extr. « Tergeste, intimo sinu Hadriæ situm, finit Illyricum. » Plin. H. N. III, 18. « Colonia Tergeste XXIII millia passuum ab Aquileia; ultra quam VI millia passuum Formio amnis, antiquus auctæ Italiæ terminus. » Inde ab hac quoque urbe, via super easdem Alpes patebat ad Illyrios : Strab. VII. Velleius igitur harum urbium nominibus non solum confinia, sed etiam vias quibus his populis rebellibus Italia patebat, prudenter notavit. Krausius.

Cap. idem, §. 4. *Pars in Macedoniam eruperat.*

Legerem, « pars se in Macedoniam effuderat; » nam antiqua editio habet, *effugerat.* Ursinus.

« Pars in Macedoniam effugerat » membranæ, non, *eruperat*; unde bene viri docti, se *effuderat*, ni mavis, *effusa erat.* Heinsius.

Eruperat, ab Erasmo fluxit; sed *effundere se*, obvia et usitata locutio in hac re : ita supr. cap. 4 et inf. 112, Livius, Cæsar, Justinus et alii passim. *Præsidio esse*, cur præferendum sit, non video; immo ipsum Heinsium judicem non recuso, qui ad Ovid. Remed. amor. 528, quum diu fluctuasset, an *auxilio fuit*, vel *auxilium fuit* præferret, in hoc tandem, ut elegantius, inclinat. Burmannus.

Cap. CX, §. 4. *Proxima duobus Batonibus ac Pinneti.... auctoritas.*

Petrus Delbenius legit, *Batoni:* nam infra, *Batonem*, et *Pinetem*, *excelsissimos duces*, nominat. De eo vide et Suetonium in Augusto. Manut.

Batonibus rectum est: nam Batones duo fuerunt: unus Desitiaces Dalmatarum, alter Breucorum dux; hi conjuncti bellum gesserunt. Vid. Dionem, lib. LV. Puteanus.

A quibus *proxima?* nemo enim ante istos. Ad Marabodunm refers? Frustra: non ille mixtus huic bello. Alterutrum, aut *prima duobus* scribito, aut *a Pinnete;* nempe ut isti proximo loco post Pinnetem. Lipsius.

Malim, *prima*. Possis etiam legere, *a Pinnete*. Quorum utrumque Lipsio etiam in mentem venit; sed prius malim. Ovidius, lib. II de Ponto, el. 1: « Maxima pars horum vitam veniamque tulere: In quibus et belli summa caputque Baton. » Ita in MS. invenit Scaliger; et sane de Batone capiendum esse, Suetonius in Augusto, ac Dio, lib. LV, docent. Alii libri habent: *summa caputque fuit.* Vossius.

Et hic exciderant duæ syllabæ, si quid video: nam scribendum, *porro maximà*, pro *proxima*. Heinsius.

Proxima, *prima*, *maxima*, sæpe in manuscriptis confunduntur; quare de vera lectione nihil affirmandum. *Proxima* a Bipontinis interpretatur *simillima*, *par*, *æqua*, ut tres duces potestate æquati fuerint; qui sensus, repugnante linguæ latinæ usu, vix ferri potest. Ed.

Cap. idem, §. 5. *Plerisque etiam literarum usus, et familiaris animorum erat exercitatio.*

Puto, « plerisque et literarum usus familiaris animorum erat exercitatio; » per appositionem, ut solet Noster, vel *ut familiaris. Et*, *etiam* simili modo inculcata videas perperam et alibi, quum posterius, ut prioris interpretamentum, sit ejiciendum. Vide nos ad cap. 116. Heinsius.

Vulgata satis recte se habet, ut per animorum exercitationem intelligat artes et scientias, et ita dicat, disciplinæ romanæ, et belli artibus etiam pacis studia junxisse. Sic lib. I, cap. 13, de Scipione: « Semper aut belli, aut pacis serviit artibus; semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit; » et eodem libro, c. 7: « Ludicrum certamen ad exercitandum corporis animique virtutem efficacissimum. » *Exercitationes animi*, dixit etiam Cicero, I de Offic. 34. Burm.

Cap. idem, §. 6. *Magnus vexillariorum numerus.*

Vexillarii erant milites veterani, qui exauctorati sub uno aliquo vexillo, et uno præfecto seorsim tenebantur, donec præmia et agros acciperent; iidem subsignani dicti ab Ammiano: vide ad Tac. Ann. I, 38. Popma.

Ibid. *Fortunatum tantorum bellorum experientia Cæsaris Augusti animum.*

Vix dubito, quin MS. lectio sit revocanda, et scribendum, *formatum;*

maxime quum infra quoque dicat Velleius: « ad formanda pace, quæ bello subegerat: » nam ita erat in eodem illo, et hactenus quidem unico, MS. Nec reticere queo, apud Quintilianum, lib. X, cap. 1, similiter me in MS. nostro reperisse: « Multa magis, quam multorum lectione, formanda est mens, et ducendus est color. » Atque ita scribi malim, quam *firmanda*, ut edunt. Non dubito etiam, quin apud Justinum, lib. XX, ubi de Pythagora loquitur, ex omnibus MSS. reponi debeat: « magnisque sapientiæ incrementis formatus; » non *ornatus*, ut vulgo edunt. Sic lib. III, de Lycurgo idem dixit: « populum in obsequia principum, principes ad justitiam imperiorum formavit. » Ita optime ad MSS. fidem edidit cl. Berneggerus. Male tralatitiæ editiones habent, *firmavit*. Bene etiam Arnobius, lib. I: « et prius te formares ad non credendi frontem; » ubi cave audias virum eruditissimum, qui maluisset *firmares*; ut dicimus, *frontem durare*. Vossius.

Vetus exempl. *formatum*, cujus vocis et elegans et satis nota est in hos usus significatio; nescio tamen quomodo textum accuratius inspicienti magis arridet, *firmatum*. Boeclerus.

Cap. CXI, §. 1. *Revocati undique et omnes veterani.*

Legerim, *evocati*, quod proprie in tali re, de talibus: nam eo ipso nomine exinde censebantur. Acidalius.

« Revocatus undique et omnes veterani, » prima editio. Lege, « revocatus undique et omnis veteranus. » Heinsius.

Ibid. *Viri feminæque ex censu.*

Hoc sic Suetonius, Augusto, cap. 25: « Eosque servos adhoc viris feminisque pecuniosioribus, ac sine mora manu missos. » *Ex censu*, ut Livius, lib. XXX: « Vos a censu equitem legitis, a censu peditem. » Dion: πρὸς τὰ τιμήματα. Popma.

Ibid. *Operæ pollicitæ.*

Pollicitati, prima editio; an *operæ pollicitæ et oblatæ?* vel *pollicitatæ?* Heinsius.

Pollicitæ, ab Erasmo est; sed latere ulcus puto: nam nullum hic locum *pollicitationi* esse puto, quæ *exactis operis*, quod fit a non volentibus, male congruit; quare quum duorum ordinum, senatorii et equestris, mentio præcesserit, hic tertium plebeium subsequi debere arbitror, et legendum, e *populo citati*; e absorptum ab ultima litera τοῦ *operæ*. *Citari* vero proprie in delectu milites dicebantur; *populo* autem per compendium scriptum coaluit cum *citati*. Posset et fingi, e *populo cives citati*, vel *sollicitati cives*; sed nihil horum adhuc ita satisfacit, ut non certius remedium huic loco affecto exspectem. Cogitabam etiam posse legi: « operæ; sollicitæ civitati omnia hæc frustra præparassemus, etc.; » sed desino. Burm.

Bipontina distinguit et legit: « senatorum equitumque romanorum

exactæ ad id bellum operæ. Pol civitati omnia hæc frustra præparassemus, etc. » Nititur exemplis Velleii, qui interdum tales usurpat formulas, ut capite superiori : « itaque hercules nulla, etc. » Ed.

Cap. CXI, §. 2. *Itaque ut præsidium militum, respublica ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium.*

Non probo ducem, *præsidium militum* esse, magis regimen. Scripsit Velleius, *præsidium ultimum.* Velut ad extremum auxilium, inquit, et ad sacram anchoram, decursum ad Tiberium; et ille dux depostulatus in gravi grandique hoc bello. Nec Velleiana tantum adulatiuncula est; ipse Augustus, Suetonio teste, Tiberium « epistolis aliquot, ut peritissimum rei militaris, atque unicum populi romani præsidium prosequitur. » Habes ipsum istud elogium. Lipsius.

Diu est, quod conjeceram, ut *præsidium unicum, respublica*, etc.; verum ut vidi Lipsium meum reponere, *præsidium ultimum*, vix erat, ut meum mihi placeret. Cur tamen omnino nondum displiceat, facit ipsemet Augustus, qui, testante Tranquillo cap. 21, ipsum Tiberium « epistolis.... ut unicum populi romani præsidium prosequitur ; » ad quas literas fortassis attendere potuit, quum isthæc scriberet, Paterculus. Gruterus.

Mihi nil plane mutandum videtur ; et, nisi fallor, spectat idem Paterculus, quod supra dixit : « Peragratusque victor omnes partes Germaniæ, sine ullo detrimento commissi exercitus, quod præcipue huic duci semper curæ fuit ; » et alibi : « imperatori nunquam ulla adeo opportuna visa est victoriæ occasio, quam damno amissi pensaret militis, semperque visum est gloriosum, quod esset tutissimum. » Eamdem quoque Tiberio laudem tribuit Suetonius in Vita ejus, cap. 19. Vossius.

Hæc variis modis tentata. Pro *præsidium militum*, suspicor a Velleio fuisse, *præsidium jam solitum.* Sic apud Livium, l. XXII, cap. 48, quum in vetustissimis exemplaribus legatur, « Numidæ, præterita arma telaque, gladios occultos sub loricis habentes, » scribendum, « præter solita arma, » non *justa arma*, nec *consueta*, quod in vulgatis exstat. *Solitum præsidium* reipublicæ Tiberius Cæsar, qui jam tot bellis feliciter profligatis patriæ toties profuisset ; de hoc ipso Tiberio, cap. 103 : « sed fortuna, quæ subduxerat spem magni nominis, jam tum reipublicæ sua præsidia reddiderat ; patronus perpetuus romani imperii assuetam sibi caussam suscipit. » Tum de eodem itidem cap. 120, ubi apparet, *solitum præsidium* in *assueta caussa*. Heinsius.

Et hic excidisse quædam puto, et legendum, « itaque ut præsidium militum Augustus a republica, respublica ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium. » Burmannus.

Cap. idem, §. 3. *Mediocritas nostra.*

Ita jam ergo incipiebant loqui ? postea ejusmodi formulæ ad ineptias et

fastidium frequentatæ. Mirari possis jam tum, id est, sub Tiberio, ausum Valerium Maximum dicere, *mea parvitas*. Quæ vox adeo offendit eruditorum aures, ut pro comperto habeam, multos, quum in ipso limine huc tamquam in lapidem impingerent, sequius, quam meretur, judicasse de toto auctore; qui licet aliquando moliri gravius, quam felicius exhibere videatur figuras sententiasque, abunde tamen eloquentiam suam prudentiamque æquis judicibus approbare potest. BECLERUS.

CAP. CXI, §. 3. *Speciosi ministri locum.*

Malo *ministerii*, quomodo alibi; et sic Lipsius. Livius, libro IV, c. 8: « Tribuni magis necessariam quam speciosi ministerii procurationem intuentes. » HEINSIUS.

Ibid. *Finita equestri militia.*

Equestris militiæ mentio item apud Tranquillum, Augusti capite 46, aliisque locis; adeo ut monstro mihi simile videatur, virum rerum romanarum callentissimum, l. II, c. 9, militiæ suæ, emendare eumdem Tranquillum, Claudii capite 25, ac *equestres militias*, permutare in *semestres*: nihil enim ibidem interpolandum, ostendi in libellis suspicionum. GRUTER.

Ibid. *Designatus quæstor.*

Quæstor provincialis et necdum senator; ista designatione æquiparatus senatoribus; nam ut ait Asconius in III Verrina: « Prima senatoris administratio est quæstorem fieri, et in provincia curam gerere pecuniæ publicæ. » POPMA.

Ibid. *Necdum senator æquatus senatoribus, et jam designatis tribunis plebis, partem exercitus ab urbe .... perduxi.*

Lego, « etiam designatus tribunus plebi. » MANUTIUS.

Vir doctus et diligens, *tribunus militum*. Ego nihil temere mutaverim, præcedentia propter et sequentia: tum quod tribunatu et præfectura equitum functus discesserat ad civilia, hoc est, tribunatum et quæsturam, in qua legatus missus ad Tiberium; quum alias post quæsturam ante præturam moris; colliges ex hoc Tacit. II Annal.: « Censuit in quinquennium magistratuum comitia habenda; utque legionum legati, qui ante præturam ea militia fungebantur, jam tum prætores destinarentur. » SCHEGKIUS.

Emendant et ita edunt: *etiam designatus. Tribunus plebis*, etc.; non pro Velleii mente. Vulgata retinenda est; quæ hoc vult, sese æquatum senatoribus, id est, tribunis designatis, nondum senatorem. Qua in re? quod præfuerit copiis, æque ac tribuni, earumque partem duxerit ad Tiberium: nam tribuni hoc tempore eligi non poterant, nisi e senatu. Vide, sodes (et adde hunc ipsum locum opportune) quæ notavi II Elector. 3. LIPSIUS.

Quæstores designati, ante initum honorem, alias jus ingrediendi in sena-

tum non habebant. Itaque Noster nondum senator, singulari gratia æquatus senatoribus et tribunis plebis designatis, eodem quo hi jure fruebantur, auctus est. Biponт.

Krausius verba, *necdum senator... tribunis plebis*, a glossatoris manu esse suspicatus est. Me vero nihil in eo offendit : Velleius enim indicat sibi quæstori designato admodum juveni concessum esse latum clavum et jus senatoris, immo designati tribuni plebis. Cludius.

Cap. CXI, §. 4. *Quas nos primo anno acies hostium vidimus.*

Mallem, *quas non primo anno acies hostium vidimus :* nam, se *fudisse acies*, nimis gloriosi militis foret jactatio; sed se interfuisse plurimis præliis hoc modo loquendi innuit : ita enim interrogatione ista uti solent, Terent. IV, Adel. 1, 2 : « quam hic non amavit meretricem ? » et ita passim alii. Burmannus.

Ibid. *Quantis prudentia ducis opportunitatibus.*

Etiam hic vocabulum reor excidisse : « quantis prudentia ducis usi opportunitatibus. » Heinsius.

Bipontina, « quantis prudentiæ ducis opportunitatibus. » Krausius Heinsii conjecturam amplexus est. Cludius verbum *usi* post *opportunitatibus* collocavit. Nos quoque illud recipiendum putamus, ne periodus nimio laboret ablativorum concursu. Ed.

Ibid. *Furentes eorum vires universas evasimus partibus.*

Repone, *partibus*, quod male a Rhenano damnatum. Lipsius vero vellet, *invasimus ;* Gruterus, *exhausimus ;* magis, ut aiunt ex dignitate romana. Uterque frustra. Ipse Tiberius apud Suetonium propugnat, a quo si recedere voluisset, non potuisset Velleius. Verba ejus : « Batonem Pannonum ducem, ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit, gratias referens, quod se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere. » Vossius.

Evasimus, jure Vossius tuetur e Suetonio. Pro *furentes* possis *urgentes*, vel *ingruentes :* nam sequitur paulo post, « inopsque copiarum et intra se furens hostis. Heinsius.

Partibus exigit præcedens *universas*. Sic Columell. II, 3 : « non multum, nec universum cibum, sed partibus et paulatim præbere ; » pro, per partes, non omnia simul. Vid. inf. cap. 126, et supr. cap. 38. Burmannus.

Quando in tali re suum cuique judicium, quidni legatur, *elusimus ?* nobis quidem arridet, et non elegans modo, sed proprium videtur. *Partibus* cum Burmanno interpretandum *per partes :* nam, Krausio notante, tribus exercitibus hostis vires suas partitus erat ; supra, cap. 110, §. 4. Ed.

Ibid. *Quanto cum temperamento simul utilitatis.*

Mutilata est oratio : nam illud *temperamentum* aliud vocabulum, præter

utilitatem, sibi subjectum habere desiderat, ut apud Tacitum, Ann. XI, cap. 4 : « Eleganti temperamento inter conjugalem amorem et senatoriam necessitatem. » Forte: « quanto cum temperamento virtutis simul et utilitatis. » Infra cap. 114 : « O rem dictu non eminentem, sed solida veraque virtute atque utilitate maximam ! » Heinsius.

Minus forsitan a vero discedat, si quis legat : « quanto cum temperamento simul virtutis, simul utilitatis, » qua verbi repetitione librarius decipi potuit. Ed.

Cap. CXI, §. 4. *Inopsque copiarum.*

Copia pro cibo, commeatu. Apuleius noster, non ille Arcadii generis, sed Platonicæ sectæ, de Dogm. Plat. : « Quod quidem (os) aliis animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias comparatum est. » Utuntur et Tacitus, Val. Max., Plinius, alii. Acidalius.

Ibid. *Et intra se furens, viribus hostis elanguesceret.*

Locus ille pessime adfectus haud satis sibi cohæret. Per *inopem copiarum hostem*, victu destitutum intellige. Forte sic constituenda sunt illa : « inopsque copiarum, ut intra se suis ruens viribus hostis elanguesceret. » Quam conjecturam si admittimus, loco superiore, *furentes vires* haudquaquam sunt sollicitandæ. *In se magna ruunt*, inquiebat ille ; apud Senecam epist. XCI : « Quoties in se Paphus corruit ? » De Brevitate vitæ, cap. 4 : « in se ipsa fortuna ruit ; » et hic de numeroso hostium exercitu capiendum. Habes quoque apud Horatium : « suis et ipsa Roma viribus ruit ; » tum : » vis consilii expers mole ruit sua ; » apud Livium initio operis, de Romanis : « jampridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt ; » lib. VI, cap. 19 : « ut suis ipse oneratus viribus ruat ; » et apud Tacitum Hist. IV, c. 17 : « Galliam suismet viribus concidisse. » Seneca de Beneficiis, l. VI, c. 31 : « ubi prima vis defluet, tuis te viribus prement, » de Græcis resistentibus Xerxi ; sed hæc speciosa magis quam vera. Quare, ne quid lectorem moremur, scribendum potius est, ut arbitror : « inopsque copiarum, et interea se suis terens viribus hostis elanguesceret. » Sic *confici viribus suis* apud Florum, lib. III, cap. 12 ; et lib. IV, c. 11 : « hostem interclusum inopia commeatuum terere. » Heinsius.

Illud *furens viribus* non moverem : dictum enim, ut *ira*, *ense*, etc., *furere*. Vid. Heins. ad Val. Fl. I, 144. Deinde forte legi posset, *intra septa furens viribus* ; ut comparetur *inclusus* hostis fero animali in septum concluso, quod furit viribus, et nihil nocere potest. Non plane quidem similis, sed nec omnino aliena illa comparatio apud Virgil. IX, 551 : « Ut fera, quæ densa venantum septa corona Contra tela furit. » Burmannus.

Cap. CXII, §. 1. *Messalini.*

M. Valerii Messalini, filii M. Valerii Messalæ Corvini (de quo supra, 71 et 84, §. 1), et fratris Lucii, mox Cottæ dicti. Consul fuerat anno Urbis cond. dccli. Krausius.

CAP. CXII, §. 3. *Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ubicunque Cæsar esset, nihil in se reponerent.*

Excidit vocula ob cognationem syllabarum subsequentis præcedentisque: « ut... nihil in se reponerent. » Sed nec *placebat* sanum haberi potest, quum contrarium Velleius velit exprimatque. Quid multis? repono: « ita jacebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium. » *Jacere* pro animo dejici, usitatum optimis latinitatis scriptoribus. HEINSIUS.

Ego *placebat* retineo; est enim sarcasmus et ironica irrisio: licet superbi essent numero et viribus, et ideo deberent spe et audacia efferri, tamen ubi Cæsar adesset, nihil in se spei reponebant. De verbo *placere* egimus ad Petron. 44 et 46; *spes* vero an recte addatur dubito, quia et simpliciter *reponere* idem notat. Ita Justin. XXIV, 8: « Delphi plus in Deo, quam in viribus reponentes; » ubi alii *spem ponentes*; sed recte vindicat *reponentes* Vorstius. Livius, lib. XXIV, cap. 37: « Pinarius, acer vir, et qui plus in eo, ne posset decipi, quam in fide Siculorum reponeret. » Noster supr. cap. 32: « neque omnia in uno reponenda. » BURMANNUS.

Ibid. *Proposita ipsi duci.*

Nihil muta: pergit enim auctor in sarcasmo suo; quasi illa pars non opposita esset ad pugnandum, sed exposita Tiberio ad cladem accipiendam. Ita Cicer. V ad Fam. 16: « Ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit vita nostra; » et hoc docent sequentia, « ad arbitrium macerata; » ita et Florus, IV, 8: « ad hostium arbitrium sub percussore moriturus; » et cap. 11, « naves ad arbitrium dissipavere; » idem notat quod *jure suo.* » BURMANNUS.

Proposita, tamquam scopus quem ipse Tiberius peteret. Sic Livius, XXVIII, 2, extr. « Asdrubal propositum se bello ratus. » Frustra igitur Lipsius tentat in *opposita*. BIPONT.

Ibid. *Monte Claudio.*

Plinius, lib. III, cap. 25, de Pannonia: « Mons Claudius, cujus in fronte Scordisci, in tergo Taurisci. » Dio, lib. LV, corrupte Ἄλμαν montem. POPMA.

Dio in hac narratione *Almæ* montis meminit; nec errat, quod censuit Schegkius. Multo minus corruptus est, ut putabat Popma: nam et Alma mons juxta Sirmium in Scordiscis. Hoc liquet ex Flavio Vopisco, quem sequuntur, aut exscribunt potius Eutropius et Aurelius Victor; nisi quod apud hosce corrupte sit *Almum*, pro *Almam*. VOSSIUS.

CAP. idem, §. 5. *Sed romana virtus militi plus eo tempore vindicatum gloriæ, quam ducibus reliquit.*

Videtur omnino toleranda hæc lectio, neque opus esse, ut pro *militi*, substituatur *militibus*; aut pro *vindicatum*, *vindicandum*. BECLERUS.

Mihi dubium non fit quin *vindicatum* e margine irrepserit in textum. Et egregia figura dicit *militi et ducibus*, quum potius scribendum fuisset *militibus ac duci*. Gruter.

Heinsius cum Bœclero *vindicatum* defendit; sed hoc nullo modo regi potest a sequenti verbo *reliquit*. Bipontina non male *vindicatum iit;* nam ultima prioris vocis litera facile subsequentem vocem haurire potuit. Cludius *vindicavit sibi;* sed *vindicare* etiam sine dativo construitur: Cicero Offic. I, 7: « ortus nostri partem patria vindicat. » Forsitan legendum: « Sed romana virtus militi plus eo tempore vindicatum iit (seu vindicavit) gloriæ, quam ducibus reliquit; » ut *militi* et *ducibus* inter se opponantur. Ed.

Cap. CXII, §. 6. *Qui etiam primi ordines cecidere.*

Quibus etiam in MS. legebatur; ut non sint audiendi Lipsius, Acidalius, aliique, qui emendant: « qui etiam primi ordinis cecidere. » Sane *primi ordines* iidem, *qui primi ordinis centuriones*. Ita capiendus est locus ille Cæsaris in VI de Bell. Gallico, vulgo non intellectus: « Labienus, noctu tribunis militum, primisque ordinibus, convocatis, quid sui consilii sit, proponit. » Solus græcus interpres sensum assecutus est, qui vertit: Ὁ Λαβιηνὸς τούς τε χιλιάρχους, καὶ τοὺς πρώτους ταξιάρχους, συγκαλέσας. Sic et Quintilianus, declamatione tertia: « Enimvero auctorem habet: hoc primi ordines jubent; » et Frontinus, lib. I, cap. 11: « Imperavitque tribunis, et primis ordinibus, et centurionibus. » Intelligenda autem in Velleio præpositio *e;* quod ei familiare esse, antea etiam monuisse me memini. Vossius.

Cap. idem, §. 7. *Avo suo naturali.*

Augusto, cujus nepos ex Julia filia erat Agrippa, de quo Suetonius et Tacitus. Avus naturalis ad differentiam adoptivi accipiendus est, sicut naturalis pater opponitur adoptivo apud jurisconsultos, tit. de Adulteriis, tit. de Adoption., et alibi. Popma.

Ibid. *Mira pravitate animi.*

Æquior Tacitus: « Uti nepotem (ait) Agrippam Postumum in insulam Planasiam projiceret, rudem sane (vet. quid. *insane*) bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. » Itaque Velleius comico parasito sua genera adstruit. Schegkius.

Suetonius, Aug. 65, *ingenium sordidum et ferox* huic tribuit. Dio, LV, pag. 652, δουλοπρεπῆ vocat, præcipitisque iræ hominem; ausum etiam, *novercalem animum* Juliæ, et Augusto *bonorum paternorum detentionem* exprobrare. Tacitus, Ann. I, 3, 6: « Rudem sane bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum, » memorat; exsiliumque, quo ab Augusto mulctatus est, Liviæ artibus tribuit; sed et de exitu ejus, quem Velleius *dignum furore hominis* vocat, longe

aliter judicat Tacitus, Ann. I, 6, 1, etc. Vide locum, et *primum Tiberiani principatus facinus*, velo adulationis hic obductum, revelandum amplius a Dione, LVII, pag. 692, et Clapmario, V Arcan. 2. Bacler.

Cap. CXIII, §. 1. lxx *amplius cohortibus*, xiiii, *sed pluribus quam decem veteranorum millibus.*

Inserendum *alis*, quod vidit Lipsius; sed numero xiiii aliquid detrahendum, cujus fortassis extremæ notæ ex verbo *alis* male descripto natæ sunt, sicut ejusdem verbi litera ultima, sequenti conjunctioni addita, sensum depravavit. Legerem itaque: « x (aut xi) alis, et pluribus quam, etc. » Quamvis conjecturam hanc esse fateor. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Quæ probanda essent.*

Talis Fabius Maximus, de quo Ennius: « Unus homo nobis romanam restituit rem: Non ponebat enim rumores ante salutem. » Gruter.

Talis locus mox sequetur c. 115, 5; utrumque, ob verborum exemplique gravitatem laudavit, in hoc argumento Lipsius, V, 16, 20. Cum primis autem eximia oratio Q. Fabii Maximi ad Æmilium huc pertinet, ex Liv. XXII, 39. Baclerus.

Cap. idem, §. 3. *Et partem digredientium, suorum quisque metu finium, universi tentare non possent.*

Duæ voces, *quisque*, et *finium*, pessimo exemplo, aut flagitio potius, in quibusdam editionibus omissæ sunt. Sane pr. ed. eas agnoscit. Vossius.

Sensus est: quod quisque hostilium ducum suis finibus timeret, si universi digredientes Romanos sequerentur et tentarent. Bipont.

Ibid. *Regressus Sisciam.*

Hoc oppidum Pannoniæ superioris apud Strabonem, lib. VII, Σισκία; sed, ut Velleius, *Sisciam* nominant Ptolemæus, Antoninus, Dio et Plinius, cujus verba sunt lib. IV, c. 25: « Calopis in Savum influens juxta Sisciam, gemino alveo insulam ibi efficiens, quæ Segestria appellatur. » Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosii: « Testis est Siscia, testis pulcherrimus amnc confluvius; » ibidem: « iter a Siscia Mursam. » Prudentius in hymno in Quirinum martyrem: « Urbis mœnia Sisciæ Concessum sibi Martyrem Complexu patrio fovent. » Pomma.

Sita est hæc urbs (hodie *Sisseck*) ad confluentes Savum et Colopem (hodie *Culpa*), et juxta viam quæ in Italiam ducebat. Krausius.

Cap. CXIV, §. 2. *Erat desiderantibus paratum junctum vehiculum.*

Junctum Krausio de glossa suspectum est, qui dubitat an hoc participium sine *equis* absolute poni queat; sed Livius, XLII, 65: « Juncta vehicula, pleraque onusta, mille admodum capiuntur; » et XXXIV, 1, « neu juncto vehiculo in urbe oppidove... veheretur. » Ed.

CAP. CXIV, §. 2. *In hoc solum importatum instrumentum balnei.*

In castra importatum, unde prisca et severa militaris disciplina arcere solebat; et ideo addit, *in hoc solum.* BURMANNUS.

CAP. idem, §. 3. *Adjice jam illud.*

Rhenani codex: *Adjiciam illud.* Atque ex eodem pro *agnosceret*, quod mox sequitur, lege, *agnoscet.* VOSSIUS.

Ibid. *Cœnavit sedens.*

An, ut circa rem militarem videri voluit vir antiquis moribus, similiter hic? prisci enim ad cœnam sedebant; Isidorus, lib. XX: « Sedes dictæ sunt, quod apud veteres Romanos non erat usus accumbendi; unde et considere dicebantur. Postea, ut Varro ait de Vita pop. rom., viri discumbere cœperunt, mulieres sedere; » an imitati heroes, qui sedebant, auctore Athenæo, lib. I: Καθίζονται ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται, τοῦτο δὲ καὶ παρ' Ἀλεξάνδρῳ τῷ βασιλεῖ ἐνίοτε ἦν, ὥς φησὶ Δοῦρις. SCHEGKIUS.

Ibid. *Non sequentibus disciplinam.*

Malumus intelligere, cum Jacobsio in germ. versione, exemplum Tiberii, quam disciplinam militarem, quæ impune violari a nemine potuit. *Disciplina* autem a *discendo.* Cicero pro Dejotaro: « imitari mores et disciplinam avi. » ED.

Ibid. *Admonitio frequens inerat.*

Krausius, *erat.* Nos subaudimus, « in ejus erga milites agendi ratione, » ut integro textu salva sit sententia. ED.

CAP. idem, §. 4. *Hiems emolumentum patrati belli contulit.*

Patratum dicit bellum, quum tamen superessent debellandi Dalmatæ; sed quum hi sequenti æstate maxime a Germanico devicti fuerint, captusque Bato Desitiates (qui Ovid. II ex Ponto ep. 1, v. 46: « Belli summa caputque » dicitur), anticipando transmovet victoriæ Germanici, obiter laudati c. 116, §. 1, gloriam in Tiberium, quum diffiteri nequeat, c. 115, §. 4, æstate sequente consummatum esse maximum bellum. BIPONT.

Ibid. *Reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus.*

Ita plane similiter Noster supr. cap. 17: « Finito ex maxima parte, nisi qua nolani belli manebant reliquiæ, italico bello. » BURMANNUS.

Ibid. *Bathinum.*

Plinius, lib. III, cap. 13, in Picena, regione italica, collocat flumen

Batinum, diversum ab hoc Velleii *Bathino*; cum quo forte idem amnis *Bacutius*, quem in Pannonia numerat Plinius eodem libro, cap. 15. POPMA.

CAP. CXIV, §. 4. *Captum alterum, alterum a se deditum.*

Probat Dio, lib. LV, ubi scribit, Pinnetem, a Batone proditum, in Romanorum manus pervenisse; libro item sequenti narrat, ut Bato sese dediderit. VOSSIUS.

Intellige Batonem Desitiatem, de quo loquuntur Suet. Tib. c. 20, et Ovidius loco supra citato. Bato enim Breucus, traditor Pinetis, a Desitiate victus et interfectus erat anno seq., teste Dione LV; neque is Romanis captus aut deditus fuit. BIPONT.

CAP. idem, §. 5. *Omnibus copiis a Cæsare M. Lepidus præfectus est.*

Manuscr. *a Cæsarem*, unde divulso τῷ M (prænomine Lepidi) bene Burerius rescripsit nostrum. Neque audiendus Lipsius, qui voluit *a Cæsaribus*, ad quos referatur mox *nominis ac famæ eorum proximus*; opportunius sane pro *eorum* nobiscum legas *Cæsarum*. Fuit certe is quem Augustus, « supremus sermonibus quum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem possent cuperentque, dixerat capacem, sed aspernantem, » Tac. Ann. I, 13. Inde Lipsius eum potius M', h. e. Manium (qui Tac. Ann. III, 22 occurrit), quam M. seu Marcum, illius æqualem, esse vult; sed contradicunt ei Rupertus, J. F. Gronovius, Ryckius ad Tac., et Vossius ad Vell. Nos veremur ne pro uno Lepido nobis duos fecerit varietas scribendi; quum apud Dion. et Fast. Capit. is dicatur *Marcus*, qui in Tab. Narbon., apud Grut. inscr., scriptus *M'*. Nostrum vero laudat Tac. An. III, 32; IV, 20; VI, 27. BIPONT.

Ibid. *Vir nominis ac fortunæ eorum proximus.*

Pro « vir nominis ac fortunæ eorum proximus, » utique scribendum *Æmiliorum*. Noluit enim dicere Lepidorum; quod Lepidi plerique, complures certe, damnosi reip. ac mali. At in gente Æmilia præter Lepidos, Paulli, Mamerci, Scauri, aliique viri præstantissimi haud pauci. Caute igitur id dictum a Velleio. Rutilius Numantianus in Itinerario (nam versus, quod plures sint, non adscribo), quatuor Lepidos notat, ut exitiosos reipublicæ: primum qui cum Q. Catulo contentiones exercuit post obitum Sullæ, ac in Sardinia periit; alterum triumvirum; tertium ejus filium, conspirationis reum adversus Augustum; quartum, qui spe dominationis Agrippinam stupravit; quibus et plures possint addi. Tacitus, Ann. VI, cap. 27: « Æmilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia corruptis moribus, illustri tamen fortuna, egere. » Idem, III Ann., de Lepido: « cui, super Æmiliorum decus, L. Sulla, et Cn. Pompeius proavi erant. » Rursus Ann. VI, cap. 29: « Scaurus, ut dignum veteribus Æmiliis, damnationem anteiit. » Olim legebam, *avorum*; Vossius, *suorum*; sed alterum verius. HEINSIUS.

Durum esset dicere Æmilium Lepidum fuisse proximum nomini ac fortunæ Æmiliorum : quare *eorum* capiendum pro *Cæsarum*. Egregie hujus M. Lepidi stemma illustravit Rupertus, epist. ad Reines. LX, et Lipsii errorem, Marcum et Manium sæpe confundentis, refutavit. Proximum autem Cæsaribus ostendit, quia aviam babuit Seriboniam, Augusti conjugem, matrem Corneliam Juliæ sororem, et materteram L. et C. Cæsarum, fratrem L. Æmilium Paulum, Juliæ neptis maritum; proximus ergo *nominis*, id est, familiæ et generi Cæsarum, ut centies *nomen* capi notum est; *fortunæ* vero, quia ad summos honores evectus, et ipsi Augusto capax imperii (Tac. Ann. I, 13) videbatur. Nec moveat quem τὸ *eorum*, quia præcessit *Cæsare;* nam nihil familiarius scriptoribus a singulari, quo unum hominem designarunt, deinde transire ad plurale, quando totum ejus genus intelligi volunt. Vide exempla a nobis adducta ad Quint. Inst. IX, 2, et Decl. XII, 5, et XIII, 13, quibus infinitus numerus facile addi posset. Adde Davis. ad Cicer. de Nat. Deor. I, 38. Hoc ignorantes, *a Cæsaribus* rescripserunt, contra fidem codicis antiqui. Burmannus.

Quantaecunque sit Burmanni auctoritas, et qui eum secutus est, Krausii, quibus non defuit unde sententiam suam fulcirent, cum Cludio tamen libenter amplectimur Bipontinæ editionis partes, in qua pro *eorum*, facili mutatione, *Cæsarum* legitur. Ed.

Cap. CXIV, §. 5. *Quem in quantum quisque aut intelligere aut cognoscere potuit, in tantum miratur ac diligit.*

Non longe hinc de Licinio Nervæ, simile in partem : « quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus est. » Acidalius.

Ibid. *Tantorumque nominum quibus ortus est.*

Scilicet filius fuit Quinti, nepos triumviri, idemque pronepos et Sullæ et Pompeii. Bipont.

Cap. CXV, §. 1. *Magio Celere Velleiano.*

De Velleii fratris cognomine, quod ex corruptissimis manuscripti vestigiis expressit Erasmi ingenium, vide, initio operis, de Velleii vita dissertationem nostram. Ed.

Ibid. *Honorum, quibus triumphans eum Cæsar donavit.*

Velim, *donorum*. Mox de eodem fratre et se : « quem (triumphum) mihi fratrique meo inter præcipuos, præcipuisque donis adornatos, viros comitari contigit. » Notus mos triumphorum, in quibus coronæ, torques, phaleræ, bello meritis dari solebant; si tamen *honores* tenes, capere possis triumphales. Lipsius.

Donorum Lipsius. Ego, quamquam minime ignarus *donare dono*, apud Livium aliosque formulæ antiquæ loco non semel occurrere, tamen a vul-

gata scriptura haud temere recedendum esse opinor: nam et *honores* pro *donis* nonnunquam ponuntur, et *honoratus* pro muneribus adfecto. Dictys libro II: « Ibi Ajax collaudatus a rege donis egregiis honoratur. » Apud Nasonem certe, Met. XIII, Ajax: « Nos inhonorati et donis patruelibus orbi. » Epitome Liviana, lib. CXXIX: « M. Agrippa navali corona donatus est, qui honos nemini ante eum habitus erat. » Heinsius.

Cap. CXV, §. 3. *Quæ si propriis gessisset auspiciis*, etc.

Recte, *non propriis auspiciis*. Auspicia enim primitus tamquam imperatori sibi reservabat Augustus. Hinc Suetonius, in relatione devictarum Augusto imperante nationum, ait: « Domuit partim ductu, partim auspiciis suis. » Ideoque et triumphus negatus, qui in libera repub. alienis auspiciis victori decretus, concessa honoris ergo dumtaxat ornamenta triumphalia postmodum. Dio, libro LIV: « Ob hæc supplicatio Agrippæ nomine fuit, neque tamen is triumphum, etsi decretum sibi, egit; sicut neque initio quidquam de his rebus gestis ad senatum perscripsit. Cujus exemplum pro lege quadam acceptum posteriores imitati, ne ipsi quidem senatum per literas de re gesta certiorem fecerunt, ut neque triumphum duxerunt; ideoque, ut ego censeo, nulli etiam alii, qui ejus similis esset, triumphus deinde concessus est, sed solis triumphalibus honoribus sunt ornati. » Primum auctorem hujus moris hic laudat Agrippam, discedente Suetonio, cap. 9, qui in Tiberio: « Curru, ait, ingressus est primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo, nec antea cuiquam tributo genere honoris. » Insignia fuerant, corona, patera aurea, sella curulis, scipio eburneus, tunica palmata, toga picta, laurea; quibus doctissimus et de antiquis literis unice promeritus Onuphrius, adpellationem imperatoris adjicit falso. Refutatur a Tacito, lib. III, qui Augustum id honoris quibusdam, non omnibus, et Tiberium Blæso postremum contulisse prodit; et a Nostro, infra de Blæso, « qui post paucos annos procos. in Africa ornamenta triomphalia cum (vides discernere, adpellationem imper. ab ornamentis, tamquam augustius quid) adpellatione imperatoria meruit. » Schegkius.

Cap. idem, §. 4. *Situ locorum ac montium, ingeniorum ferocia.*

Forte, « situ locorum ac montium ingenio, tum animorum ferocia. » Sic *ingenium loci* apud Nasonem, Papinium in Silvis, Sallustium, Florum. Apud Plinium Hist. Nat. lib. XIV, cap. 1: « mores cæli solique ingenia; » apud alium Plinium, Panegyrico Trajani, *ingenia cœnarum;* apud Tacitum quoque « ingenium loci cæliqoe, ingenium aulæ, ingenia noctium, ingenio suopte homeotes campi, » et similia; sed Livius, lib. XXI, cap. 37: « Inde ad planum descensum est, etiam locis mollioribus et accolarum ingeniis; » ubi malim, « ut jam locis mollioribus, ita accolarum ingeniis. » Pomponius Mela, lib. I, cap. 7: « Leptis altera nomine atque ingenio par priori. » *Ingenia fontium* eidem, libro III,

cap. 10. Sed ao non satis erat *locorum* dixisse : *montes* enim locis ac regionibus accensentur. Quid quod de *angustiis saltuum* subjungit? Fors dederit Velleius : « situ locorum, ac immanium (*vel* immani) iogeniorum ferocia. » HEINSIUS.

CAP. CXVI, §. 1. *Experimenta virtutis.*

Prima virtutis bellicæ specimina, ut supra, 94, §. 4. Germanicus, nobilissimos ille Drusi fratris Tiberii et Aotooiæ miooris filius, admodum adhuc juvenis, xx annorum, quæsturam, qoinqueooio aotc quam per leges liceret, tum gerens, ab Augusto io boc bellum, quod protrahere Tiberius videbator, cum exercitu et imperio missus est. Vide Dion. LV, 31; Suet. Calig. I, ibique Ondendorp. De rebus ejus in Dalmatia in locis difficillimis gestis vide Dion. LV, 35; LVI, 11 et 15. KRAUSIUS.

Ibid. *In multos ac difficiles locos præmissus.*

Præmissus, a Tiberio scilicet. *In incultos ac difficiles locos*, Heinsius, probantibus Krausio et Cludio; sed gratuita mutatione nihil opus. Parce autem et trauseuodo victorem laudat Paterculus (Bipoot. ad h. l.), oe imperatori suo detrahat. ED.

Ibid. *Celebri etiam opera diligentique.*

Forsitan *celeri*; certe *celebri* cum *diligenti* male jungitur. An com Lipsio legendum, quod malim, *diligentiaque?* in alterotro certe meodum latet. Adde quod paocis infra versibus iterum tibi *celebres* occurret; sed haoc rationem apod Velleium parvi momenti esse fateor. ED.

CAP. idem, §. 2. *Julius Posthumius.*

Falso : uam *C. Vibius Postumus* intelligendus; ut ostensum Pighio in Annalibus Romanis. Erratne igitor Velleios? Neutiquam. Saoe ex editione Rhenaoi, ac Borerii variis lectionibus, ita hunc locum io MS. expressum fuisse liquet : « celebri etiam opera diligenti quibus Jol. Postumus. » Lego igitur : « celebri etiam opera, diligentique, Vibius Postumus. » Qoæ quin verissima lectio sit, vix ambigo. Mentio hujus Vibii, præter alios, etiam apud Florum, lib. IV, cap. ultimo, ubi perperam viri docti *Tiberium* substituere conantor. VOSSIUS.

C. Vibius Postumos, consul suffectus a. U. c. DCCLX. Dalmatiæ præpositus anno DCCLXIII, hoc bellom coofecit, perdomito quidquid Tiberius et Germanicus reliqueraut. ED.

Ibid. *Passienus.*

Hic *L. Passienus Rufus* dictus, consul anno U. c. DCCXL, et in marmore apud Gruter. pag. 106, 4, memoratus, quem adfert Casaub. ad Suetoo. Aug. 57; sed perperam Ooupbrios cum *Crispo Passieno* coofodit, ut ostendit Castal. I Observ. Decad. IV, 8, et Decad. VI, 1. BURMANNUS.

CAP. CXVI, §. 2. *Cossus.*

Dictus *Getulicus*, Flor. IV, 12; in lapidibus apud Gruter. pag. 107, 1 et 2, dicitur, *Cossus Cornelius Lentulus*, consul a. U. c. DCCLIII, et in alio lapide apud Pigh. in Ann. ad a. U. c. DCL, et Reines. X, 4, *Cossus Cornelius* dicitur, et eodem nomine consul DCCLXXVIII; et anno sequenti, *Cn. Cornelius Lentulus Getulicus*, qui forte ejus filii fuerunt, et anno DCCCXIII, *Cossus Corn. Lentulus, Cossi filius* (Gruter. pag. 8, 5), de quo Lipsius ad Tacit. Ann. IV, 44. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 3. *L. Apronius.*

Qui consul suffectus fuit a. U. c. DCCLXI, postea a. DCCLXXIII proconsul Africæ. Vide Pigh. Memoriam proconsularis imperii in Africa servat nummus Drusi Cæsaris, cusus *permissu* L. Apronii procos. III. Vid. Vaillant. de Numm. Colon. æreis, pag. 92. Ejus filius L. Apronius Cæsianus, consul a. U. c. DCCXCII. Reines. epist. LIII ad Rupert. BURM.

Ibid. *Utinam non*, etc.

A commemorandis viris hujus temporis qui triumphalia meruerunt, hac universa sententia transit ad aliorum exempla, qui, licet dignissimi, tamen fortunæ iniquitate honorum ejusmodi merendorum occasione privati fuerunt. KRAUSIUS.

Ibid. *Nam et Sejanus.*

Suppositum nomen est, et prima editio refert: *nam et etiam antiquissimi.* In Sejanum hæc non conveniunt, qui equestri loco, provincias aut exercitus non rexit. Tacitus te docebit, lib. IV Annal., ubi vita et facta viri. Anne, *nam et Junius?* Caussa suspicionis ex loco Velleii infra c. 125; ubi Junium Blæsum *in Illyrico celeberrima militia* fuisse ait, *cum imperio in summa pace et quiete continuisse*; et interserit, *ut prædiximus.* Ubi autem de Junio aut Illyrico aliquid prædictum, nisi si hic? Adde, quod in eum convenit Africæ præfectura, cujus hic quoque mentio. Turbat tamen, quod ait eum, *defectum materia adipiscendi triumphalia;* nisi si hoc adstringis ad Germaniam et Illyricum tantum, nam ex Africa certe ea rettulit. LIPSIUS.

Licenter hoc loco grassati sunt homines eruditi. Certe nec Velleium nec veteres membranas hic agnoscimus. In membranis quidem, *nam et etiam vir antiquissimi moris.* Tolle τὸ *etiam*, quod interpretamentum est τοῦ *et* proxime præcedentis, ita omnia erunt perspicua. Nunquam de Sejano cogitaverat hic loci Velleius, cujus bello dalmatico nullam operam fuisse ex scriptoribus vetustis jam est in comperto. Sed ad Apronium hæc referenda sunt; de quo quum proxime egisset, persequitur ejus idem hic laudes Noster, continuato orationis filo. HEINSIUS.

An vero hæc verba Apronium spectent dubito, quia ille triumphalia

ornamenta accepit, ob res bene gestas in Germania, teste Tacito, Ann. I, 72, et in Africa Taefarinatem vicit, Tacit. Ann. III, 21. Non ergo materia defectus fuit; sed relinquamus ulcerosum locum aliis sanandum. BURMANNUS.

Miror vero quod nemini in mentem venit C. Sentius Saturninus, consularis et adjutor horum bellorum, majoris nominis quam Apronius eques. Laudat Sentium ut supra c. 105. BIPONT.

Bipontina, *nam et C. Sentius*, quod Cludio probatum; Krausius ex Ruhnkenio, *nam Ælius Lamia*. Quid agamus? an post tot aliorum conjecturas, nostram quoque, novam aliquam et inauditam, in lucem proferamus? Multo præstat, cùm Burmanno ulcerosum locum relinquere, vel Ruhnkenii saltem prudentiam imitari, qui textum, si non a librarii, saltem ab editoris errore integrum proposuit. ED.

CAP. CXVI, §. 4. *Et A. Licinius Nerva Silianus.*

Ita etiam hujus nomen in argenteo æreoque denario perscriptum invenit Ursinus. Liquet igitur, quod ante adoptionem Silius fuerit dictus. Hujus vero filium fuisse arbitror P. Silium Nervam, qui anno U. c. DCCXVIII, consulatum gessit cum C. Julio Attico Vestino; quod ex Fastis Capitolinis ac Tacito liquet. Unde emendandus Phlegon, Rerum mirabilium cap. 33, ubi vulgo perscriptum : ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Αὔλου Δουκισσίου Νερούα Σιλανικτοῦ καὶ Μάρκου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. Legendum autem : Αὔλου Λικιννίου Νερούα Σιλιανοῦ καὶ Γαΐου Οὐεστίνου Ἀττικοῦ. VOSSIUS.

Ibid. *Quem virum ne qui intellexit quidem abunde miratus est.*

Sensus : ne a familiarissimis quidem, qui ejus ingenium et indolem perspexerant, merita admiratione cultus est. KRAUSIUS.

Ibid. *Ne nihil non optimo civi, simplicissimo duci perisset.*

Pace Ruhnkenii dixerim, nemo aliter quam Burmannus (vid. not. sequentem) hunc locum explicare poterit. *Ne nihil non*, id est, *ne omnia*; qui aliter, unam negationem temere inducunt. Dicit Velleius omnia Siliano non periisse, superstite ejus gloria, quod eum abunde mirati sunt omnes, etiam qui non satis virtutem ejus intellexerunt. Supra enim legendum existimo, *qui ne intellexit quidem*; aut, salvo textu, efficiendum similem sensum; nam utique hæc in Siliani laudem dicta, cujus famam Velleius pro aliquo ejus mortis solatio amplectitur. Neque ideo cum Burmanno legerim, *præferens jam majora*, sed cum Basileensi et Ruhnkenio *præreptus immature*, quod etiam de homine non admodum puero dici potest : jam quippe consularis erat Silianus, et virtute factisque celeberrimus. ED.

Ibid. *Præreptus immature*, etc.

Præferens immatura, princeps editio; non omnino male, quamquam

locus videtur interpolatus, quum et hanc et præcedentem proxime claudat periodum τὸ *defectus est*. Cæterum τὸ *præferre*, hic positum apparet, ut cap. 118: « ardorem animi vultu oculisque præferens; » cap. 94, « viam prætulit principem; » cap. 27, « præferens vultum victoris magis quam morientis. » Igitur *præferens immatura* dicitur, qui ad maturam ætatem nondum pervenerat; quamquam opinor dedisse Velleium, *præferens jam matura*; quod ad præclaras animi in illo dotes refer, quum ætatis esset immaturæ. Heinsius.

Durior locutio *præferens immatura*, vel *jam matura*, nec satis conveniens Siliano, quem jam *ducem* ante appellavit, ideoque jam rebus gestis clarus habebatur, jamque consul a. U. c. DCCLX fuerat, et quem biennio fere post ex hoc loco defunctum esse colligere licet. Quare legendum puto: *præferens jam majora*, id est, promittens majora, » quam quæ scilicet antea gesserat. Et ita cohærent præcedentia, *ne nihil non*, id est, ne omnia perissent optimo civi. Manent enim ejus res gestæ, et gloria, licet majora potuisset gerere, et consequi, si non mortuus fuisset; de verbo *præferre* vide supr. ad cap. 94. Burmannus.

Præreptus immature Ruhnkenio, Krausio, Cludio, nobis arridet: cui tamen veterem lectionem Bipontina prætulit, interpretans falso, ut putamus, *præferre immatura*, immaturum obire, malle fortiter pugnando per virtutem obire. Melius eadem adnotavit, verisimile esse, Siliani mortem, hoc ipso bello dalmatico prærnaturam accidisse; quod et Krausio visum. Ed.

Cap. CXVI, §. 4. *Defectus est.*

Hic malim *deceptus est*, quod eleganter dictum est, pro privatus est per mortem immaturam. Vide quæ nos olim ad Petron. cap. 115 notavimus, et plura mox dabimus ad Ovid. Met. V, 147. Confundi vero hæc verba a librariis et alibi deprehendi. Sic apud Ovid., III ex Pont. 4, 37, pro vulgata *his ego defectus*, quidam codices habent, *his ego deceptus*: idem est vero *deceptus his*, quod *fraudatus*, quo verbo et Noster alibi, et alii scriptores in simili casu uti amant. Posset et legi *dejectus est*, per mortem scilicet. Burmannus.

Cap. idem, §. 5. *Justus sine mendacio candor.*

Pro *justa et ingenua confessione* positum est; sed aliquid in phrasi redundat: mendacium enim cum candore nunquam sociari, quis nescit? Ed.

Cap. CXVII, §. 1. *Tantum quod.*

Agnosco honestissimam formulam, *tantum quod*, Ciceroni quoque ipsi familiarem. Abundat *quod*, et sermoni in ornatum et vehementiam supervenit. Atque ait Velleius: vix pannonicum delmaticumque bellum Cæsar finierat, quum ecce statim e Germania funestum novæ cladis nuntium. Omitte ergo mutare, nec invide Tullianam Velleio elegantiam. Acidal.

Nil mutandum : asseruerunt pridem eam loquendi formulam viri docti ad Sueton. Aug. 63 : « Juliam primum Marcello, Octaviæ sororis suæ filio, tantum quod pueritiam egresso nuptum dedit ; » Neron. 6 : « Natus est XVIII kal. jan., tantum quod exoriente sole. » Cic XV ad Attic. ep. 13 : « Hæc quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam ; » ad quem locum non debuit Manutius adducere illud in Verrem : « tantum quod hominem non nominat ; caussam quidem totam perscribit. » Hic enim aliam significationem atque σύνταξιν habent illæ particulæ, ut quivis videt. Baclerus.

Cap. CXVII, §. 1. *Quum intra quinque consummati tanti operis dies funestæ ex Germania epistolæ cæsi Vari.*

Etiam hic locus fœdissimum in modum est luxatus : nam quomodo Vari epistolæ jam cæsi ? Forte : « quum intra quintum consummati tanti operis diem funestæ ecce e Germania epistolæ de casu Vari, » subaudi, *adferuntur.* Cicero, lib. II ad Att. ep. 9 : « Epistolam quum a te avide exspectarem, ecce tibi nuntius. » Heinsius.

Potuit excidisse vox *nuntiæ*, ut legendum esset, *et sex cohortium nuntiæ.* Sed forte nihil deest, et *epistolæ cæsi Vari* dictæ pro *de cæso Varo.* Ellipseos vero istius multa in Ciceronis epistolis exempla. Sic Att. VII, 24 : « Ecce postridie Cassii literæ Capua ; » ubi literas Cassii ad Cassium scriptas interpretantur. Nescio an recte. Posset etiam in vocibus, *velut in*, latere verbum *venerunt*, ut legatur : « funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari,.... venerunt. Hoc saltem, etc. » *Venire* autem proprie de epistola dici, vidimus ad Ovid. Epist. XV, 4. Burmannus.

Burmannus addere voluit *nuntiæ venerunt ;* alius vir doctus *redditæ sunt ;* præter necessitatem. Si inseruimus *en*, omnia satis clara sunt : « Quum en intra quinque cons. op. dies, etc. » Cludius.

Ibid. *Velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna*, *ne occupato duce*, *et caussa persona moram exigit.*

Petrus Delbenius legendum putat : « sed caussa personæ moram exigit. » Ait enim, indulsisse in hoc fortunam Romanis, quod hoc bellum non accidit occupato duce, sc. Cæsare, quem proxime dixit imposuisse ultimam manum dalmatico bello. Deinde, quia de Varo mentionem fecerat, ait, caussam personæ moram exigere, ideoque digreditur in Vari moribus describendis more suo. Manutius.

Mutilum est. Videtur fuisse : « ne occupato duce sæviret. Sed caussa et persona moram exigit. » Lipsius.

Mancum et mutilum locum inter omnes constat. *Ducem* tamen, non *duce*, agnoscit editio princeps. Sensum Velleii hujusmodi fuisse arbitror : « ne occupato duce in debellandis Pannoniis, victores Germani iis se conjungerent. Sed caussa et persona moram exigit. » Lipsius aliter locum hunc supplebat ; nos Suetonium secuti sumus ; hujus hæc verba in Tibe-

rio: « Sub id fere tempus Quintilius Varus, cum tribus legionibus in Germania periit; nemine dubitante, quin victores Germani juncturi se Pannoniis fuerint, nisi debellatum prius Illyricum esset. » Vossius.

Saltem tantummodo ταὐτολόγοι. Scribebam, *salutem tantummodo indulgente;* quod et Schegkio et post Schegkium Popmæ in mentem venisse, sed quasi per nebulam, serus agnovi, quum dubitare haudquaquam neuter debuerint. Nec tamen inconcinne Johannes Ortuinius, vir doctissimus, τὸ *tantummodo* e glossa τοῦ *saltem* enatum rebatur, scribebatque, « velut hoc saltem indulgente nobis fortuna. » *Ne occupato duce,* subintellige, id gestum esset; abruptum dicendi genus, quale et illud paulo ante, *ecce epistola. Ne occupato duce sæviret,* Lipsius. Nihil opinor deesse huic loco; sed pendent ista a superioribus. Sic sub finem operis: « primum, ut scelerata Drusus Libo iniret consilia; deinde ut Silius Pisoque.
Heinsius.

Multum allaboraverunt interpretes. Krausius lacunam ante *velut* posuit, alteramque post *occupato duce*, laudata Vossii sententia, in quam ipse inclinat. Cludius audacior ipsa Vossii verba, *in debellandis Pannoniis*, etc., in textum recepit. Herelius proposuerat, *in hoc salutari temperamento*, pro *in hoc saltem tantummodo.* Bipontina tentaverat: « velut in hoc (saltem) tantummodo indulgente nobis fortuna, ne in occupatum ducem esset ausa; sed persona, etc. » *Saltem* illi e glossem. ortum videbatur: nobis potius inducendum videtur *tantummodo.* Nihil post *occupato duce* addendum: quippe textus integritatem egregie vindicaverunt Aldus et Heinsius. Deinde sine conjunctione, quæ in manuscripto deest, legendum: « sed caussa, persona moram exigit, » quod Græci ἀσύνδετον vocant, et est Velleio imprimis familiare. Sic nobis et plana et minime a codice dissidens lectio restituetur: « velut in hoc saltem indulgente nobis fortuna, ne occupato duce. Sed caussa, persona moram exigit, etc. » Ed.

Cap. CXVII, §. 2. *Varus Quintilius.*

Hic P. Quintilius Varus fuit filius Sexti Quintilii Vari, qui in Bruti Cassiique castris periit; vide supra II, 71 extr. Consul fuit cum Tiberio anno U. c. DCCXLI; vid. Dion. LIV, 25. Syriæ præfuerat, successor C. Sentii Saturnini (vide Tacit. Hist. V, 9; Dion. LVI, 18; Joseph. Ant. XVII, 5, 2), a. U. c. DCCXLVII. Post Syriæ administrationem, præfectus est Germaniæ, an. U. c. DCCLX. Vid. Fabric. ad Dionem. Krausius.

Ibid. *Vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore, et animo immobilior.*

Amicissimus noster, quem jam aliquoties dico, Bueretius legit, *et corpore et animo;* vel, *ut corpore, ita animo immobilior.* Acidalius.

Cap. idem, §. 4. *Mediam ingressus Germaniam.*

Inter Rhenum et Visurgim, in Cheruscorum finibus, hodie in diœcesi paderbonensi. Confer Furstembergii Monum. Paderborn. Bipont.

Cap. CXVII, §. 4. *Pro tribunali.*

Duas istas voces conjungendas existimat Lipsius, ut fuerit, *protribunali ordine*. Raphelengius.

Nihil muto; *ordine agere*, *facere*, et similia, obvia et vulgaria sunt. Et ita, qui pro tribunali sedebat, ordine agendo (non ut in turbis militaribus, ubi omnia raptim et sæpe tumultuarie aguntur) trahebat æstiva. Si quid mutandum, malim, « agendoque pro tribunali omnia ordine; » sed vix opus esse puto. Burmannus.

Agere pro tribunali solennis formula pro barbaro *agere in tribunali*. Vid. Cic. ad Div. III, 8, 2 et 6; ubi vide J. F. Gronov. Plin. epist. II, 10: *sedeo pro tribunali*; *subnoto libellos*, *conficio tabulas*. Sueton. Vitell. 9, dixit, *pro tribunali jura reddere*, quod hunc locum explicat. Krausius.

Cap. CXVIII, §. 1. *Nunc agentes gratias, quod ea romana industria finiret.*

Bipont. *eas*, cui prætulerimus *eam*, quod cum *injuria* construi potest. Sed *ea* recte defendunt Ruhnkenius et Krausius, absolute positum ut supra II, 85, §. 5: « Citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis ut *ea* precarentur, persuasum est. » Ed.


Ibid. *Ut se prætorem urbanum*, etc.

Florus, lib. IV, cap. ultimo: « Ausus ille agere conventum, et in castris se direxerat, quasi violentiam barbarorum, et lictoris virgis, et præconis voce, posset inhibere. » Ita ex omnibus MSS. et principe editione legendum. Sensus est, ita direxisse Varum actiones suas, quasi callidissimi hostes jure possent mulceri. Perperam hactenus omnes eruditi e conjectura edidere, *jus dicebat*, pro, *se direxerat*. Vossius.

Cap. idem, §. 2. *Arminius.*

Verum Germaniæ decus. Tacitus, Annal. lib. II: « Arminius, abscedentibus Romanis, et pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis quum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit, liberator haud dubie Germaniæ, et qui non primordia populi romani, sicut alii reges ducesve, sed florentissimum imperium lacessierit: præliis ambiguus, bello non victus; septem et triginta annos vitæ (ergo patravit hoc anno ætatis vigesimo sexto) duodecim potentiæ explevit: caniturque adhuc barbaras apud gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur; Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi. » Schegk.

Quoniam de Arminio et Segeste hic agitur, eorumque nomina haud ita cursim prætereunda videntur, libuit hic addere utrinsque stemma, ad quod Tacitum nostrum perlegendo, sæpius oculos referes. Præcipuus auctor *Gabriel Brotier*, cujus operi nos tantum notas subjecimus:



1. Pater Sigimeri, ignotus.

2. Sigimerus, Cheruscorum princeps. Vell. II, 118.

3. Inguiomerus, Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate, tractus in partes Arminii. Tac. Ann. I, 60. Fortiter et diu ab illo pugnatur. Tac. Ann. I, 68; II, 17, 21. Deficit ab Arminio ad Maroboduum, cum quo ingenti prælio vincitur. Ibid. 45, 46.

4. Uxor Sigimeri, mater Arminii, suorum odii adversus Romanos particeps. Tac. Ann. II, 10.

5. Flavius, merebat in exercitu romano, insignis fide et amisso paucis ante annis oculo, quum sub Tiberio militaret. Sub Germanico duce, adversus Germanos Arminiumque fratrem, ad Visurgim usque processit. Ibi duorum fratrum colloquium pæne in singulare certamen desiit. Flavius donis militaribus ob virtutem decoratus erat a Romanis. Vid. Tac. Ann. II, 9 et sq.

6. Cattumeri (sive Ucromeri, Strab.; alias, Actumeri vel Aerumeri), Cattorum regis, filia, Flavii uxor. Tac. Ann. XI, 16.

7. Italicus, Flavii filius, romæ educatus, romanus civis, forma decorus, armis exercitus, quum reliquus esset ex regia Cheruscorum stirpe, petentibus iis a Tiberio rex mittitur. Cum intestinis seditionibus luctatus, modo victus, sæpius victor. Tac. XI, 16.

8. Arminius, ductor popularium, in castris romanis meruerat; Tac. II, 11; et quidem sub Tiberio in Germania anno DCCLVII et sqq.; quod innuit Velleius, II, 118, §. 2. Immo civis et eques romanus (ibid.), horrendam Vari ejusque legionum cædem paravit, atque confecit anno DCCLXI. Idem anno DCCLXIX ingenti pugna in campo Idistaviso funditur a Germanico. Tac. II, 15. Post hanc pugnam minus prompto est animo. Ibid. 21. Anno DCCLXXII, cum Maroboduo, Marcomannorum rege, pro suorum libertate an pro sua ambitione, pugnat, ingentique victoria potitur. Tac. II, 45 et sqq. Maroboduo a suis pulso, regnum ipse adfectat, doloque propinquorum

occidit. Tac. Ann. II, 88. Natus, ut videtur, anno DCCXXXV, septem et triginta annos vixit.

9. Thusnelda, filia Segestis, ab Arminio rapta, inter socerum generumque discordiæ caussa. Tac. Ann. I, 55. Virilis animi femina, Segeste ad Romanos transeunte, in deditionis partem venit prægnans, Thumelicumque filium in romanis castris enixa est. Tac. Ann. I, 57, 58.

10. Thumelicus, Arminii et Thusneldæ filius, Ravennæ educatus. Tac. Ann. I, 58. Triennis a Germanico ductus in triumpho, cum Segeste omnique ejus familia. Strab. VII, p. 292. Variis postea, sed quos ignoramus, jactatus fuit casibus. Tac. l. c.

11. Segestis pater ignotus.

12. Segestes (vel Ægestes, Strab.), Romanis fidus, Varo paratam proditionem frustra indicaverat. Tac. Ann. I, 55. Etiam Arminio catenas injecerat. Ibid. 57. Victis Romanis fidem servavit, factionis Arminio adversæ dux. Ibid. 55. Obsessus a genero, auxilium a Romanis petit, impetratque. Ibid. 57. Ad Romanos transit, seque et suam illis familiam tradit (ibid.), Germanici triumphum ornaturus. Strab. VII, p. 292.

13. Segimundus (male Semigundus, Strab.), Segestis filius, quo anno Germaniæ descivere, sacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, ad rebelles transfuga; idem postea, precibus Segestis permotus, cum Romanis gratiam init, et ad illos patris auxilium flagitantis mandata perfert. Tac. Ann. I, 57.

14. Segimerus (qui Straboni Ægimerus), frater Segestis, in deditionem cum fratre acceptus, veniam impetravit. Tac. Ann. I, 71.

15. Sesitachus, filius Segimeri (Strabo, VII), in deditionem cum patre acceptus; sed data ei cunctantius venia, quia Vari corpus illusisse dicebatur. Ibid.

16. Rhamis, uxor Sesitachi; Cattumeri, regis Cattorum, filia. Strabo, VII. Hujus soror Flavio, fratri Arminii, nupserat. Vide supra, n° 6. Ed.

Cap. CXVIII, §. 4. *Indicatur * postulabat etiam fata*, etc.

An potius sic : *indicatur. Obstabant sed jam fata?* Nam hæc talia sæpe per *p* literam scribebant aut sculpebant (lapides docent) *opstare*, *opsides*, *opsitæ*; atque hinc librarii error. Lipsius.

In editione principe ita legitur : « Postulabant etiam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstruxerat. » Lego : « prævalebant at jam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem præstrinxerant. » Dubito tamen, an non *præstruxerant*, quod idem est ac *obstruxerant*, scriptum fuerit Velleio; quo modo Celsus : « perituris oculos obstruit fortuna. » Vossius.

Krausius : « sed obstabant jam fata », nescio cur a Lipsiana lectione discedens : cæterum huc adduxit, Heinsio viam monstrante, Virgilii exemplum, Æn. IV, 440 : « Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures, » ad quod Velleius manifeste respexerat. Ed.

CAP. CXVIII, §. 4. *Consilia corrumpat.*

Supra quoque in eam sententiàm eleganter, iisdem ferme verbis, sed brevius: « sed profecto ineluctabilis fatorum vis, cujuscunque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. » ACIDALIUS.

CAP. idem, §. 5. *Nec diutius post primum indicem, secundo relictus locus.*

Hoc est : inter primum conjurationis indicium et cladem a conjuratis illatam nullus secundo indici locus fuit, sed primam admonitionem statim damnum insecutum est. KRAUSIUS.

CAP. CXIX, §. 1. *Ordinem atrocissimæ calamitatis.*

Quæ castrorum et loci post sextum eladis annum fuerit facies deformis, describit Tacitus I, 61. Locus autem fuit medius hodie inter Paderborn., Dethmoldiam et Hornam, *Wintfeld*, h. e. campus victoriæ, scilicet in teutoburgiensi saltu prope Amisiam Lupiamque amnes, ultimos Bructerorum; quod pluribus demonstrat Furstemberg., Mon. Paderborn. BIPONT.

Sed hunc teutoburgiensem saltum (Tac. Ann. I, 60) propiorem Rheno, in comitatu hodie *Mark* dicto, fuisse docet Mannert. Geogr. etsi prior opinio apud plures invaluisse videtur. De re conferre licet Florum IV, 12; Suet. Aug. 23; Dion. LVI, Strab. VII; Tacit. Ann. I et II; Oros. VI. ED.

Ibid. *Nunc summa deflenda est.*

Hoc est: defleri magis quam verbis exprimi potest, uti supra c. 67 initio. Sic Segestes apud Tac. Ann. I, 58: « Quæ secuta sunt defleri magis quam defendi possunt. » Suet. Calig. 30: « cædem deflevit edicto. » SCHEGKIUS.

CAP. idem, §. 2. *Quum ne pugnandi quidem egregie occasio, in quantum voluerant, data esset miseris.*

Ex Burerii variis lect. constat, ita fuisse in exemplari: « quum ne pugnandi quidem egrediem aut occasionis inquantum voluerant data esset immunis. » Unde Vossius ita emendat: « quum ne pugnandi quidem, egrediendive, occasio iis data esset immunis. » Non displicet; sed quod cum Grutero delet illa, *in quantum voluerant*, non approbaverim: neque enim statim licet recidere, quæ sententiæ nostræ obstare videntur, et scripsisse ita Velleium, ex eo maxime fit verisimile, quod mox sequitur, « castigatos esse quosdam gravi pœna, quia Romanis et armis, et animis usi fuisseut: » Quasi dicat, voluisse quidem R. milites suam necessitudinem fortiter ferre, acriterque pugnando dare operam, ne ignavi aut penitus inulti perirent; sed coercitam esse generosam voluntatem segnitie et imperio ducis, etc. BŒCL.

Bipont. : « quum ne pugnandi quidem egrediendive occasio, nisi in quantum voluerant, data esset immunibus, castigatis etiam, etc. » *Immunes* intelligit vexillarios, qui exauctorati retinebantur sub vexillo, cæterorum immunes nisi propulsandi hostis; et huc adducit Taciti auctoritatem

Annal. l. I, c. 36, Lipsiique de Militia romana; vult igitur paucos vexillariorum volentes, concedente duce, egressos fuisse, et sic interpretatur, *in quantum voluerant*. Krausius *egredie*, tamquam alienum, uncis includit, lacunamque post *ne pugnandi quidem* suspicatur; cætera sic emendat: « quum ne pugn. quidem (egredie) *** aut occasio iis in quantum voluerant data esset impune, castigatis etiam, etc. » Cludius: « quum ne pugn. quidem egrediendive occasio iis in quantum voluerant data esset immunis. » *Immunis* hic habetur eá significatione, qua vulgo dici posset: « occasio data est libera. » Perlectis ad h. l. omnibus, qui quidem ad nos pervenerunt, commentariis, adhuc cum Burmanno exclamamus: non satisfaciunt correctorum conatus. Solus aliquid profecit Vossius, immo firmissime statuit prima verba, sequentibus Bœclero et Cludio: nodus restat in voce *immunis*, quæ si sana est, observante Krausio, profecto desideratur, pro sensu totius membri, ablativus substantivi *pœna*, vel similis. Res nobis ad liquidum perducta videretur, si *impunis* latine dici posset; sed hujus vocis exempla suppetunt paucissima et plus quam dubia. Aliquando visum est legere: « inhibitis, castigatis etiam gravi pœna, etc. » Sensus quidem sic optimus existit, nec tantum inter se differunt *inhibitis* et *immunis*, præsertim si literis majusculis scribantur, ut confundi omnino nequiverint. Piget vero cæterorum interpretum conjecturas imitari. Quare, si inter dubia eligere oportet, Cludii potius sententiam in omnibus sequendam existimamus. Cæterum, *in quantum voluerant*, nullam nobis nebulam offundit; intelligimus enim, volentibus occasionem defuisse, idque optime a Bœclero expositum est, cujus ingenium utinam in explanando textu sæpius occupatum, non in colligendas trivialis politiæ quisquiliis, præcipuam curam intendisset! Ed.

Cap. CXIX, §. 3. *Quippe paterni avitique exempli successor.*

De patre Sex. Quintilii habes supra in bello philippensi lib. II, cap. 71: « Varus Quintilius, quum se insignibus honorum velavisset, liberti manu interfectus est. » De avo, non tam obvium. Reperio tamen apud Cæsarem, I Civil., Sex. Quintilium Varum quæstorem L. Domitii fuisse Corfinii, ut probabile sit eum sic periisse in Pharsalia, aut in Africa. Lipsius.

Cap. idem, §. 4. *L. Eggius.*

Alii, *Egilius*. Ego *Eggius* retineo, quod hanc familiam ex inscriptione antiqui lapidis notam habeam. Cujus exemplum sequitur: « In opido D. Germani, ad cathedralem ecclesiam: HERCVLI. SANCTO. SACR. D. POMPONIVS. NATVS. TOTVM. SOL. AMICOS. ACC. BENE...... M. EGGIO. MARVLLO. ET. L. D. D. D. K. IVL. Manutius.

De *Eggiis* est inscriptio apud Grut. XLIX, 5, et apud Reines. I, clas. 46, qui ibi in commentario de illis agit; qui eosdem et *Iccios* putat, qui ab Horatio, Cicerone, Plinio et aliis memorantur. Vid. et Fabret. pag. 367. *Egilius* ab Erasmo est, qui Lucium *Egilium* triumvirum Lunam coloniæ

deducendæ apud Livium, lib. XLI, cap. 13, legerat, et festivum illum *Egilium* apud Cicer. II, de Orat. 61, qui prioris videtur fuisse filius: nam triumvir a. U. c. DLXXVII fuit Q. Opimius, qui a Cicerone cum Egilio memoratur et consularis dicitur; consul fuit a. DC. BURMANNUS.

CAP. CXIX, §. 4. *Tam turpe Ceionius.*

Videtur voluisse *C. Ceionius*, quum et *Eggio* prænomen additur. *Cæsar* pro *C. Cæsar* apud Tacitum aliosque perperam scribitur non semel, et supra *Gracchus* pro *C. Gracchus*. HEINSIUS.

Recte monuit Heinsius: nam in prima editione est, *C. Eionius; sed C. Ceionius* legendum. Eionii enim ignorabiles; Ceionii autem passim in lapidibus et historiæ Augustæ scriptoribus occurrunt; sed hic a Glandorpio, principe inter cognomines loco ponitur, neque ego quemquam priorem novi. BURMANNUS.

Ibid. *Supplicio, quam prælio mori maluit.*

De Catilina supra: « Spiritum quem supplicio debuit, prælio reddidit. » ACIDALIUS.

Ibid. *Vala Numonius.*

Quum in manuscripto Velleii codice scriptum fuisset, *Vallumonius*, ex eo alii fecerunt *Valumnius*. Alii, quod ea familia non reperiretur inter romanas, emendarunt *Volumnius;* sed utrumque mendosum est: scribendumque, *Vala Numonius*, cognomine *Vala* posito ante nomen *Numonius:* nam sæpe solet Velleius cognomina præponere nominibus, ut quum dicit, « Mancinus Hostilius, Carbo Papirius, Lepidus Æmilius, » et cætera id genus. Hujus autem *Valæ* exstat denarius argenteus cum inscriptione C. NVMONIVS. VAALA., de quo cognomine abunde scripsimus in libro de Familiis romanis; putamus autem eum esse, ad quem Horatius scripsit epistolam 15, lib. I, cujus initium est: « Quæ sit hiems Veliæ, quod cælum, Vala, Salerni. » Nam in libris manuscriptis, qui sunt apud me, epistola inscribitur, AD NVMONIVM VALAM. Denarium vero, cujus supra meminimus, Trajanus imp. ut multos alios, restituit, ut apparet ex titulo, qui ei adjectus est: IMP. CÆS. TRAIAN. AVG. GER. DAC. PP. REST.; nam reliqua, quæ signata in eo sunt, repræsentant ea plane, quæ ab ipso Numonio, vel ab aliquo ejus familiæ, in antiquiore denario cusa sunt. URSINUS.

Ibid. *Petere ingressus est.*

Ingressus pro *aggressus est.* Sic Tacitus inter alios non semel, ut Ann. VI, c. 4: « Ut vero Latinium Latiarem ingressus est; » ubi Acidalius nonnulla. Propertius, III, 1: « Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per graios orgia ferre choros. » Idem Tacitus, Hist. V, c. 18: « pulsique Germani Rhenum fuga petebant. » HEINSIUS.

Nihil mutandum: nam *ingredi* pro incipere, aggredi, quod verbum ali-

quoties alterius occupavit locum, sæpe apud Ciceronem occurrit. Vid. P. Fabrum ad lib. I Academ. Quæst. pag. 24. Aliter *ingredi Rhenum*, si cum Grutero quis τὸ *petere* abjicere vellet, recte et latine dici vidimus ad Quintilianum, Decl. VI, 21. Burmannus.

Cap. CXIX, §. 5. *Gentilitii tandem tumuli sepultura honoratum est.*

Editio Rhenani, *tamen*; quod probandum. Vides hic iterum, quantum correctores sibi assumpserint, qui *tandem* de conjectura edere non dubitarunt. Vossius.

Tamen prima editio, recte. Quamquam Vari corpus semiustum hostilis laceraverit feritas, caput tamen, missum a Maroboduo ad Tiberium, gentilitii tumuli honoratum sepultura est. Heinsius.

Quamvis sui casus auctor ipse fuisset Varus, *tamen* extremo honore non caruit. Hæc quidem videtur sententia, si *tamen* retineas. Krausius *tandem* legit. Utrum rectius? Ed.

Cap. CXX, §. 1. *Se magnitudine sua, non fiducia metiens.*

Lege, *non fiducia hos metiens*: nam *hostium* negat comparere in membranis Burerius, sequentia τὸ *hos* requirunt. Possis et *fiducia hostili*, quia *minabatur*, non *minabantur*, mox membranæ; nimirum scribe: « se magnitudine sua, non fiducia hostili metiens, quæ cimbricam teutonicamque militiam Italiæ minabatur. » *Hostilis fiducia*, ut paulo ante, *hostilis laceraverat feritas*; apud Claudianum laudibus Stiliconis: « Quantum fiducia nobis Profuit hostilis! » Heinsius.

Krausius cum Ruhnkenio *fiducia ducis* supplevit; nimirum *ducis* ex *fiducia* facile elici potest; *hostium* videtur ex Rhenani ingenio quærentis unde sensum suppleret. Unum doleo: extrusam esse absque caussa copulam *et*, quam ante *se* dabat manuscriptus, et periodi tenor desiderat. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Arminio territo.*

Locum hunc cum Lipsio impurum censeo. Habet sane princeps editio: *Arma interfecti, quem arguisse*, etc. Unde legebat ille: *arma infert, quæ arcuisse*, etc. Ego minori mutatione, et, nisi animi fallar, verius conjeci: *Arma infert hosti, quem arcuisse*, etc. Immo vix dubito, quin hæc germana auctoris nostri sit lectio. Simile autem mendum irrepsit apud Papinium Statium, l. I Thebaid.: « Tecto cælum prohibere quis iste Arguit? » Nihil enim certius, quam rescribi debere, *arcuit*; quo modo ad marginem codicis sui emendarat frater ὁ μακαρίτης Dionysius Voss. Vossius.

Grunerus et ed. Bipont. Vossii conjecturam receperunt: *arma infert hosti, quem*, etc. Ed.

Ibid. *Maximaque cum gloria.*

Dio aliter docet lib. LVI; sed noster miles imperatori suo tantum adulari paratus, res ejus in transcursu absurde laudat. Bipont.

CAP. CXX, §. 3. *Hereditatemque... in qnantum voluerit, ab eo aditam.*

Immo, *valuerit*, id est, quantum in ipso fuit, opibus scilicet, pecuniisque, quas repperit, in se translata. LIPSIUS.

Viris doctrinæ eminentissimæ suspectum bic *voluerit;* mutatum eunt in *valuerit.* Verum sic supra locutum, modo posui: et mirum est, nisi et boc loco triga illa verborum adscititia. GRUTERUS.

Periculosum et temerarium est pro arbitrio voces ejicere, præsertim quum *in tantum*, *in quantum*, in uno Velleio sæpius occurrat, credo, quam apud omnes fere alios scriptores; vide lib. I, 13, et II, 53; ideoque explico, *in quantum voluerit*, *ad arbitrium*, vel *arbitrio suo*, ut alibi loqui amat, nemine prohibente. Posset et legi, *in quantum potuerit*, scilicet quantum colligere potuit relicta, quæ supererant, ab hostibus; sed vulgata satisfacit. BURMANNUS.

Laudamus Burmanni modestiam, et in textu retinendo fidem. Non tamen omnium Vari militum hereditatem adire potuit L. Asprenas; sed quibus potuit, successit. Præstare ergo videtur Lipsii conjectura. ED.

CAP. idem, §. 4. *A Lisone.*

Forte, quod Ptolemæo Ἄλεισον, Rhenano hodiernum *Altzheim*, prope Vangiones. In eo lapsus, quod ejusdem Tacitum meminisse putavit: nam clarum ex Dionis lib. LIV, non locum, sed fluvium hoc nomine Tacitum insinuare. SCHEGKIUS.

Alisonem et fluvium esse, et castellum contra Sicambros a Druso excitatum, egregie ostendit illustriss. Ferdinandus, episcopus paderbornensis in Monument. Paderb. in principio p. 2 et seqq., et vestigium antiqui nominis in pago *Elsen* hodieque superesse, Fluviumque nunc *Almam* vocari docet; longe hinc est *Altzheim*. Lipsius ad Tacit. II, 7, *Vesaliam* multos facere notat. BURMANNUS.

Aliso castellum ad confluentes Lupiæ et Alisonis (hodie *Lise*) a Druso exstructum (vid. Dion. LIV, 33), in vicinia oppidi bodie *Lisborn* dicti. Mannert. Geogr. t. III, p. 562. KRAUSIUS.

Ibid. *Usi.*

Membranæ *uiti;* legendum *juti*, vel *adjuti*. Cornelius Nepos, Miltiade: « Nec minus in ea re prudentia quam felicitate adjutus est. » *Temerarium consilium*, ut apud Livium, lib. XXV: « temerarium magis, quam audax consilium. » Nec præcipiti et incauto consilio, nec tarde nimis usos fuisse *providentia* designat: videtur autem alludi a Velleio ad illud Augusti σπεῦδε βραδέως, de quo complura Gellius, lib. X, cap. 2. « Ubi consulueris, mature facto opus est, » dixerat Sallustius. *Juti* vero, ut apud Tacit. Ann. XIV, cap. 4: « Placuit sollertia tempore etiam juta. » *Adjutor* sæpe apud Nostrum, et *adjutorium*, cap. 112; cap. 128, « ad juvanda onera principis Sejanum protulit. » Apud Columellam in horto: « Rutaque Palladiæ baccæ jutura sapores, » ut in optimis membranis exaratum

inveni: nam vulgati codices *victura*; ut frustra sit vir summus Gerardus Johannes Vossius, Analogiæ libro III, cap. 20, qui *jutum* dici non opinatur. Sallustius in Jugurtha tamen « commeatum (dixit) juvaturum exercitum. » Heinsius.

Cap. CXX, §. 6. *Caldus Cælius, vetustate familiæ suæ dignissimus.*

Caldus fuit cognomen Cæliæ gentis, ut apparet ex Fastis, in quibus C. Cælius Caldus cos. cum L. Domitio Ahenobarbo, et ex libro Q. Ciceronis de Petitione consulatus. Popma.

Ad vetustatem familiæ suæ princeps editio, quod non adsequor, ni dederit Velleius, *alta vetustate*. Heinsius.

Sed *ad* hoc loco vim comparandi habet, ut apud Plaut. Mil. IV, 1, 21: « ad tuam formam illa una digna est; » quod Taubmannus bene exponit: illa una digna est, cujus forma cum tua comparetur. Sic Cælius dignissimus qui cum majoribus vetustæ familiæ suæ comparetur. Bipont.

Krausius et Cludius: « adolescens vetustate fam. suæ dignissimus »; quod malumus quam aut cum Bipontinis lectionem prorsus insolitam tueri, aut cum Lipsio legere: « ac vetustate f. s. dignissimi », ut *dignissimi* referatur ad *facinoris* quod præcessit. Ed.

Ibid. *Influvio.*

Ita scriptus, non *profluvio*, neutrum bene. Forte *effluvio*, quod Lipsio etiam videbatur; sic *lacus effluvium* Tacito, Annal. XII, cap. 57; confirmat Lucanus, lib. VIII, de Pompeii capite: « Submota est capiti tabes, raptoque cerebro Adsiccata cutis; putrisque effluxit ab alto Humor, et infuso facies solidata veneno est. » Nam *in* et *e* frequenter inter se confunduntur in iisdem membranis; sic *expellebatur* pro *impellebatur* supra, similiaque; *effusum cerebrum*, lib. II, c. 7. Heinsius.

Cap. CXXI, §. 1. *Eadem et virtus et fortuna subsequenti tempore ingressa animum imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat.*

Non solum durius dicitur *fortuna ingressa animum*, sed etiam sine exemplo et sensu commodo. Sensus enim esse debet: virtutis et fortunæ suæ cogitatio Tiberio in mentem venit, et utraque utendum sibi putavit; isque ferri posset, si novum periculum exortum esse narrasset, cui propellendo Tiberius se accinxisset. Potius mens Velleii esse videtur: eadem et virtute et fortuna, qua initio, deinde etiam usque ad finem hujus expeditionis usus est Tiberius, ut supra 51, §. 2, 74, §. 4, ait. Itaque placuit verba *ingressa animum*, ut de glossemate, suspecta cum viro illustri in Ephemer. lit. Goetting., damnare et uncis includere. Hæc sane emendatio brevitati et gravitati Velleii consulit. Krausius.

Ibid. *Ut æquam ei jus in omnibus provinciis... esset, quam erat ipsi.*

Suetonius Tiberio, cap. 21: « Ac non multo post lege per coss.

lata, ut provinciam cum Augusto communiter administraret. » POPMA.

Malit Thomas Munckerus, *quantum erat ipsi*; recte, ni *quam* pro *quantum* mavis interpretari. Supra cap. 39: « Pæne idem facta Ægypto stipendiaria, quantum pater ejus Gallia, in ærarium reditus contulit. » Ita *æque* referetur ad *tam*. Suet. Aug. cap. 64: « Nihil æque laboravit, quam ut imitarentur chirographum suum. » Fragmentum Petronii Traguriánum: « ut æque me mortuum juvet, tamquam vivum. »

HEINSIUS.

Jam de nimio uncorum usu questi sumus. Nunc tria verba ex Velleiano textu expungunt, quasi non verisimile sit auctorem nimia scribendi celeritate abreptum, syntaxi non vulgari quidem, sed tamen non sine exemplis, copula *quam* usum fuisse. Sane allatus ab Heinsio Suetonii locus Velleianam lectionem optime fulcit. Vicina sunt exempla Columellæ de Re rustica, III, 2: « Feracitatem potius sequamur, quæ non eadem portione vincitur pretio, quam vincit abundantia; » Livii, X, 6: « Juxta eam rem ægre passi patres, quam quum consulatum vulgari viderent; » Plin. Hist. Nat. lib. IX, cap. 16: « noctibus æque, quam die cernunt. » Talia quærenti tempus potius quam copia deficiat. ED.

CAP. CXX, §. 3. *Hostium duces non occisos fama narravit.*

Nescio quid sibi velint, qui negantem particulam, auctoritate vet. exempl. fultam, emovere cupiunt. Sensus est: « Eminentissimos hostium duces non fama tantum, occisos alibi, populo romano narravit, sed præsenti spectaculo in vinculis et triumpho ductos fortuna ostendit; » scilicet major erat felicitas et solidius gaudium, coram intueri vinctos clarissimos duces in triumpho, quam si auditione tantum accepissent victos occisosque. Τὸ *non* συγκριτικῶς accipiendum est; ut τὸ *sed*, quod majus est, inferat. BECLERUS.

Intelligendi sunt præcipue Bato Desitiates, Pinesque, de quibus supra cap. 114. Prior certe supererat; idem de altero verisimile est, vel ex hoc ipso Velleii loco. ED.

CAP. CXXII, §. 3. *Ocius prosperrimo rerum eventu.*

Intellige: ocius quam vel prosperrimus rerum eventus ferat. His dicendi formulis Velleius gaudet. Supra cap. 40, « suo et civium voto major; » cap. 25, « justissimo lenior, audito crudelior; » infra cap. 123, « exspectato maturius. » ED.

CAP. CXXIII, §. 1. *Venitur ad tempus.*

Quæ in hoc capite de itinere Tiberii et colloquio cum Augusto, ipsiusque Augusti morte habentur, amplius vide apud Dion. LVI; Suet. Aug. 98, et Tib. 21; Tac. Ann. I, 5. Suetonius addit, revocatum Tiberium secreti sermonis caussa cum Augusto fuisse per totum diem: haud dubie ea revelabat successori, quæ prius non nisi periculose revelari poterant.

Omnino enim in magnis imperiis ita comparatum est, ut multa solius principis cognitioni reservanda sint, quæ cum pluribus communicata vim suam amittunt; atque hæc talia successorem certum non prorsus quidem celare, sed nec citius quam tuto fieri potest, id est, instante fatali hora, aperire quidquam decuerit. Boeclerus.

Cap. CXXIII, §. 1. *Interfuturus athletarum certaminis ludicro.*

Frustra emendant *certamini.* Livius, XXVIII, 7: « Olympiorum sollenne ludicrum. » Justinus, VII, 2: « ut etiam Olympiorum certamine, vario ludicrorum genere contenderit. » Tac. Ann. I, 54: « Indulserat ei ludicro Augustus » de certamine histrionum. Igitur ut sincera manuscripti lectio servaretur, satis fuisset lexica inspicere. Quod hic dicitur de ludis Augusti honori sacratis, idem habet Sueton. Aug. 98: « Quinquennale certamen gymnicum honori suo institutum perspectavit. » Nimirum teste eodem, Aug. 59, et observante Krausio, Italiæ civitates provinciarumque pleræque *ludos quinquennales pæne oppidatim* Augusto *constituerunt.* Morienti deo athletarum sanguine litabatur. Ed.

Cap. idem, §. 2. *Quamquam jam motus imbecillitatis.*

Nil immutandum. Ita et de febre, ut medicæ rei scriptores omittam, Seneca, epist. CIV: « In Nomentanum meum fugi: quid putas? urbem? immo febrem. Medicus initia esse dicebat, motis venis, sed incertis, et naturalem turbantibus modum. » Tranquillitate Animi, cap. 11: « Ex longa et gravi valetudine expliciti, motiunculis levibusque interim offensis perstringuntur. » Nat. Quæst. lib. VI, cap. 14: « velut ægri corporis motus. » Livius, lib. XXV, cap. 26: « Intoleranda vis æstus per utraque castra omnium fere corpora movit: et primo temporis ac loci vitio et ægri erant et moriebantur. » Vides, cur *motus infirmitatis*, pro febre ponatur a Paterculo. Heinsius.

Ibid. *Nolam petiit.*

Constantem veterum opinionem esse, quod Augustus Nolæ denatus fuerit, in Fastis ait Sigonius; sed fallitur: nam Atellæ in Campania mortuum esse asserunt Eutropius et Eusebius. Itaque perperam etiam Glareanus in Eutropio reponere tentabat, *Nolæ.* Vossius.

Ibid. *Ille ad patrem patriæ exspectato revolavit maturius.*

Acidalius vocem *patriæ* irrepsisse existimat. Alias nomen ipsum PATRIS PATRIAE Augusto senatus consensu per Valerium Messalam delatum satis notum est. Sueton. Aug. 58. Estque hæc cumprimis magnifica, et, si Themistium sequimur, divina in imperante *patris appellatio:* θεία δὲ μόνη ἡ τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία: Boeclerus.

Cap. CXXIII, §. 3. *Animam cælestem cælo reddidit.*

Non sine suspicione veneni a Livia dati. Dio, lib. LV; Sueton. cap. 98; Tacit. Annal. I. Schegkius.

Cap. CXXIV, §. 3. *Ordinatio comitiorum.*

Inter eminentissima summi imperii jura, est *jus comitiorum et creatio magistratuum.* Itaque Mæcenas, consiliator vere regius, apud Dionem, LII, Augustum monet, ut ex ratione status monarchici ad se trahat tantam potestatem. Intellexit facile vim ejus consilii Augustus: sed exemplum moderandi Julius jam dederat; quod secutus, partitus est cum populo comitia, sive verius videri voluit partitus, excepta consulum creatione, quam sibi senatuique reservavit in solidum. Nunc ergo Tiberius, sive consilio Augusti instigatus, sive quod sponte, sicut satis mox patuit, vim principatus omnibus modis intendere destinaverat, totum jus comitiorum populo ademptum sibi vindicavit, nisi quod simulacri caussa cum senatu communicatum voluit. Vide omnino Tacitum, Annal. I, 15, et Lipsianum in Tacit. commentarium (nostr. edit. t. IV, p. 332). Boeclerus.

Tacit. Ann. I, 15: « Tum primum e campo comitia ad patres translata. » Intelligenda sunt comitia magistratuum creandorum, quorum rationem distincte explicat Dio, LVIII, 20, ibique Fabricius. Scilicet consules ipse solus Tiberius constituebat; cæterorum magistratuum candidati apud principem profitebantur, ex quibus lecti senatui se sistebant, alii cum commendatione, qui tum omnium senatorum suffragia ferebant, alii sine commendatione, relicti suis juribus petendi magistratus, ut pro borum ratione dignissimi senatorum suffragiis eligerentur. Tum prodibant hi a senatu probati vel ad comitia centuriata vel tributa, ut his designarentur. Itaque species comitiorum mansit, sed suffragiorum libertas populo adempta est. Krausius.

Cap. idem, §. 4. *Candidatis Cæsaris.*

In duplici discrimine candidati Cæsaris. Alii, *candidati magistratuum*, quos princeps populo commendabat; Sueton. Aug.: « Quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum candidatis suis circuibat, prensabatque more solenni; » et de his Noster hic. Alii, *candidati quæstores*, qui libris principalibus vacabant, et quas voces regiæ linguæ Cassiodorus vocat; dicti et quæstores principis, sive Cæsaris. Schegkius.

Erant libera republica plures gradus renuntiationis magistratuum, pro petitorum scilicet numero, e quibus honestissimus habebatur primus et proximus primo; contemptissimus ac pæne ignominiosus, ultimus. Hinc sæpe gloriatur Cicero, se primum prætorem renuntiatum, et Ser. Sulpitius in oratione pro Muræna se primum quæstorem factum. Catonem secundum consulem renuntiatum memorat Plutarchus in vita: contra notatur Gracchus, quod non pro exspectatione sua primus, sed renuntiatus fuerit quartus tribunus plebis, et Vatinius vix ædilis factus et postremus.

Similiter oppressa republica et in unius potestatem redacta, honestissimum habebatur inter candidatos Cæsaris, quos ille populo in comitiis commendabat, primo loco aut proxime in primis, commendari et destinari magistratui; quod sibi fratrique suo contigisse prædicat Velleius. Suetonius vero notat Vespasianum sero et ultimo demum loco ædilitatem adeptum. Popma.

Cap. CXXV, §. 1. *Quippe exercitus.*

Multis dicit Tacitus, Annal. I, et Dio, LVII. Schegkius.

Cap. idem, §. 2. *In ultimum.*

In MS. fuit: « et pæne in ultimam gladiorum erupit impunitas. » Lege, « et pæne in ultima gladiorum erupit impunitas. » Vossius.

Et cur non *in ultimum*, eodem jure atque *in ultima* liceat dicere? An non Horat. II ep. 1, 32, dixit? « Venimus ad summum fortunæ. » Et Livius, lib. II, cap. 56: « Patres ad ultimum dimicationis rati rem venturam. » Ita *ad extremum*, et similia, sæpe Livius et alii. Sic Quint. Decl. XII, 24, *ad supremum damnare*; ubi alii *ad supremam*. Heinsius, Cellarius et Huds. *in ultima* receperant. Burmannus.

Cap. idem, §. 4. *Ut pleraque ignave Germanicus.*

Vehementer hic vapulat Velleius et merito, si de unico eorum temporum ornamento, Cæsare Germanico, qui legiones seditiosas, *incertum constantia, an pietate majore compescuit* (teste Suet. Calig. 1, et Tacito) ita loquitur, ut ignaviam homini, si quis unquam, industrio fortique tribuat. Faciebat hactenus verisimilem hanc Velleii malignitatem, odium Tiberii in Germanicum, adulatio Velleii perpetua in Tiberium. Verum postquam rem accuratius expendi, nullo modo credo, immo palam nego, Velleium ita scripsisse. Non erat ex ratione status et arcanorum domus; non erat ex usu aulici assentatoris; non denique ad cætera, quæ de Germanico tradit, quadrabat. Nonne Tiberius odium istud in Germanicum omni specie benevolentiæ et honoris velabat et in publicum obtegebat? nonne prodidisset incaute et temere Velleius, si sub principe hoc, publice Germanicum vituperare ausus esset? Quid? An Augusti nepoti, Tiberii adoptivo publice convicium fieri, passura erat majestas domus? Vide quid infra de Germanico Velleius, cap. 129, 2 et 3. Hæc et similia facile mihi persuadent, ut prorsus credam Velleium, *gnave*, scripsisse, aut aliquid tale, quo comparatio fieret industriæ ab utroque, Druso et Germanico, navatæ. Beclerus.

Lege: « ut pleraque ignovit. » Turpissimum mendum indignum Velleio omnes inde a principe obtinet editiones, in quibus est *ignave*. Hinc vapulat auctor omnibus. Unus Bœclerus vidit quam indignum id foret assentatore Tiberii, odium in Germanicum benevolentia tegentis. Bœclerus igitur voluit *gnave*; sed idem et sic non vidit parum apte dici *pleraque gnave*

coercuit; sed Germanicus non tam ipse severus egit, quam multa concessit, missionem, pecuniam, etc. Confer Tacit. Annal. I, 36, 40. Bipont.

Sic Bipontina, speciose quidem; sed omnes eum Bœclero sentire malunt. Et alias vocabulo *gnavus* aut *navus* utitur Noster. Supra, cap. 120: « nava virilique opera ; » cap. 105 : « virum multiplicem in virtutibus, navum, agilem, providum. » Ed.

Cap. CXXV, §. 4. *Antiquaque severitate usus, ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa, et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit.*

Locus corruptissimus. Qui enim dicat Velleius, re perniciosum fuisse, quod prospere adeo cessit? Nec multum sane profecerunt viri docti, qui se magis implicarunt, quam explicarunt. Pro *tam re* in MS. fuerat, *timere*; unde non dubito, quin verissime hunc locum emendarim. Lego : « prisca antiquaque severitate, ausus ancipitia, sibi tam e re, quam exemplo perniciosa, etc. » *E re* usitatissima loquendi formula de commodis et utilibus. Vossius.

Quid si legamus? « ausus ancipitia sibi tam re quam exemplo periculosa, his ipsis militum glad. » Certe periculosum ipsi Druso fuisse, ipsa res et Velleii quæ sequuntur verba insinuant; de exempli periculo cuivis cogitare promptum est. Bœclerus.

Cap. idem, §. 5. *Cum appellatione imperatoria.*

Est ille, quem Tiberius postremum hoc nomine insignivit : testis, omnium instar, Lipsius. Schegkius.

Id honori Sejani datum, cujus ille avunculus fuit. Vide Tacit. Annal. III, 72, apud quem hujus Blæsi frequens mentio, Annal. I et III. Ed.

Ibid. *Ad Hispanias exercitumque*, etc.

Totus hic locus sic videtur restituendus : « at Hispanias exercitumque, virtutibus celeberrimusque in Illyrico militia gravissimus, quum imperio obtineret, in summa pace (ac) quiete continuit. » *At* Hispanias Africæ opponit, et transitioni servit. Quum Blæsus Africæ præesset, Hispanias dubiæ fidei fuisse constat ex Tacit. Ann. III, 44. Ad eas autem in quiete continendas Blæsus, propter officium in Illyrico præstitum, maxime idoneus haberi debebat, observante Krausio. Videtur itaque, vel reticentibus historiis, præfectus huic provinciæ Vibio Sereno successisse. Atque ibi non virtutum modo, sed et severitatis fama *gravissimus*, id est maxima apud milites auctoritate præditus, turbas composuit. *Gravissimus* quam facile in *prædiximus* abire potuit! *Cum imperio*, scimus ex formula esse; nihil tamen obstat quin *imperio* absolute, id est sine præpositione, quibusdam verbis addi solitum sit, quale fuerit *obtinere*; certe *prætorio imperio* apud Ciceronem absolute ponitur. In sequentibus, Ruhnkenio duce et

probante Krausio, addidimus *ac*, quod in *pace* contineri videbatur. Omnia ergo liquida. Maluit Krausius lacunam post *militia* designare. Bipontina *exercitus* legit, participium nempe, quod ad Junium Blæsum referatur, sic : « at Hispanias, exercitusque virtutibus celeberrimaque in Ill. mil. (ut prædiximus) quum imperio obtineret, etc. » Sed *que* post *exercitus* collocatum repugnat. Nostrum, qualecunque est, lectoris judicio permittimus. Ed.

Cap. CXXVI, §. 1. *Quum inserta sint oculis animisque omnium.*

Sic facile fuit nuperis emendare ex vitioso veterum, *incerta*. Acidal.

Recte *inserta*. Sed locus hic ita in MS. legebatur : « cum insera oculis animisque omnium, etc. » Lego igitur : « quum inserta oculis animisque omnium, partibus eloquatur ? » Vossius.

Jam supra monui τὸ *in* frequenter redundare apud Velleium, librariorum culpa. Scribendum igitur, *partibus eloquatur ;* nam ita solet. Verum id Vossius jam occupavit : deinde vetustus codex, *cum insera oculis*. Forte : « quis universa, inquam, inserta oculis animisque omnium, partibus eloquatur ? » *universa* enim *partibus* amat opponere Noster ; ut cap. 38 : « quæ facilius, quam partibus, simul universa conspici possint ; » et mox : « Hispania sæpe amissa partibus, universa ductu Augusti facta stipendiaria est ; » cap. 111 : « furentes eorum vires universas partibus evasimus. » Τὸ *partibus* quippe tantumdem valet apud Nostrum, ac *singula ;* sic cap. 129 : « sed proposita quasi universa principatus Tiberii Cæsaris forma, singula recenseamus. » Seneca de Ira, libro II, cap. 28 : « tota vincetur, dum capitur partibus. » Nat. Quæst. libro VI, cap. 1 : « Omnis soli vitium est, male cohærere, et ex caussis pluribus resolvi, et summam manere, partibus ruere. » Heinsius.

Ibid. *Non imperio, sed religione.*

Tali figura Plinius ad Trajanum de Nerva, Paneg. cap. 11 : « sed licet illum aris, pulvinaribus, flamine colas, non alio magis tamen deum et facis et probas, quam quod ipse talis es. In principe enim, qui electo successore fato concessit, una itemque certissima divinitatis fides est, bonus successor. » Idem, qui de consecratione Augusti a Tiberio facta aliter judicat : « dicavit cælo Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret. » Boeclerus.

Cap. idem, §. 2. *Revocata in forum fides.*

Quæ est illa *fides in forum revocata ?* Adsentior equidem clarissimo et raræ eruditionis viro Johanni Georgio Grævio, qui referebat ad fidem, quam creditores præstabant debitoribus; unde et *cessisse* dicebantur *foro*, quorum fides decoxerat. Apud Tullium Agraria prima : « Fidem de foro, dignitatem de republica sustulistis ; » Agraria II : « sublata erat de foro

fides; » rursus Pompeiana: « Hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis asiaticis pecuniis; » idem de Officiis libro II: « Nulla res vehementius rempublicam continet, quam fides, quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. » Deinde malim, *judicibus gravitas*, quam *judiciis*. Heinsius.

Ego *fidem* hic tam de creditoribus privatis, quam de publicis capio, quia respublica pecuniam a privatis mutuam accipere solet, et ita necessitates reipublicæ sublevare. Livius, lib. XXIII, cap. 48: « itaque nisi fide staret respublica, opibus non staturam; » de privata Sueton. Vesp. 4: « ut qui prope labefactata fide omnia prædia fratri obligaret. » Burmannus.

Cap. CXXVI, §. 2. *Summota e foro ambitio.*

Seditionis in foro exemplum sub Augusti imperio laudat Grunerus e Suetonio Aug. 34. Augustus enim *præ tumultu recusantium* legem de maritandis ordinibus *perferre non potuit*. Comitia enim legum ferendarum haberi solebant in foro. Vid. Liv. XXXIII, 10; idem Sueton. Tib. 37: « Populares tumultus exortos gravissime coercuit (Tiberius) et ne orirentur, sedulo cavit; » ubi Ernestus omnino tumultus a populo seu plebe ortos recte intelligit, probante Oudendorpio ad h. l. Krausius.

Heinsius redundare *e foro* dicit; celeb. Ruhnkenio *seditio* in mendo cubare videtur, quum mox occurrat compressa theatralis seditio. Equidem Velleii germanam scripturam fuisse arbitror: « revocata in forum fides, summota ambitio campo, discordia curia, » spuriaque illa, *e foro seditio*, a glossatore explicandis, *ambitio campo*, insulse allata. Herelius.

Ibid. *Compressa theatralis seditio.*

Etiam hoc inter eulogia. Hercle vero serio: nam theatro suæ factiones, sui duces. Hinc sæpe tumultus cædesque, de quibus Lipsius in Corneliano commentario, et Epist. lib. I, cap. 1. Ducem factionis depingit Tacitus, lib. II: « Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, deinde gregarius miles, procax lingua, et miscere cœtus histrionali doctus studio. » Seargkius.

Ibid. *Aut incussa voluntas aut imposita necessitas.*

Imitatus Noster Lucretium, qui lib. I, 20: « Omnibus incutiens blandum per pectora amorem; » ubi vide Lambinum; nec veritus ita loqui Horat. I Ep. 14, 21: « Fornix tibi et uncta popina Incutiant urbis desiderium. » Apulei. Met. lib. II: « alacrem vigorem libidinis incutiat. » *Incutere odium*, Just. XXXVIII, 7, *metum* idem XLII, 5, et ita passim alii. Burmannus.

Cap. idem, §. 3. *Quando pax lætior?*

Rectum hoc quidem, nisi forte rectius *latior*; nam sequitur, « diffusa in orientis occidentisque tractus. » Tamen omnino nihil muto. Acidalius.

CAP. CXXVI, §. 3. *Meridiano.*

Ita simpliciter etiam utitur Obsequens de Prod. cap. 131 : « Fax cælestis a meridiano ad septemtrionem extenta. » *Meridiano*, pro *tempore meridiano* dixit Plin. lib. IX, 8 et 10, de quo vid. ad Quint. XII, 8. BURMANN.

Ibid. *Pax Augusta.*

Ita in pluribus imperatorum nummis, vel *Pax Augusti*, hodie conspicitur; non tamen, quod sciam, ante Caligulæ tempora. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 4. *Restitutæ urbes Asiæ.*

Confer Tacitum, II, 47, de XII urbibus Asiæ motu terræ collapsis, restitutis. Et est nummus Tiberii : CIVITATIBVS ASIÆ RESTITVTIS s. c. BIPONT.

Ibid. *Pœna in malos sera, sed aliqua.*

Inclinant alii legere, *sed æqua*, quibus non adhæreo; blanditur enim prorsus Velleius Tiberio, et vult maximis etiam criminibus minimas adplicuisse pœnas, testandæ clementiæ : si *æquam* admittamus, tunc ea ipsa oportet compensarit gravitate supplicii suam moram; quod convenerit quidem justitiæ, non etiam principi recenti. GRUTERUS.

CAP. CXXVII, §. 1. *Raro eminentes viri*, etc.

Iter sibi munit ad laudes Ælii Sejani, præoccupando quæ de ejus novitate ab inimicis objiciebantur. Illa scilicet exprobratio maxime Sejano invisa erat, cui refellendæ adulator noster diutissime insudabit. ED.

Ibid. *Maxime ab eo.*

Vir summus in observationibus corrigebat, *et Mæcenate et Statilio Tauro*, ratus parum latine dici, *maxime ab eo*; atqui *ab* eo, est post eum : *tu nunc eris alter ab illo*. Ignoscant manes quondam mihi conjunctissimi hominis, si veritati adhæreo. *Homines novi* dicebantur, qui primi familiæ suæ præcipuos obtinebant in republica honores, atque ita prælucebant majoribus suis. Tales Agrippa Vipsanius et Taurus Statilius, consulares et triumphales viri. At Mæcenas, etsi nobilissima stirpe oriundus, ne senator quidem : usus præfectura urbis, quam gessit, et ipsa inter novas dignitates. Cilniam gentem fuisse opulentam jam olim ac præpotentem Aretii apud Etruscus innuit et Livius, lib. X, cap. 3 et 4. HEINS.

Recte Heinsius : Mallem tamen, *et proxime ab eo*; nam hæc verba sæpe commutata a scribis vidimus. BURMANNUS.

CAP. idem, §. 2. *Neque in parvo paucitas ministeria defecit.*

Sensum non video. Conjeci aliquando : « namque in parvo parvitas ministerio sufficit; » quo sensu etiam Hericus benedictinus (qui juxta Trithemium vixit anno DCCCLXXX), lib. III in vita S. Germani, dixit:

« Magnos magna petunt, concedunt vilia parvis. » Nec tamen mihi ipsi satisfacio. Vossius.

Ingenue fateor, nihil idoneum et Velleio dignum hinc me elicere posse. Forte ab inepta et marginali glossa in textum immigrarunt. Bæclerus.

Locus mendosissimus. *In parvo*, *in re parva*; sic apud Nasonem : « Si licet exemplis in parvo grandibus uti. » Heinsius.

Ad *neque in parvo* subaudi, *sed in magno*. Ita quæ tantos viros morata est, subsidet omnis difficultas. *Paucitas ministeria deficit*, idem est ac, *paucitate ministeria deficiuntur*, vel *ob paucitatem deficiunt*. Totius loci sensus est : Augustus novos homines ad summum dignitatis fastigium evexit. Magna enim negotia magnis adjutoribus egent; atqui *non in parvis*, sed in magnis rebus gerendis rara est bonorum ministrorum annona. Quum igitur intersit reipublicæ, utilissimum quemque virum, etiam haberi maximum (vel ut infra cap. 128 : id quod optimum sit, esse nobilissimum), si quis talis inventus fuerit, summa auctoritate muniendus est. Ita Sejanus, etc. Non audiendi sunt illi qui locum hunc sollicitaverunt. Ne Ruhnkenius quidem satis sibi similis est, quum in sequenti membro, mutari velit voculam *et*, quæ *etiam* sonat. Ed.

Cap. CXXVII, §. 3. *Sejanum Ælium.*

Nemo exspectat ab aulico germanam hujus viri effigiem, quam ab historico petere si libet, adi Tacitum, Ann. IV, 1, longe alia disserentem. Duarum tamen imaginum quædam inter se lineamenta conferemus. « Principe, inquit Velleius, equestri ordinis patre natum; » Tacitus, *equite romano*, simpliciter : sed is (Seius Strabo) quum Tiberius rempublicam capesseret, prætoriarum cohortium præfectus erat (Annal. I, 7); quod munus postea maximæ dignitatis instar fuit. De materno genere nihil Tacitus; videtur, ob Junium Blæsum avunculum, pertinuisse ad Juniam gentem, omnium consensu antiquissimam. Fratres et consobrini consulares (sive magistratu gesto, sive consularibus tantum ornamentis insigniti) in Ælia plerique domo quærendi, in quam adoptione transierat; sed pater ejus adoptivus qui fuerit, Lamia, an Catus, non liquet. Cæterum vide Sejani stemma, Taciti nostri t. IV, p. 440. Nunc ut ad ejus ἠθοποιΐαν redeamus, Velleius *laboris capacissimum* vocat, Tacitus quoque, *laborum tolerantem. Fides*, quam in eo jactat Velleius, qualis fuerit, haud multo post compertum est. Laudat Velleius, *nihil sibi vindicantem*; sed Tacitus : « palam compositus pudor, intus summa adipiscendi cupido. » Velleius : *semper infra aliorum æstimationes se metientem*; Tacitus: « juxta adulatio et superbia. » Cætera quæ hic adduntur : « virum severitatis lætissimæ : hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum, vultu tranquillum, animo exsomnem, » in ambitiosos omnium temporum cadunt. Ed.

Cap. CXXVIII, §. 1. *Hominem novum.*

Totum hoc caput destinavit Velleius observationi politicæ de *hominibus novis*. *Novus* apud Romanos appellabatur, teste Asconio Pædiano, « qui

primus in sua gente honores adeptus erat. » Καλοῦσι δὲ οὕτω τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους, inquit Appiauus, II, ἐμφυλ. p. 428: « Ita vocant, qui ex se ac sua virtute, non majorum gloria inclaruere: nam qui majorum suorum habuerunt imagines, ii *nobiles*; qui suas tantum, ii *novi*; qui nec majorum, nec suas, *ignobiles* appellati sunt; » ita ut novitas interjecta veluti esset inter nobilitatem et ignobilitatem. Bœcler.

Cap. CXXVIII, §. 2. *M. Catonem, novum etiam Tusculo urbis inquilinum.*

Jusserat Lipsius: *novum et a Tusculo*. Sed præpositionem vacare censuit Vossius, nemine refragante. Ed.

Cap. idem, §. 3. *M. Fulvio.*

Quis vero iste *M. Fulvius*? Primum, nec gens Fulvia inter nova est, vetus, et multa copia honorum; nec in ea quisquam, in quem tam invidiosæ potentiæ elogium conveniat. Vere et avide corrigo, *M. Tullio*. Omnino nostra illa romana Suada est, in quam hæc omnia cadunt. Ille novus, quod ipse aliique testantur; ille potens et cælesti sua lingua senatus populique rector. *Assensione sua* (ita verius quam *assentatione*, nisi præfers *assertione*) provincias, exercitus, et tantum non regna dedit: Cæsar ipse et Pompeius testes; quorum illi Gallias prorogavit, hunc ad piraticum bellum misit. Denique jam palam *regnare in judiciis, in concionibus* dicebatur, atque adeo inimici objiciebant, *tertium peregrinum Romæ esse regem*. In M. Antonium etiam quæ fecerit, dixerit, et quomodo habenas reip. tenuerit, scimus. Lipsius.

Ibid. *Assentatione.*

Assentatio non hic in malam partem, sed pro *assensione*, ut supra cap. 48, *assentari* usus, pro *assentiri*: « et iis qui a Cæsare dimittendos exercitus contendebant, assentabatur; iis qui ab ipso, adversabatur. » Nec igitur mutandum in Petronio, cap. 17: « Tacentibus adhuc nobis, et ad neutram partem assentationem flectentibus; » ubi Gulielmius noster, *assensionem* reponebat. Et ad hanc faciem Apuleius *conversationem*, venuste pro *conversione*. In de Dogm. Plat.: « Ejusdem temporis spatiis mensuras mundanæ conversationis intelligi. » Venuste, inquam; propter magnitudinem et molem, ac velut difficultatem. Acidalius.

Cap. idem, §. 4. *Naturalis exempli imitatio.*

Perperam Bœclerus in indice *naturale exemplum*, explicat majorum et parentum, quum debeant conjungi, *naturalis imitatio*, id est, ordinaria, consueta omnibus, et quasi innata, non per præcepta, sed per mores tradita: nam initio capitis dixit non novum hunc esse morem; ita supra cap. 11, *naturalis nobilitatis superbia*, quasi innata et insita; sic *naturale et domesticum bonum* Hist. Bell. Alex. 12, et ita millies utuntur JCti voce *naturalis et naturaliter*, non de jure naturæ, sed more et consuetudine.

Vid. Grot. de Jur. B. et P. II, cap. 12, §. 26, n. 2, et Rittersh. Sacr. Lect. l. VII, 16. Ita Quintil. lib. III Institut. 8, dixit: « Naturaliter plus valet metus malorum, quam spes bonorum. » Calp. Flac. decl. II: « Naturaliter fuscos artus umbra cogit albescere. » BURMANNUS.

CAP. CXXVIII, §. 4. *Hæc.... imitatio ad experiendum Sejanum, Cæsarem; ad juvanda vero onera principis, Sejanum protulit.*

Protulit revocandum est ad Cæsarem, nisi locus mutilus sit. Priori autem membro hoc non satis convenire, licet alteri, vidit Acidalius, conjiciens *propulit;* in priori membro subaudiendum esse *Cæsarem impulit.* Equidem congruentiam membrorum reparaturus, hoc *impulit* vel simile h. l. post *Cæsarem* periisse putarim. *Protulit* autem est: commovit, impulit. Lucanus, II, 493, sq.: « ut conspicit amne soluto Rumpi Cæsar iter, calida prolatus ab ira. » KRAUSIUS.

Forsitan aliquis nobiscum malit intelligere, perinde ac si scriptum esset: hujus exempli, quod cum natura et ratione convenit, imitatio singulare hoc est admirandum spectaculum *protulit in lucem*, ut duæ præstantissimæ naturæ in salutem orbis terrarum convenirent, Tiberius Sejanum sibi admoveret, Sejanus principalis oneris partem subiret, etc. ED.

CAP. CXXIX, §. 1. *Rhascupolim.*

De consortio regni et cognatione Rhascupolis et Cotyis luculenter Tac. Annal. II, 64: « Omnem eam nationem Rhæmetalces tenuerat; quo defuncto, Augustus partem Thracum fratri ejus, partem filio Cotyi permisit. » Post Augusti vero obitum, Rhascupolis, totius regni avidus, primum bello petiit Cotyn; quo vetito a Tiberio, dolo eum aggressus, in vincula conjecit. Deinde Tiberius Rhascupolim, Romam, ut, tradito Cotye, coram se et senatu de jure disceptarent, evocatum, damnatum, et Alexandriam deportatum, necavit, an. U. c. DCCLXXII. Vid. Tac. l. c. 65, sqq. KRAUSIUS.

Ibid. *Evocavit.*

Ejusdem imperii formam evocavit. Ita legitur hic locus, in antiqua editione; sed verbum, *formam*, sententiam perturbare quum videretur, omissum est a doctis viris. Nos tamen illud retinemus, et *formam* mutamus in *Romam*, historia præsertim consentiente. URSINUS.

Optima Ursini Lipsiique lectio, *Romam evocavit*, cur textu exsulet, quum sit manuscripto proxima, non videmus. ED.

Ibid. *Merentis semper, quam*, etc.

Intelligitur *magis*, frequenti locutione Tacito, Valerio, lib. I, cap. 1: « factum Masinissæ animo, quam punico sanguine conveniens. » Comicus: « tacita mulier, quam bona. » Hæc occurrerunt; sexcenta talia licet observare apud JCtos nostros. SCHEGKIUS.

Cap. CXXIX, §. 2. *Cum quanta gravitate.*

Tum quanta gravitate mavult Heinsius, et nos favemus; *tum* enim, ut *jam* transitioni inservit: quod adnotare etiam debuisset Ruhnkenius. Ed.

Ibid. *Et caussas pressius audit.*

Dele particulam, *et.* Manutius.

Haveo scribere, *etiam caussas præsens audit?* nam ita fecit. Suetonius de eo: « Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque offerebat se consiliarium, assidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori. » Lipsius.

Pressius audit minime est sollicitandum, etsi variis tentatum conjecturis. Si *præsens audit* legimus cum Lipsio, τὸ *præsens* redundabit. Nemo enim, nisi præsens, potest audire; *pressius* sive instantius attentiusque *audire*, et *remissius* inter se opposita videri possunt. Hæc olim: nunc magis probo τὸ *pressius* referri ad civilitatem Tiberii, hoc ipso sese submittentis infra fastigium principale, quod in causis etiam privatis esset frequentissimus cognoscendis, atque ita judicis partes impleret vir nominis romani præcipuus, et natus majoribus curis; *pressius* enim et pro depressius sumitur quandoque. *Pressum* et *elatum* apud præstantissimos scriptores opponuntur sibi; Plinius, libro IV, ep. 14: « Describimus aliquid modo pressius, modo elatius; » ita veterrimæ membranæ Mediceæ, non *altius;* lib. VII, ep. 12: « Quoniam est sonantius et elatius, non alienum existimavi, ne te torqueres, addere statim pressius quiddam et exilius, vel potius humilius et pejus. » Simili prorsus modo et alibi idem Plinius non semel; apud Senecam quoque, Controv. VIII, *pressa* et civilis oratio *elatæ* opponitur; *pressius* igitur pro *depressius* hoc Velleii loco. Filius Seneca de Beneficiis, lib. II: « Quo te altius sublevasti, hoc depressior es. » Si quid immutandum hoc loco, legam, *pensius*, vel *perpensius*, *audit;* verum vulgatam servemus illibatam. Heinsius.

Ibid. *Ingratum, et nova molientem oppressit.*

Τὸ *Libonem* in principe editione desiderabatur; nec male ab aliis infultum videatur, nisi postea de Libone iterum repeteret Velleius. Viderint itaque alii, an non commodius substitui possit *Clementem.* Hic enim Clemens ad ulciscendam Agrippæ domini sui mortem comparaverat non contemnendam manum; sed fraude tandem a Tiberio captus, punitusque est, ut scribit Suetonius in vita Tiberii. Vossius.

Ratio Vossii parum valet: nam si *Libonem* in textum recipiamus, laudabitur hic Tiberius ob celeriter oppressum *Libonem;* infra dolebitur, quod ingratis animis, interque cæteros Liboni, ejus munificentia occurrerit: diversæ sunt nec ullatenus repugnantes sententiæ. *Libonem* post *molientem* collocat Herelius, ut videatur altera vox prioris consimili fine absorpta fuisse. Sed Krausius hæret, quod de Libone *ingrato* in Tiberium

bene merentem nihil constet. *Archelaum* vero, *Cappadociæ regem*, ipse proponit, qui *ingratus* in Tiberium: nam Tiberius juvenis eum coram Augosto judice defenderat (Sueton. Tib. 8; Dion, LVII, 17). Invisus postea Tiberio, quod Rhodi exsulantem non observasset, accusatus ut nova moliens, et regno exutus est. Quadrant omnia, sed meræ conjecturæ, quas tamen Heymartus Cludius amplexus est. Melius forsitan Vascosanus et editur Bipontinus totum hoc membrum ad §. 1, post *evocavit*, transtulerunt, ut de Rhascupoli intelligeretur. Ed.

Cap. CXXIX, §. 2. *Respondente cultu triumphi rerum q. g. magnitudini.*

Borerius, *respondente cultui..... magnitudine.* Sed tunc nihil gratiæ Tiberii apponeretur; contra illius beneficio cultum et magnificentiam triumphi Germanico, a benevolo scil. Tiberio illo, concessa, respondere rerum magnitudini scribit adulator: de triumpho Germanici vid. Tacit. Annal. II, 41. Burmannus.

Cap. idem, §. 3. *Quoties populum congiariis honoravit?*

Congiaria largitiones sunt frumenti, olei, vini, ac sub principibus etiam pecuniæ, in plebem romanam viritim divisæ; nomen a *congio*, quæ liquidorum et siccorum mensura fuit. *Honoravit* vero recte in *oneravit* mutaverat Bipontina: neminem enim honorat, quod omnibus datur. Ed.

Ibid. *Senatorumque censum, quoties id senatu auctore facere potuit, quam libenter explevit?*

Senatoribus largitus est, unde dignitatem suam tueri possint. Tacit. Annal. II, 37: « Census quorumdam senatorum juvit; » et Sueton. Tib. 47: « Senatorum inopia sustentata. » Sed conditio inerat, Suet. ibid: « ubi inopes senatui justas necessitatum caussas probassent. » Sic a petendo deterrebantur, qui luxuria rem suam dissipasse videri poterant. Vide apud Tacit. Ann. II, 37, sq., rigidam in his rebus Tiberii parcimoniam. Ed.

Ibid. *Quanto cum honore Germanicum suum*, etc.

Immo, quanta cum calliditate *amoliri juvenem specie honoris statuit*, Tacitus, Annal. II, 42. Boeclerus.

Ibid. *Maroboduum*, etc.

Tacitus late, Ann. II, 62 et seqq.; Suetun. Tib. 37: « Reges quosdam, per blanditias atque promissa extractos ad se, non remisit, ut Maroboduum germanum, etc. » Hist. Misc. VII, 22. Boeclerus.

Ibid. *Pace majestatis ejus dixerim.*

Veniam petit ob similitudinem, quam majestate Tiberii non satis dignam

sentit, qua scilicet, Maroboduo serpenti comparato, imperatorem adsimilat homini ignobili quæstum e serpentibus medicaminibus e latebris expellendis facienti. KRAUSIUS.

CAP. CXXIX, §. 3. *Sacroviro Floroque Julio.*

Alter Julius Sacrovir inter Æduos, alter Julius Florus inter Treveros nobilis, non solum gentes suas, sed reliquam quoque Galliam, ob æris alieni magnitudinem, ad rebellionem concitaverunt, a. U. c. DCCLXXIV. Tacit. Annal. III, 40, sqq. KRAUSIUS.

CAP. idem, §. 4. *Bellum africum.*

Cum Tacfarinate, numida, provinciam romanam invadente; cœptum anno U. c. DCCLXX (Tacit. Annal. II, 52), et finitum per Dolabellam an. U. c. DCCLXXVII (Tac. Ann. III, 24, sq.), per septennium duravit. *Brevi* igitur vel scilicet pro modo et mole belli intelligi potest, vel respicit ad extremum Tacfarinatis motum *brevi* compressum. Priorum autem ducum, qui magis de impetrandis triumphalibus, quam de frangendo hoste solliciti fuerant, negligentia, Tacfarinatis vires auctæ et bellum gravissimum factum erat, teste Tacito, Annal. III, 23. KRAUSIUS.

CAP. CXXX, §. 1. *Quanta sua, suorumque nomine exstruxit opera?*

Istud vero a quovis poterat emendari; sed dormitarunt omnes. Per me non stabit amplius, quin *suo* corrigatur. ACIDALIUS.

Tacitus, Ann. VI, 45, 3 : « Ne publice quidem nisi duo opera struxit, templum Augusti et scenam Pompeiani theatri; eaque perfecta contemptu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit. » Suet. Tib. 47 : « Princeps neque opera ulla magnifica fecit : nam et quæ sola susceperat, Augusti templum restitutionemque Pompeiani theatri, imperfecta post tot annos reliquit; » et Calig. 21 : « Opera sub Tiberio semiperfecta, templum Augusti theatrumque Pompeii, absolvit. » BECLERUS.

Ibid. *Pompeii munera.*

Theatrum, quod supra 48, §. 2, dixit *munera theatri*. Tacit. Ann. VI, 45, et Dio, LX, 6, *scenam theatri Pompeiani* restituendam suscepisse Tiberium tradunt, quod promiserat a. U. c. DCCLXXIV. Tac. Ann. III, 72. Absolutum hoc opus est a Claudio, et Tiberii nomen et inscriptum, teste Dione l. l. KRAUSIUS.

CAP. idem, §. 2. *Incenso monte Cœlio.*

Ita reposuere pro *Cœli*, quod erat in editione principe. Ego nil mutaverim. Sane *mons Cœli* recte dicitur, ut *oppidum Antiochiæ*, Ciceroni ad Atticum, lib. V, epist. 18; *torrens Vergelli*, apud Florum, lib. II, cap. 6. Immo et similiter ad *montem Soractis* dixit Solinus, cap. 2, prout ex MSS. edidit magnus Salmasius. VOSSIUS.

Hic Cœlius mons, regionis secundæ Urbis a meridie Palatini, et ab occasu Esquilini, deustus fuit a. U. c. DCCLXXX, triennio antequam Velleius scripsit. De re vide Tacit. Ann. IV, 64, et Sueton. Tib. 48. KRAUSIUS.

CAP. CXXX, §. 2. *Supplementum, sine trepidatione delectus, providet.*

Constituisse videmus Tiberium *de legendo et exauctorando milite*, apud Suetou. Tib. 30. Delectus vero, res suapte natura gravis, ut vocat Tacitus, hoc præsertim tempore turbas faciebat, ob crescentem morum inertiam mollitiemque. ED.

CAP. CXXX, §. 3. *Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures deorum de his queri.*

Locus ut mire depravatus, sic variis obnoxius hominum doctorum conjecturis. Lipsius, *de deis queri*; Fulvius Ursinus, *de deo cum deis queri*; Vossius, *auribus deorum de his queri*; sed vetus scriptura, *auro deo cum de his queri*. Demo duas posteriores literas τῷ *auro*, redundant enim, et scribo: *audeo cum deis queri*; nihil certius: *queri cum aliquo*, ut *cum aliquo expostulare*. Apud Tullium, Acad. Quæst. lib. IV: « Neque tam quereretur cum deo, quod parum longe, quam quod falsum videret. » Apud Nasonem, Met. XI, Venus, « Questaque cum fatis, At non tamen omnia vestri Juris erunt, dixit. » Valerius Maximus, IX, 2: « Queramur nunc cum natura rerum, quod nos adversæ valetudinis incommodis obnoxios esse voluerit. » Seneca pater, Controversia IV: « Quantum ego tunc questus sum cum fortuna mea, quod non et oculos perdidissem! » HEINSIUS.

Deesse aliquid videtur de diis dictum, quod mediocritati hominum opponatur. Forte: « aut mediocritas recipit hominum, aut horror (*vel* honor) deorum, de his queri; » sed corruptum locum forte melius relinquemus.
BURMANNUS.

Bipontina, paucis probantibus: *cum Averrunco deo de deis queri.* Contra Herelius optime, secutusque eum Krausius: *verecunde cum deis queri*; nam et pius affectus et elegans sermo. Cludii, quoque ingeniosa lectio, quam ex Faehsio recepit: « si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, aut deorum cura, de his queri. » Sic vero curta nobis videtur membri clausula. Possit et aliquis, quod nobis olim arrisit, legere: *pro deo cum deis queri.* Sed omnino vincit Herelius, nec quidquam ultra tentandum, nisi quis, optima quum adsint, vanissimo studio meliora quærere velit. ED.

Ibid. *Ut scelerata Drusus Libo iniret consilia.*

L. Scribonius Libo Drusus, juvenis nobilis, qui Pompeium proavum, Scriboniam, Augusti quondam conjugem, amitam, et Cæsares consobrinos, et plenam imaginibus domum habebat (Tacit. Annal. II, 27). Is hac gentis claritudine et affinitate, necnon vanis Chaldæorum promissis, sacris magicis et somniorum interpretationibus, per fraudem Firmii Cati incen-

sus, imperium affectavit; bieooio post accusatus, voluntaria morte supplicium prævertit, an. U. c. DCCLXIX. Vide Dion. LVII, 15; Tacit. Ann. II, 31; Suet. Tib. 25. KRAUSIUS.

CAP. CXXX, §. 3. *Silium Pisonemque.*

Silius idem est, per quem sedatus erat Galliæ tumultus a Sacroviro concitatus, supra 129, §. 3. Is, ob amicitiam Germanici, variis criminibus falso accusatus, voluntaria morte damnationem effugit, a. U. c. DCCLXXVII: Tac. Ann. IV, 18. Piso (Cn. Calpurnius) consul suffectus cum Augusto a. U. c. DCCXXXII, deinde cum Tiberio aon. DCCXLVII, eiqoe inprimis amicus, Germanici necis Tiberio cooscius; postea, quum jam inutilis esset, accusatus, mortem et ipse sibi conscivit. Plenus eo Tacitus, quem vide. Silii *dignitas* a Tiberio *constituta* militaribus imperiis ornamentisque triumphalibus. (Tac. Ann. I, 31, 72); Pisonis *aucta* altero consulatu, amicitia principis, præfectura Syriæ, etc. ED.

Ibid. *Ut Silium Pisonemque tam*** alterius.*

Nescio nnde viri docti adfirmarunt in MS. esse, *Silius Pisoque*, quum nec Rhenaoi editio habeat, nec Burerius quidquam simile moneat. Ego ab Erasmo lectionem illam profectam credo. Rhenaous enim habet: « deinde ut Silium Pisonemque tam * alterius, » asterisco indicans aliquid deesse post *tam*. Quare suppleri illam lacunam deberi puto, sed quo pacto, non certum habeo. Forte: « deinde ut Silium Pisonemque tam infestos haberet, quorum alterius dignitatem constituit, alterius auxit. » Certe simile quid desidero. BURMANNUS.

Quibus modis lacunam post *tam*, suo quisque ingenio obsecuti, interpretes suppleverint, longum sit et supervacuum referre. Nobis abesse videtur integri versus mensura, et *quorum* ante *alterius* scribendum. Verborum enim similitudo *que tam* et *quorum* librarii fefellerit oculos. ED.

Ibid. *Quid ut juvenes amitteret filios, quid ut nepotem ex Druso.*

Filii amissi sunt, et Germanicus adoptatus et Drusus naturalis, alter Tiberii et Pisonis, alter Liviæ uxoris Sejanique scelere absumptus. Drusi filius quadrimus obiit, eodem anno quo pater; ao simili caussa? ED.

CAP. idem, §. 4. *Ex nuru, ex nepote dolere, indignari, erubescere coactus est.*

Nurus Agrippina, Germanici uxor, falso impudicitiæ crimine in exsilium relegata, ibique fame necata, si posset occisi mariti conscientia cum uxore exstingui. *Nepos* Tiberii, Germanici filius, Nero, post Drusi mortem successioni proximus, Sejani quoque victima. Confer accuratissimos Taciti nostri indices, et Cæsarum stemma, t. V, p. 153, sqq. Odiosus vero hic Velleius, nisi famam adhuc recentem sequeretur. ED.

Cap. CXXX, §. 5. *Amissa mater.*

Anno proximo ante Vinicium consulem obiit Livia: Tac. Ann. V, 1; Dio, LVIII, 2. Gravem quidem luctum et ægritudinem de matris obitu præ se non tulit Tiberius (Tacit. l. c. 2; Sueton. Tib. 51); sed solebat in ejusmodi calamitatibus firmitatem animi ostentare. Vid. Tac. Ann. IV, 8. Constat etiam Tiberium ægre tulisse matrem, æquam potentiam sibi vindicantem (Tac. Ann. V, 57; Sueton. Tib. 50), eamque ut vitaret, inter caussas secessus ejus perhibitum fuit. (Tac. locis laudatis); sed periculosum erat scriptori intima principis aperire. Krausius.

Ibid. *Eminentissima et per omnia diis, quam hominibus similior femina.*

Loca similia hujus multa, e queis pauca bona fide retinuit memoria. De Jul. Cæsare: « animo super humanam et naturam et fidem evectus; » de Pompeio: « per omnia fortunam hominis egressus; » de M. Catone: « per omnia ingenio diis, quam hominibus propior. » Acidalius.

Cap. CXXXI, §. 1. *Voto finiendum volumen sit.*

Solus animadvertit Krausius, quantum hoc loquendi genus a latina consuetudine recederet. Aut enim *voto finiatur*, aut *voto finiendum est*, non *sit*, requirebat sensus. Non dubito quin ita legere oporteat: « Voto finiendum volumen. Sic Jupiter Capitoline, etc. » Ut apud Horatium: « Sic te diva potens Cypri, » et passim. Omnes fere votorum formulas apud antiquos auctores sic incipere, neminem fugit. Vota enim nuncupabant ea lege, ut deos propitios haberent: *sic*, nempe illa tantum conditione, voti se reos fore profitebantur. Ed.

Ibid. *Eique functo longissima.*

Legendum *Cæsarique*, vel præponenda nota defectus, quo excidit votum pro salute et incolumitate Tiberii. Quali voto finit Plinius Panegyricum Trajano dictum, et primum pro statu publico, deinde pro salute principis, tum pro successoribus ejus, Jovem Capitolinum precatur. Pomma.

Sed illud *ei* nonne satis manifeste ad Tiberium refertur, de quo tandiu mentio fuit? et quum ars in eo sæpe reponatur, ut se abscondat, quid si aulico placuit species illa negligentiæ, qua totus Tiberii cogitatione præoccupatus videretur? Quem enim solum gerimus in pectore, pariter hunc cæterorum animis usque præsentem et in conspectu esse credimus. Ed.

Ibid. *Aut pia.*

Rhenanus supplevit: « aut pia, aut salutaria, in felicem exitum provehite. » Ego felicius mentem Velleii mihi assecutus videor, nempe ut scripserit: « aut pia fovete, aut impia opprimite. » Ita igitur, aut simili modo, illum finio. Vossius.

FINIS NOTARUM.

KRAUSIANÆ
LECTIONES
A RUHNKENIANIS DIVERSÆ.

Nota. Uncis quadratis indicat Krausius quæ, velut e glossemate orta, induci jubet; rotundatis, quæ de suo in textum admittit.

LIBER PRIMUS.

Cap. II, §. 1. Quorum *atavus* fuerat. — K. abavus.

Idem, §. 2. Immixtusque castris hostium, *de industria rixam ciens*, *imprudenter* interemptus est. — K. Immixtusque castris hostium de industria, imprudenter, rixam injiciens, interemptus est.

Idem, §. 7. Sedem cepere *circa* Lesbum insulam. — K. contra.

Cap. III, §. 2. Nihil enim ex persona poetæ, sed omnia sub eorum, qui illo tempore *vixerunt*, dixerunt. — K. vixerant.

Cap. IV, §. 1. *Chalcida*, *Eretriam* colonis occupavere. — K. Chalcida et Eretriam.

Idem, §. 3. Lebedum, *Myuntem*, *Erythram*. — K. Myuntem, (Teum), Erythram.

Cap. V, §. 1. Abhinc *annos* ferme DCCLXX. — K. abhinc anno ferme DCCCLXX.

Cap. VI, §. 5. Caranus, vir generis regii. — K. Caranus [vir generis regii].

Cap. VIII, §. 1. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen.... Olympiorum *initium habuit*, *auctorem* Iphitum Elium. — K. Olympiorum initium, habet auctorem Iphitum Elium.

Ibid. Ante annos quam tu, M. Vinici, consulatum inires, DCCCXXIII. — K. DCCCIV.

Idem, §. 4. A quo tempore ad vos consules anni sunt DCCLXXXII. — K. DCCLXXXIII.

Idem, §. 5. Adjutus legionibus *Latini*, avi sui. — K. latinis.

Idem, §. 6. *Quamquam*, *jam asylo* facto inter duos lucos, auxit. — K. Quamquam eam, asylo.

CAP. IX, §. 1. Ut plerumque superior *fuerit*. — K. foret.

Idem, §. 2. Medius fuit animo. — K. medius [fuit] animo.

CAP. X, §. 3. Duos minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus est, *habuit*. — K. (domi) habuit.

Idem, §. 5. Alterum *ex suis*.... liberis. — K. ex his.

CAP. XI, §. 4. Magnum Alexandrum *imperasse Lysippo*, *singulari talium auctori* operum, ut, etc. — K. impetrasse a Lysippo, singulari talium auctore operum, etc.

CAP. XII, §. 5. Quum stetisset *annis* DCLXVII. — K. annos DLXXII.

Idem, §. 6. Ita per annos CXV. — K. CXX.

CAP. XIII, §. 1. L. Censorino, *L. Manlio* consulibus. — K. M'. Manilio.

CAP. XIV, §. 1. *Et* ipsarum præfulgent *nomina*. — K. ex ipsarum præfulgent nomine.

Ibid. Civitates propagatas. — K. civitatem propagatam.

Idem, §. 2. *Setina*. — K. Setia.

Idem, §. 3. Abbinc annos autem CCCL. — K. CCCLXII.

Idem, §. 4. Insequentibusque *consulibus*, *a Sp. Postumio*, etc. — K. con. ulibus Sp. Postumio.

Idem, §. 8. Postque XXII annos. — K. XVII.

Ibid. *Fregellæque*. — K. Fregenæque.

CAP. XVI, §. 2. In idem artati temporis *congruens* spatium.... *alioque* septo..... in unum *quoque* corpus congregantur..... in *similitudinem*, etc. — K. congruerint.... aliove...., quæque...., similitudine.

Idem, §. 3. At *novam comicam*.... invenere. — K. nova comica.

CAP. XVII, §. 4. Hoc idem evenisse.... pictoribus, *scalptoribus*,.... reperiet, *et* eminentia cujusque operis. — K. scalptoribusque,.... reperiet, eminentia, etc.

Idem, §. 5. Hujus ergo, *præcedentisque seculi ingeniorum similitudinis*, *congregationisque* et in studium par, et in emolumentum caussas quum requiro. — K. recedentis in quoddam seculum ingeniorum similitudinis, congregantisque se.

CAP. XVIII, §. 1. Transit admiratio *ad conditionem* temporum. — K. ab conditione.

Idem, §. 3. Quæ urbes (*et in Italia*), talium studiorum fuere steriles. — K. item ut aliæ.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I, §. 1. Ab armis *ad* voluptates.... conversa civitas. — K. in.

Idem, §. 4. Hæc urbs *nunquam* x *plura quam* propriæ juventutis armavit. — K. nunquam plura quam decem millia.

Idem, §. 5. Sicut quondam Caudini *fecerunt*. — K. fecerant.

CAP. II, §. 3. *Omnium* statum *concutientibus*. — K. omnibus statum concupiscentibus.

CAP. IV, §. 1. Is victus a M. Perperna, ductusque in triumpho, *sed M'. Aquilio*. — K. sed a Manio Aquilio.

Cap. IV, §. 5. Reversus in urbem.... abhinc annos cl. — K. clviii.

Idem, §. 7. Decessit anno ferme lvi. — K. liv.

Cap. V, §. 3. Non deterritus proposito (perseverantia ducis). — K. non deterrita proposito perseverantia ducis.

Cap. VI, §. 3. Frumentum plebi dare *instituerat*. — K. instituebat.

Ibid. *Continuavit* tribunatum. — K. continuabat.

Idem, §. 4. Eum socium regalis adsumpserat potentiæ. — K. (*et*) eum socium, etc.

Cap. VII, §. 4. *Rupilium*. — K. Rutilium.

Ibid. Rei tantæ parum ad notitiam pertinens *interponetur*. — K. interponatur.

Cap. VIII, §. 1. Quum lis ejus iiii æstimaretur. — K. quum lis ejus hs. xviii millibus æstimaretur.

Idem, §. 2. *M. Metelli* fratres. — K. duo Metelli.

Cap. IX, §. 1. Carbo Papirius; nec prætereundus... Scaurus, et ante omnes... Antonius. — K. Carbo Papirius, et ante omnes... Antonius. Nec prætereundus... Scaurus.

Cap. X, §. 1. Qui abhinc annos clvii, ... quod sex millibus ædes conduxisset. — K. clv, ... quod sex millibus (hs) ædes, etc.

Idem, §. 3. *Uti ante hunc* juvenem, etc. — K. septem ante hunc.

Cap. XI, §. 1. Natus *equestri* loco. — K. agresti.

Idem, §. 2. .... et meritum : virtutique cognomen Numidici inditum. — K..... et meritum virtute utique cognomen Numidici ei inditum.

Cap. XII, §. 2. Scaurum Aurelium *consulem*. — K. consularem.

Idem, §. 4. Amplius cl *hostium*.... *trucidatis*. — K. cl millia hostium.... trucidata.

Idem, §. 5. Cæsa aut capta amplius c hominum. — K. cc millia.

Cap. XIV, §. 3. Quum ædificaret domum.... ubi *est*, *quæ* quondam Ciceronis, etc. — K. [est, quæ.]

Ibid. Neque quisquam in eam despicere posset. — K. [neque... posset.]

Cap. XV, §. 1. In legibus Gracchi.... colonia Carthago condita est. — K. [In legibus Gracchi.... colonia *Carthago* condita est.]

Idem, §. 3. Fastigium *per quod* homines.... fastidire posset. — K. ex quo.

Idem, §. 4. C. Marius, de quo prædiximus. — K. [de quo prædiximus.]

Cap. XVI, §. 2. *Cosamque* occuparet. — K. Compsamque.

Idem, §. 3. *Cujus ille* pietati.... gratiam reddidit. — K. hujus [ille].

Cap. XVII, §. 1. *Integris universis* civitatem dare maluerunt. — K. (integri) integris universis.

Cap. XVIII, §. 3. *Sorte* obvenit Sullæ Asia provincia. — K. forte.

Idem, §. 6. Pompeii *consulis* filium... interfecit. — K. Pompeii filium.

Cap. XIX, §. 2. Marius post sextum consulatum *annoque* lxx. — K. annum.

Idem, §. 3. Magno ejulatu *expromenti* indignationem *casus* tanti viri.... profugit. — K. expromente indignationem casu.

Cap. XIX, §. 4. Circa Æuariam. — K. circa *insulam* Æuariam.

Cap. XX, §. 1. *Creaverat.* — K. excitaverat.

Cap. XXI, §. 1. Ut præscripsimus. — R. [ut præscripsimus.]

Ibid. Quinque et LXX *civium romanorum*, *amplius* LX *Italicorum* una die conflixeraut. — K. LXX millia Italicorum.

Cap. XXII, §. 5. Ut sævitiæ caussam *avaritia* præberet. — K. avaritia.

Ibid. Merces foret. — K. [foret].

Cap. XXIII, §. 3. Et Macedoniam. — K. [et Macedoniam].

Idem, §. 6. Parentem *ante omnia* invenit. — K. ad omnia.

Cap. XXIV, §. 1. C. Flavius Fimbria. — K. (at) C. Flavius, etc.

Ibid. *Forte* Mithridatem pepulerat prælio. — K. forti.

Idem, §. 2. *In* priore anno. — K. [in.]

Idem, §. 4. *Superaret*, quod erat domesticum. — K. superavit.

Cap. XXV, §. 1. Quibus et pessima et immodica cupiditas erat. — K. quibus et (*res*) pessima.

Idem, §. 4. *Quia* descendens montem. — K. qua.

Cap. XXVI, §. 1. Marius, septiens consulis filius. — K. Marius (C. Marii) septies.

Ibid. Neque usquam inferior nomine *consulis*. — K. consul. Is, etc.

Idem, §. 2. Damasippus prætor Domitium, Scævolam *etiam*.... trucidavit. — K. Domitium, *** Scævolam Mucium.

Cap. XXVII, §. 5. Cum minore fratre *Telesino*. — K. Telesini.

Idem, §. 6. Sub ejus nomine Sullanæ victoriæ celebrantur. — K. [Sull. vict.]

Cap. XXVIII, §. 3. Jugulati civis *reip.* constitueretur auctoramentum. — K. Romani.

Cap. XXIX, §. 2. *Ex* dignitate. — K. ea.

Idem, §. 3. *Bello* peritissimus. — K. belli.

Cap. XXX, §. 3. In summum fastigium vectum. — K. evectum.

Idem, §. 5. *Casibus* adfecere Italiam. — K. cladibus.

Idem, §. 6. XL *a* ccc hominum. — K. XC millia.

Ibid. Mox *reip. omnium* principem. — K. Romani nominis.

Cap. XXXI, §. 1. Per omnia *majore vi habebatur*. — K. homine major existimabatur.

Idem, §. 3. *In M. Antonii prætura* decretum erat. — K. Antonio prætore.

Idem, §. 4. *In* Antonio passi erant. — K. id in Antonio.

Cap. XXXIII, §. 1. Quum esset in fine bellum *piraticum*, *quum* et Lucius Lucullus... pecuniæ *expellebatur* cupidine. — K. Mithridaticum [quum]... expugnabatur.

Idem, §. 2. Neuterque ab eo. — K. [ab eo.]

Idem, §. 3. Quemquam animo parem tulit. — K. (*æquo*) animo.

Ibid. *Ut* qui eos, ut *libentissime* iniret. — K. [ut]... libentissimo.

Cap. XXXIV, §. 1. Ille senatus dies, *quo hæc acta sunt*, virtutem M.

Catonis *in altissimo luminavit.* — K. [quo h. a. sunt].... altissime illuminavit.

Cap. XXXIV, §. 2. Aliter facere non *potuerat.* — K. poterat.

Idem, §. 3. *Ut.... fecerit....* — K. et.... fecit.

Idem, §. 4. *Catonem* prosequerentur. — K. Ciceronem.

Cap. XXXVI, §. 1. Abhinc annos LXXXII. — K. LXXXXII.

Idem, §. 2. *Saneque* Crassum, *Catonem.* — K. anteaque*** Crassum, Cottam.

Ibid. Neque ullo in suscepti *operis sui carmine* minorem. — K. operis [sui] forma.

Cap. XXXVII, §. 2. Tigranemque *socerum* petit. — K. socium.

Idem, §. 5. Redacta *in quæstoris potestatem.* — K. ad quæstorem.

Ibid. Quæ tum primum facta est. — K. quæ facta est.

Cap. XXXVIII, §. 1. Quæ.... *stipendia pacta sit, notabimus, facilius ut....* conspici possint. — K. stipendiaria facta sit. Id notabimus, ut facilius.

Idem, §. 2. Primus *Africam* Regulus.... sed post CCIV annos.... CLXXXII. — K. (*in*) Africam.... CX.... CLXXXV.

Idem, §. 3. Certæ pacis argumentum. — K. [certæ pacis argumentum.]

Idem, §. 6. *Nulli* adsignanda gloria. — K. nullis.

Ibid. Creta.... *multata; et Syria,* etc. — K. multata est. Syria....

Cap. XXXIX, §. 1. Gallias primum Domitio, *Fabio, nepote* Pauli, ... *magna mox clade nostra,.... amisimus.* — K. Fabioque, nepoti.... [magna m. c. nostra]... omisimus.

Ibid. Pæne idem. — K. [pæne.]

Idem, §. 2. *Ab eodem facta* Numidia. — K. stipendiaria ab eodem facta.

Ibid. Pæne idem. — K. [pæne idem.]

Cap. XL, §. 1. Media, *Albani, Hiberi.* — K. Albania, Iberia.

Idem, §. 3. Cum privato comitatu, quem semper *illi vacare* moris fuit. — K. illum sectari.

Ibid. Præterquam a Paullo. — K. [præterquam a Paullo.]

Cap. XLI, §. 1. Quod inter omnes *antiquissimos constabat.* — K. quod inter omnes constat, antiquissima.

Idem, §. 3. Ab his retentus est. — K. [ab his.]

Cap. XLII, §. 1. Metu suo *destituere.* — K. destituerit.

Idem, §. 2. Contracta classe et *privatus* et tumultuaria. — K. privata.

Idem, §. 3. Qunm idem enim Asiam eam quam obtinebat, petens. — K. [qunm idem.... obtinebat.]

Cap. XLIII, §. 3. Major civitatis in *ea* favor. — K. eo.

Cap. XLIV, §. 4. Ita circiter XX civium eo deducta, et *jus ab his* restitutum. — K. XX millia.... jus civitatis.

Cap. XLVI, §. 1. *Victus pars* consulum. — K. invictum par.

Cap. XLVII, §. 1. Sæpe *in* agminibus. — K. [in.]

Cap. XLVIII, §. 1. Qui *dimittendos* ab ipso. — K. [dimittendos].

Idem, §. 2. *Primo* omnium civium. — K. primi.

Cap. XLVIII, §. 3. Cujus *animo voluptatibus* vel.... neque *cupiditates* sufficere possent. — K. cujus [animo] cupiditatibus vel.... neque voluptates.

Idem, §. 5. *Coalescentis* conditiones pacis. — K. coalescentes.

Cap. XLIX, §. 2. Post urbem conditam annis DCCIII et LXXVIII. — K. et (*ante*) LXXVIII.

Cap. LII, §. 4. Quam in omnes partes (ut militari et verbo et consuetudine utar) dimitteret. — K. quam (ut) in omnes partes *** [ut militari et verbo et consuetudine utar] dimitteret.

Cap. LIV, §. 1. Adhuc ubique *Jubæ* nomine. — K. vivebat.

Cap. LV, §. 2. Nec dissimilis ibi adversus victos, *quam* in priores, clementia Cæsaris fuit. — K. quæ.

Cap. LV, §. 4. Verecundia magis quam virtute acies restitutæ a duce, quam a milite fortius. — K. restitutæ: et a duce.

Cap. LVI, §. 1. Omnibus, qui contra se arma tulerant, *ignovit*, *magnificentissimis*, etc. — K. ignovit, et magnificentissimis.

Cap. LVII, §. 1. Mori se, quam *timeri*, malle. — K. timere.

Idem, §. 2. Et libelli conjurationem nuntiantes *dati*, *ab eo neque* protinus lecti erant. — K. dati ab obvio, neque.

Cap. LVIII, §. 2. *Brutus* repugnaverat. — K. (M.) Brutus repugnaverat.

Cap. LIX, §. 1. De cujus origine, etiamsi prævenit, *et pauca* dicenda sunt. — K. et *** pauca.

Idem, §. 3. Natumque annos XIII. — K. XII.

Idem, §. 4. Ad erudiendum liberalibus disciplinis *singularis indolem juvenis* — K. singularis indolis juvenem.

Idem, §. 6. Solis orbis *super caput ejus* curvatus. — K. [super caput ejus.]

Cap. LX, §. 1. Sed asserebant salutaria reipublicæ terrarumque *orbis* fata. — K. orbi.

Idem, §. 4. HS septies millies, depositum a C. Cæsare ad ædem Opis, occupatum ab *Antonio*, *actorum ejusdem insertis falsis*, *civitatibusque corruptis*, *commentariis*. — K. Antonio: actorum ejusdem, insertis falsis, civitatibusque *** corrupti commentarii.

Cap. LXII, §. 2. Laudati quicunque his *se* exercitus tradidissent. — K. [se].

Cap. LXIV, §. 2. ... Cæsarem, *quia illa* dederat, perisse. — K. qui illa.

Cap. LXV, §. 1. Quum *Antonius et subinde Cæsarem admoneret*, *quam* inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent. — K. Antonius subinde Cæsarem admoneret, et quam.

Idem, §. 2. Post urbem conditam *abhinc annis* DCCVIIII, ante LXXII. — K. annis DCCXI.

Cap. LXVI, §. 5. Citiusque in mundo genus hominum * quam *cedet*. — K. cadet.

Cap. LXVII, §. 4. Qui currum Lepidi Plancique secuti *erant*, *inter* exsecrationem, etc. — K. erant, et inter.

CAP. LXVIII, §. 1. Dum in acie pharsalica *africaque*. — K. [africaque.]
Ibid. Quum *in modica quidem* servari non posset. — K. otio ac quiete.
Idem, §. 2. In urbe seditionem, *haud magis* occulti bellicum tumultum movens. — K. at in agris.

CAP. LXIX, §. 1. Cui *succedebat*. — K. succensebat.
Idem, §. 2. Inclusum Dolabellam.... expugnata ea urbe, *interfecerat*. — K. confecerat.
Idem, §. 3. Et Vatinius nulli *nomini* non esset postferendus. — K. [nomini.]

CAP. LXX, §. 1. Cornu cui Brutus præerat, *impulsis* hostibus, castra Cæsaris cepit. — K. impulsus.
CAP. LXXIII, §. 1. *Cogitator* celer. — K. cogitatione.
CAP. LXXIV, §. 3. Urbs incensa, cujus initium *incendii* princeps ejus loci fuit Macedonicus. — K. [incendii.]
CAP. LXXVI, §. 1. Quod alieno testimonium redderem, *in* eo non fraudabo avum meum. — K. [in.]
Idem, §. 3. Sed pax *contra* Brundusium composita. — K. circa.
CAP. LXXVII, §. 1. Haud *absurdo*. — K. absurde.
CAP. LXXVIII, §. 1. *Producto* eorum exercitu in Syriam. — K. Perducto.
Idem, §. 3. Nomine *Vibilium*. — K. Vibillium.
CAP. LXXIX, §. 1. M. Agrippa, *virtutis* nobilissimæ. — K. (vir) virtutis.
Idem, §. 4. Ita inopinato *classis adventu*. — K. classis (adversæ) adventu.
CAP. LXXX, §. 2. In id furoris processerat, ut inutilis *in aliena victoria* comes. — K. alienæ victoriæ.
Idem, §. 4. Quam ad *in dissimillimam vita sua potentiam pervenerat Lepidus*. — K. [in] dissimillimam vitæ suæ potentiam pervenerat, Lepidus.
CAP. LXXXI, §. 2. *Ejus* relicti erant publici. — K. (agri) ejus.
Idem, §. 3. Templumque *Apollinis*. — K. Apollini.
CAP. LXXXII, §. 2. Ea adiit pericula, *quibus* servari se posse desperaverat. — K. e quibus.
Idem, §. 4. *Coronaque* velatus aurea. — K. crocotaque.
Ibid. Cothurnisque *succinctus*. — K. subnixus.
CAP. LXXXIII, §. 3. Haud absurde Coponius, *vir prætorius, gravissimus pater, Silii socer*. — K. vir prætorius gravissimus, P. Silii pater.
CAP. LXXXIV, §. 2. Navium hæc magnitudo, modicaue celeritate, adversa illa species terribilior. — K. navium hac magnitudo modica nec celeritati adversa; illa species terribilior.
Idem, §. 3. (Nam Deillius, exempli sui tenax, ut a Dolabella ad Cæsarem.) — K. (nam Dellius exempli sui tenax, ut a Dolabella *** ad Cæsarem accessere.)
CAP. LXXXVI, §. 2. Nec quisquam *interemptus est : paucissimi*. — K. interemptus est (nisi) paucissimi.

Cap. LXXXVI, §. 2. *Et hi, qui deprecari quidem pro se non sustinuerunt.* — K. et ii, qui ne deprecari quidem pro se.

Ibid. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus *sui*, aut in campis philippicis, si *sic* licuisset, victoriæ suæ facturus sit (modum). — K. [sui].... [sic].

Ibid. *Diu clementia* luctatus sua. — K. diu (cum) clementia.

Cap. LXXXVII, §. 1. At Cleopatra, frustratis custodibus, illata aspide, *morsu sane ejus*, *expers* muliebris metus, spiritum reddidit. — K. morsu, sane [ejus] expers.

Idem, §. 2. Quod nemo ex his qui contra *eum* arma tulerant, ab eo, *jussuve*, interemptus. — K. [eum].... [jussuve].

Cap. LXXXIX, §. 3. Prisca illa et antiqua reipublicæ forma *revocata*. — K. renovata.

Idem, §. 5. — *Consulatus tantummodo* usque ad undecimum, *quem* continuaret Cæsar, quum sæpe obtinens repugnasset, impetrare potuit. — K. consulatus (ut) tantummodo.... [quem].

Cap. XC, §. 1. Et coram aliero. — K. [et coram aliero.]

Idem, §. 2. Primo anno *secundi punici*. — K. secundi (belli) punici.

Ibid. Amissis populi romani imperatoribus, exercitibusque, sæpe *contumelia etiam*, *nunnunquam* periculum romano inferretur imperio. — K. contumelia, [etiam] nonnunquam.

Idem, §. 3. Illæ contumelioso xx annorum bello. — K. x.

Ibid. Illa tot consulares, *illa tot prætorios* absumpsit duces. — K. tot prætorios.

Cap. XCI, §. 2. Nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Cepio et hoc ante *erat* pessimus. — K. Cæpio et hoc ante pessimus.

Cap. XCII, §. 2. Circumferens terrarum orbi præsentia *sua* pacis suæ bona. — K. [sua.]

Ibid. Quum alia, prisca severitate summaque constantia, *vetere consulum more* (*ac severitate*) gessisset. — K. [vetere consulum more ac severitate.]

Cap. XCIV, §. 1. Hoc tractu temporum, Tib. Claudius Nero, *quo trimo*, *ut prædiximus*, *Livia*, *Drusi Claudiani filia*, *despondente* ei *Nerone*, *cui ante nupta fuerat*, *Cæsari nupserat*, innutritus, etc. — K. (quo trimo, ut prædiximus, Livia [Drusi Claudiani filia, despondente Nerone, cui ante nupta fuerat] Cæsari nupserat.)

Idem, §. 4. Redacta ea in potestatem populi romani, regnum ejus *Artavasdi dedit*. — K. Artavasdi *** dedit.

Cap. XCV, §. 2. *Rhætos* Vindelicosque adgressi. — K. Rætos.

Idem, §. 3. Nec quidquam objicere posset adulescentibus, *aut objicientes audire*, quod non agnosceret senex. — K. [aut objicientes audire.]

Cap. XCVI, §. 2. Subinde bellum pannonicum, quod inchoatum *Agrippa*. — K. (ab) Agrippa.

Ibid. Marco*que* Vinio. — K. Marco Vinio.

Cap. XCVI, §. 2. Gentes Pannoniorum, *Dalmatorumque* nationes. — K. Delmatorumque.

Cap. XCVII, §. 4. *Peragratusque* victor omnes partes Germaniæ. — K. pervagatusque.

Cap. XCVIII, §. 3. Esse mores ejus vigore ac lenitate *mixtissimos*. — K. temperatissimos.

Cap. XCIX, §. 2. Cujus mox caussæ detectæ sunt. — K. [cujus mox caussæ detectæ sunt.]

Ibid. Quum C. Cæsar sumpsisset jam virilem togam, *L. item maturus esset viris*, *ne* fulgor orientium juvenum obstaret initiis. — K. Lucius item maturus esset, veritus, ne.

Idem, §. 4. Visendi ejus gratia *ad quem* venientes. — K. ad eum.

Cap. C, §. 1. Sensit terrarum orbis, digressum a custodia Neronem *urbis*. — K. [urbis.]

Idem, §. 4. In *arctissimam* adfinitatem receperat. — K. artissimam.

Cap. CII, § 2. Armeniam *deinde ingressus*, prima parte introitus *prospere gessit*. — K. deinde (Caius) ingressus.... prospere (rem) gessit.

Idem, §. 4. *Deinde* reluctatus. — K. diu deinde.

Cap. CIII, §. 3. Post urbem conditam annis DCCLIII. — K. DCCLVII.

Idem, §. 5. *Tentemus* id unum dixisse, quam *ille* omnibus *fuerit*. — K. contenti simus, id unum dixisse, quam in illo (omnia) omnibus fuerint.

Cap. CIV, §. 1. Hoc, *inquit*, reipublicæ caussa facio. — K. [inquit.]

Idem, §. 2. Erat *et* ab eo quibusdam in locis gestum. — K. id.

Idem, §. 3. Hoc tempus me, functum ante *tribunatu castrorum*, *Tib. Cæsaris* militem fecit. — K. tribunatu, castrorum Tib. Cæsaris.

Cap. CV, §. 1. Recepti Cherusci *gentes*. — K. [gentes.]

Ibid. *In* iis, quæ minoris erant discriminis. — K. [in.]

Ibid. Qui tum legatus patris ejus in Germania *fuerat*. — K. erat.

Idem, §. 2. Virum multiplicem *in* virtutibus. — K. [in.]

Ibid. Ita tamen, ut eum splendidum *ac* hilarem potius. — K. aut.

Cap. CVI, §. 1. Perlustrata armis tota Germania *est*. — K. [est.]

Idem, §. 3. *Temporum quoque* observantia. — K. temporumque.

Cap. CVII, § 1. Sub omnem motumque. — K. sub omnem *** motumque.

Idem, §. 2. Adpulso lintre, *et* diu tacitus contemplatus Cæsarem. — K. [et.]

Idem, §. 3 Cæsar *cum* incolumi inviolatoque.... exercitu. — K. [cum.]

Cap. CVIII, §. 2. Occupatis igitur, etc. — *Hæc et sequentia Krausius cum capite* CIX *jungenda, nec sensum post* fecit *nisi duplici puncto claudendum arbitratus est.*

Cap. CIX, §. 1. Corpus suum custodia, tum imperium perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ disciplinæ formam redactum, brevi, etc. — K. corpus suum custodia munivit: imperium perpetuis armorum exercitiis (exercitu) pæne ad Romanæ disciplinæ formam redacto, brevi, etc.

Id., §. 2. *Totumque* ex male dissimulato agebat æmulum. — K. totusque.

Cap. CX, §. 1. *Admotoque* exercitu. — K. amotoque.

Ibid. Saturninum *admoveri placuerat.* — K admuvere cupiss jusserat.

Ibid. *Pœne æquali* divisæ intervallo. — K. Quæ pæne æquali.

Idem, §. 2. Cum Cæsare *juncturæ erant.* — K. se joocturæ eraut.

Ibid. Et adolta viribus *Delmatia.* — K. et adulta viribos Dalmatiæ.

Ibid. *Omnibusque* tractus ejus gentibus. — K. omuibus quoque.

Cap. CXI, §. 1. Exactæ ad id bellum operæ; pollicitati. — K. exactæ ad id bellum operæ ex pollicitatiooe.

Idem, §. 2. Præsidiom *militum.* — K. ultimom.

Idem, §. 3. Habuit in hoc quoque *bello.* — K. [bello.]

Ibid. Tribuois *plebei.* — K. plebis.

Idem, §. 4. Quas uos primo anoo acies hostium *vidimus?* — K. fudimus?

Ibid. Opportuoitatibus. — K. opportunitatibus (osi).

Ibid. Quanto com temperamento *simul utilitatis.* — K. simul *** utilitatis.

Ibid. Qoa prudentia. — K. qua providentia.

Ibid. Ioclusus custodiis exercitus uostri.... viribus *hostis* elanguescere t. — K. inclusus custodiis exercitus oostri (bostis),..... viribus baustis elanguesceret.

Cap. CXII, §. 3. Neque *instantem* sustioere. — K. instantes.

Idem, §. 5. Plus eo tempore *vindicatum* gloriæ. — K. vindicavit.

Idem, §. 6. Centurionibus, *quibus* etiam primi ordines cecidere. — K. (e) quibus.

Cap. CXIII, §. 1. — xiiii *sed* pluribus quam decem veteranorum millibus. — K. quatuordecim (alis), et.

Idem, § 2. Nou qoæ *utique* probarentor. — K. cuique.

Cap. CXIV, §. 4. Captum alterum a se deditum. — K. captum alterum, alterum deditom.

Idem, §. 5. Io quantum *quisque.* — K. io quantum *quis.*

Cap. CXV, §. 3. Et ob ea, quæ. — K. et ob [ea] quæ.

Cap. CXVI, §. 3. *Nam et etiam* vir aotiquissimi moris. — K. uam Ælius Lamia.

Cap. CXVII, §. 1. Et sex cobortium. — K. et sex cobortiom ***.

Ibid. Ne occopato *duce*, et *caussa* persona moraoı exigit. — K. ne occupato duce ***; sed caossa et persoua muram exigit.

Idem, §. 2. Illustri magis quam oubili. — K. nobili magis quam illustri.

Ibid. Ut corpore et animo immobilior. — K. ita.

Cap. CXVIII, §. 2. *Jure* etiam civitatis romanæ. — K. (cum) jure.

Cap. CXIX, §. 2. Quum ne pugnaodi quidem *egrediē*, *aut occasionis, in quantum voluerant, data esset immunis.* — K. [egrediē] *** aot occasio iis, io quaotum volueraot, data esset impooe.

Idem, §. 4. Ceionius. — K. (C.) Ceionius.

Idem, §. 5. *Hostium* laceraverat feritas. — K. hostilis.

Ibid. Gentilitii *tamen* tumuli. — K. tandem.

Cap. CXX, §. 1. Se magnitudine sua, non *fiducia metiens*. — K. fiducia (ducis) metiens.

Idem, §. 6. Caldus Cælius *ad vetustatem* familiæ suæ dignissimus. — K. adolescens vetustate.

Ibid. Capiti *suo*. — K. [suo.]

Cap. CXXI, §. 1. Ingressa animum. — K. [ingressa animum.]

Ibid. Qui *concussis* hostium viribus. — K. contusis.

Ibid. Quam erat ipsi. — K. [quam erat ipsi.]

Cap. CXXIII, §. 1. Athletarum *certaminis* ludicro. — K. certamini.

Cap. CXXV, §. 4. Plurimo *quidem* igne emicans. — K. *pridem*.

Ibid. Ancipitia sibi tam re, quam exemplo perniciosa. — K. ancipitia sibi, tam re, quam exemplo perniciosa ***.

Idem, §. 5. Ad Hispanias exercitumque virtutibus, celeberrimaque in Illyrico militia, prædiximus, cum imperio obtineret, in summa pace, quiete continuit. — K. atque Hispanias exercitusque, virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia ***, (ut) prædiximus, cum imperio obtinens, in summa pace ac quiete continuit.

Cap. CXXVI, §. 1. Quis, cum *inserta* oculis animisque omnium, *in* partibus eloquatur? — K. quis cum universa oculis animisque omnium, partibus eloquatur?

Ibid. Non appellavit *eum*, sed fecit deum. — K. [eum.]

Idem, §. 3. *Per omnes* terrarum orbis angulos.... servat immunes. — K. per (omnia) omnes.

Cap. CXXVII, §. 1. Et *maxime* ab eo. — K. proxime.

Cap. CXXIX, §. 2. Cum quanta gravitate, ut senator et judex, non ut princeps, et caussas pressius audit? quam celeriter ingratum, etc. — K. Cum quanta gravitate, ut senator at judex, non ut princeps et Cæsar, caussas pressius audit? *** quam celeriter *** ingratum, etc.

Idem, §. 3. Ut honorate, nec secure. — K. ut honorata, (ita) nec secure.

Cap. CXXX, §. 3. Si aut natura. — K. * si aut natura; *asterico particulæ absentis locum indicante*.

Ibid. Auro deo cum, de his queri. — K. verecunde cum deis queri.

Ibid. Ut Silium Pisonemque *tam alterius*, etc. — K. tam *** alterius, etc.

Ibid. Nepotem ex Druso. — K. nepotem ex Druso suo.

Cap. CXXXI, §. 1. Jupiter Capitoline, *et auctor*, *ac stator* romani nominis. — K. ac stator, et auctor.

Ibid. Hunc statum, hanc pacem. — K. hunc statum, hanc pacem ***.

FINIS KRAUSIANARUM LECTIONUM.

DE FRAGMENTIS

QUÆ VELLEIO INSCRIBUNTUR.

UNICUM est fragmentum a Prisciano servatum, quod jam dudum laudaverant interpretes et Ruhnkenius ad lib. I, cap. 9, §. 1, supra p. 19, de quo etiam nos aliquid ad Velleii Vitam disseruimus:

..... Nec minus clarus, ea tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.

Alterum profertur ex Wolfgangi Lazii Commentariis R. R. cap. VIII, initio, qui se *illam historiam in pervetusto codice membrana literis antiquissimis scriptam reperisse* testatur, *sub titulo* : VELLEII EXCERPTA EX GALLICA HISTORIA. Porro fragmentum ipsum, cum notis præsertim ex Lazio Velseroque desumptis, et lectionibus hinc inde collectis, tibi, lector, offerimus, ne nos aliquid scripti hujus auctoritati detractum ire credas.

1 .... Dum hæc circa Rhenum aguntur, in Noricorum finibus[1] grave vulnus populus romanus [2]accepit.
2 Quippe[3] Germanorum [4]gentes, quod[5] Rhætias[6] occu-

1. *In Noricorum finibus*. Velserus uberrime demonstrat Augustæ Vindelicum (hodie *Augsburg*) situm hic describi. Quamvis enim Noricum olim citra flumen Œnum constiterit, quum Boii, ex Norico egressi, omnem inter Œnum et Lycum regionem Romanis abstulissent, usque illuc se extendisse Norici nomen ex monumentis medii ævi constat. Sed quam diversa opinio est Lasii, qui haud procul a Monaco Bavariæ, ad confluentes Isaræ et Loysæ, locum hunc quærendum esse contendit, ubi nunc veteris Augustæ Vindelicum rudera cerni putat, in pago qui *Vinding* dicitur? ED.

2. *Accepit*. Leg. *accipit*. Florus, III, 11 : « Dum Gallos per Cæsarem in septemtrione debellat, interim ad orientem grave vulnus a Parthis populus romanus accipit. » VELS.

3. *Quippe*. Leg. *nam*. VELS.

4. *Germanorum gentes*. Suevi Rhætiæ semper inhiantes. ED.

5. *Quod*. Leg. *qui* vel *quæ*. VELS.

6. *Rhætias*. Leg. *Rhætiam*. VELS. *Rhætiam* seu *Rhætios*. CLUDIUS.

paverant, non longe ab Alpibus, tractu pari [1] patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes inter se [2] confluunt, ut ipsis [3] noricis finibus [4] civitatem, non quidem muro, sed vallo fossaque cinxerunt; quam appellabant Cisara [5], nomine deæ Cisæ, quam religiosissime colebant; cujus templum quoque ex ligno barbarico ritu constructum [6]; quod, postquam [7] eo colonia [8] Romanorum deducta est, inviolatum permansit, ac vetustate collapsum, nomen colli [9] servavit. Hanc urbem [10] T. Annius 3

1. *Tractu pari. Pari* videtur pro *æquali* vel *plano*, non latine quidem, dictum. Ed.

2. *Ubi duo rapidissimi amnes inter se confluunt.* Isara et Loysa, si Lazio fides; sed Lycum et Vindonem melius vidit Velserus, qui et rapidi merito vocantur, et ad Augustam confluunt. Ed.

3. *Ut ipsis.* Leg. *in ipsis.* Clud.

4. *Noricis finibus.* Leg. *Norici finibus.* Vels.

5. *Cisara.* Zizara vel Zizeris, priscum Augustæ nomen fuisse, vetus fert traditio: quod non a dea Cisa venit; sed potius ex ipso urbis nomine, cujus origo germanica videtur, inepta excogitata est fabula deæ Cisæ (vel Cizæ, Vels.), quæ cum Venere Cypria eadem fuisse traditur. Hæc omnia ex actis divæ Afræ defluxerunt, apud Rhætos et Vindelicos olim celebratissimis, in quibus narratur Afra, Cypro oriundis parentibus nata, in Rhætia meretriciam artem et Veneris Cypriæ sacerdotium exercuisse, priusquam a sancto Narcisso episcopo ad veram fidem perduceretur. Ed.

6. *Templum ex ligno barbarico ritu constructum.* Satis ex Germanorum more qui materia ad omnia utebantur. Tac. Germ. 16. Ed.

7. *Quod postquam.* Dele *quod.* Cludius.

8. *Colonia Romanorum.* Leg. *romana.* Vels. — Augusta Vindelicorum sub Augusto deducta: coævus erat Velleius; non potuit, tamquam de antiqua colonia, loqui. Ed.

9. *Nomen colli servavit.* Leg. *nomen collis.* Clud. — Collis est ad Augustam, germanice *Cizenberg*; sed Velserus aliam, nec immerito, quærit etymologiam. Ed.

10. *Hanc urbem T. Annius.* Leg. *urbem Annius.* Vels. — Gens Annia notissima, vel ob unum Ciceronis clientem T. Annium Milonem: idem Cicero, pro Fonteio, laudat C. Annium Bellienum, legatum M'. Fonteii prætoris in Galliis. Lazius affirmat T. Annium prætorem, cum Bogude Maurorum rege socio ac legione Martia, retinendis his provinciis et adversus Suevorum excursiones defendendis, ab Augusto missum; sed Lazio desunt auctores, contradicit historia, quæ post pugnam actiacam regno vitaque spoliatum Bogudem narrat; nisi forte aliquis ejus filius, notante Velsero, famam et rem in romano exercitu pugnando quæsierit: non enim de Bogude, sed de Bogudis filio mentio fit apud fragmentum. Ed.

prætor, ad arcendas barbarorum excursiones, kalend.
4 sextil. exercitu [1] circumvenit. Ad meridianam oppidi
partem, qua sola a continenti [2] erat, prætor ipse cum
legione Martia [3] operosissime [4] communivit; ad occiden-
tem [5] vero, qua barbarorum adventus [6] erat, [7] Avar,
Bogudis regis filius, cum equitatu omni [8] et auxiliaribus
Macedonum copiis, inter flumen et vallum loco castris
parum amplo, infelici temeritate extra flumen consedit;
pulchra [9] indoles, nec minus romanis, quam græcis lite-
5 ris instructa. Igitur LIX die quam eo ventum [10] est, quum
is dies [11] deæ Cisæ celeberrimus, ludum et lasciviam
magis quam formidinem ostentaret: immanis barbaro-
rum multitudo ex proximis silvis repente erumpens,
ex improviso castra irrupit; equitatum omnem et, quod
miserrimum erat, auxilia sociorum delevit. Avar, quum
in hostium potestatem regio habitu vivus venisset, pe-
6 cudis more [12] mactatur. Oppidani vero, non minori for-
tuna, sed majori virtute, prætorem in auxilium sociis

1. *Exercitu circumvenit.* Sallust. Jugurth.: « Vallo fossaque mœnia circumvenit. » Vels.

2. *Qua sola a continenti erat.* Leg. *quæ sola.* Ed.

3. *Cum legione Martia.* Vide infra, ubi *divinam* hanc nominabit. Ed.

4. *Operosissime communivit.* Leg. *castra operosiss. communivit.* Vels.

5. *Ad occidentem.* Leg. *ab occidente.* Vels.

6. *Qua barbarorum adventus erat.* Leg. *quo barbarorum*, etc. Cludius. — Sall. Jugurth.: « Ea parte, qua barbarorum adventus erat. » Vels.

7. *Avar.* Ignotus est; sed nomen africum sonat, ut apud Sall. Jugurt. *Aspar*, *Dabar*, et similia. Ed.

8. *Cum equitatu omni.* Notissimus Maurorum equitatus; nec mirum si auxilia Macedonum illic adfuerunt: neque enim Romanorum consuetudini repugnat. Ed.

9. *Pulchra indoles*, etc. Sallust. Jug.: « Literis græcis juxta ac latinis doctissime eruditus. » Vels.

10. *Igitur LIX die quam eo ventum est.* Sall. Jug.: « Igitur post dies XL quam eo ventum erat. » Vels.

11. *Quum is dies*, etc. Sall. Jug.: « Quod is dies festus celebratusque per omnem Africam, ludum et lasciviam magis quam formidinem ostentabat. » Vels.

12. *Avar quum in hostium potestatem regio habitu.... pecudis more mactatur.* Pago *Crieches Averon*, hinc nomen venisse contendit abbas Urapergensis, de cujus auctoritate infra disseremus. Ed.

properantem adoriuntur. Romani haud segniter resis-
tunt. Duo principes oppidanorum, Habbeo et [1] Caccus,
in primis pugnantes [2] cadunt. Et inclinata jam res [3] oppi- 7
danorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in
altera ripa jam victoria potiti. Denique coadunatis [4] viri-
bus castra irrumpunt; prætorem, qui paulo altiorem tu-
mulum frustra ceperat, romana vi resistentem, obtrun-
cant; legionem [5] divinam, ut ne nuntius superesset,
funditus [6] delent. Verres [7] solus, tribunus militum, amne 8
transmisso in proximis paludibus se occultans [8], hones-
tam mortem subterfugit; nec multo post, Siciliæ procon-
sul [9], immani avaritia turpem mortem [10] promeruit.

1. *Habbeo et Caccus*. Hæc quoque nomina excogitata ob vicinos Augustæ colles *Habinoberg* et *Gegginen*, ut ex Conrado Urspergensi patet. Ed.

2. *In primis pugnantes cadunt*. Sall. Catil.: « Mallius et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. » Vels.

3. *Et inclinata jam res*. Leg. et *jam inclinata res*. Vels.

4. *Coadunatis*. Vox Augusteo ævo incognita. Ed.

5. *Legionem divinam*. An leg. *decimam?* Cludius. — Legionem *divinam* ignoro; *decimam*, aliquando *Martiæ* cognomine insignitam fuisse, vix credo. Sed decima quarta vocabatur *gemina Martia victrix*, unde videsis, an *geminam* reponere velis. Ed.

6. *Ut ne nuntius superesset, funditus delent*. Leg. *nuntius cladis* et *delerunt*. Liv. X: « Deletam quoque ibi legionem, ita ut nuntius non superesset, quidam auctores sunt. » Vels. — Quis credat prætorem romanum, legionem integram, tot millia hominum periisse, nec tam immanis jacturæ dolorem aliis literarum monumentis mandatum ad nos pervenisse? nemo credet. Ed.

7. *Verres solus*. Quis Verrem huc de improviso non miretur incidere? qui non paulo post, sed multo ante, si quidem hæc sub Augusto gesta sunt, repetundarum damnatus, ac diu exsul, deinque a M. Antonio proscriptus (Plin. XXII, 2), turpem vitam morte misera finivit. Ed.

8. *In proximis paludibus se occultans*. Eo ipsa caussa: palus aliqua, Augustæ Vindelicum propinqua, locum fabulæ dedit. Lazius, curiosus etymorum sectator, paludes illas reperisse sibi videbatur circa Monacum, præclaris adhuc nominibus dictas, *Wirmsee* a Verre, *Wahlensee* ab Italis, *Tegersee* a tegendo, etc.! Ed.

9. *Siciliæ proconsul*. Verrem non proconsulem, sed prætorem fuisse nemo nunc ignorat. Ed.

10. *Immani avaritia turpem mortem promeruit*. Non morte, sed exsilio, ut paulo ante diximus, pro tot in Sicilia facinoribus flagitiisque pœnas dedit. Ed.

Jam pridem, nisi fallor, lectori sua stat opinio, qualis fere fuit Lipsii, qui, perlecta Velseri refutatione, auctori sententiam efflagitanti rescribebat : « Pseudo-Velleiana illa vidi. An ego dissentiam? primo oculo deprehendi falsum illud et vile metallum, quod miramur (immo non miramur, ut homo fuit) Lazium venditasse pro auro. Sed tu ad Lydium lapidem judicii affricuisti, sine blanditia dico, accurate et docte. »

Cludius tamen aliter sentit, cujus en tibi verba : « Hoc fragmentum habet Wolfgangus Lasius in Commentariorum Reipubl. Rom. lib. I, c. 8; falsum judicat Cellarius, quia stylus sapiat scriptorem aliquot seculis Velleio juniorem, et quia in re non pauca sint, in quibus peccetur, quod Marcus Velserus in Rerum Augustanarum Vindelicarum demonstravisset; præterea narrat, hoc fragmentum etiam occurrere apud Conradum de Liechtenau, abbatem Urspergensem, qui scripserit anno M. CC. XXIX, ubi tamen plura inserta legantur. In quo tantum a stylo Velleii hoc fragmentum abhorreat, equidem nec docere, nec sentire possum, neque suppositum putare, quum quis medio ævo nemo sane, dum Velleius prorsus incognitus erat, sibi proponere potuit, Velleio aliquid affingere, tum quia narratio, quamquam hic ibi corrupta, fictæ notas nullas prodit. »

Nullasne? immo vero multas confictionis notas invenire nobis videmur. Dictio quidem, paucis exceptis vocibus, latinum sapit; sed pleraque paulo exquisitiora ex veteribus historicis ac præsertim e Sallustio compilata Velserus agnovit : « ...abjurateque rapinæ Cælo ostenduntur. » De factis quid dicendum, quorum pleraque mendacii jamdudum arguimus? At enim producitur abbatis Urspergensis auctoritas; quam, si placet, ponderemus. Conradus a Liechtensw, abbas Urspergensis cænobii, in Augustana diœcesi, circa annum Christi 1230 florebat, cujus Chronicon Argentorati anno 1609 editum est. Ille, ut in sua ætate doctus, res per orbem gestas a patriarchis ad Friderici II imperatoris tempora conscripsit, ex Eusebio præsertim et Orosio desumptas quantum ad veterem historiam attinet : in cæteris autem, judicio critico destitutus, nullius fidei auctores sequitur, et omnia medii ævi somnia cupidus amplectitur. Hujus autem fragmenti res, non verba citat, non ut ex Velleio, sed ut *ex scriptis veterum*; sic ipse loquitur. Quidni inter cænobii sui codices fragmentum hoc idem invenerit, *quod Ottoni Frisingensi quoque lectum, et actis divæ Afræ, multis insuper phaleris auctum*, testatur Velserus? Cuncta igitur ex Augustani alicujus monachi futilissimo ingenio defluxerint. Conradus vero, qui Avarem, Verrem, Varum confudisse videtur, tamquam suæ supplementum auctoritatis, ineptissimas huc affert inscriptiones, quas, dii boni! ex veteribus saxis collectas narrat. Scilicet etymologicæ vanitatis commenta vir bonus, quantum poterat, effulcire nitebatur : indignus sane, qui nostro, i. e. sexto post mortem suam seculo, adhuc eruditissimis viris fucum faceret. Ed.

FINIS FRAGMENTORUM.

INDICES

IN

C. VELLEIUM PATERCULUM.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM.

Primus *numerus librum*, alter *caput*, tertius *sectionem* monstrat.

B.

C.

D.

E.

H.

I.

J.

M.

N.

P.

Q.

R.

T.

U.

V.

INDEX

LATINITATIS.

Primus *numerus librum*, alter *caput*, tertius *sectionem* monstrat.

B.

E.

F.

G.

H.

M.

N.

P.

R.

43.

Q.

T.

U.

V.

FINIS.

NOTICE

DES PRINCIPALES TRADUCTIONS

DE

VELLEIUS PATERCULUS,

EN DIVERSES LANGUES, *

PAR M. BARBIER,

ADMINISTRATEUR DES BIBLIOTHÈQUES PARTICULIÈRES DU ROI, ET BIBLIOTHÉCAIRE DU CONSEIL D'ÉTAT.

TRADUCTIONS FRANÇAISES.

1610, *Paris*, *Jean Richer*, in-4°:

L'HISTOIRE ROMAINE DE C. VELLEIUS PATERCULUS, à Marcus Vinicius, consul; nouvellement traduite en français (par J. BAUDOIN), à la suite de sa traduction de Tacite.

Cette traduction a été réimprimée plusieurs fois.

1672, *Paris*, 2 vol. in-12:

ABRÉGÉ DE L'HISTOIRE ROMAINE ET GRECQUE, traduit du latin de VELLEIUS PATERCULUS, et tiré d'autres auteurs, pour servir de supplément; par Jean DOUJAT.

Cette traduction a été réimprimée en 1708.

1710, *Limoges*, chez *Barbou*, in-12.

L'HISTOIRE DE C. VELLEIUS PATERCULUS, traduction nouvelle, avec le latin à côté.

C'est la traduction de DOUJAT, mais sans le supplément. On a joint à cette édition un index géographique, fort bien fait, et qui a été reproduit en 1714, à la suite de l'édition de Paterculus, par le P. de Grainville.

* Cette notice peut être considérée comme faisant suite à celle de Krause, sur les éditions de Velleius.

1768, *Avignon*, chez *J. J. Niel*, in-12 :

Abrégé de l'Histoire grecque et romaine, traduit du latin de Velleius Paterculus, avec des notes, par l'abbé Paul.

En 1769 et 1770, Barbou mit à Paris de nouveaux frontispices à cette édition. Elle a été réimprimée à Paris, par le même Barbou, en 1785. Il s'en est fait depuis d'autres éditions.

Traduction espagnole.

1630, *Anvers*, in-8° :

Obras de Caio Velleio Paterculo, traduzidos por Manuel Sueyro.

Cette traduction a été réimprimée à Madrid, en 1787, in-4°.

Traductions anglaises.

1632, *London*, in-8° :

C. Velleius Paterculus, his roman History, translated into english by sir Robert Le Grys.

1721, *London*, in-12 :

The roman History of C. Velleius Paterculus, translated into english by Thomas Newcome.

Réimprimée en 1724, in-12.

1722, *Edinburgh*, in-8° :

The roman History of C. Velleius Paterculus, translated into english by M. Paterson.

Traductions allemandes.

1781, *Rotenburg*, in-8° :

Des Publius Velleius Paterculus Kurzer Begrif der Rœmischen Geschichte von Gründung der Stadt Rom an bis auf den Konsul Marcus Vinicius. Aus dem lateinischen.

1793, *Leipzig*, in-8° :

Des Caius Velleius Paterculus rœmische Geschichte, uebersezt von Friederich Jacobs.

Cette traduction est estimée.

Traduction italienne.

Velleius Paterculus a été traduit en italien, pour la première fois, par M. Mauri, en 1814.

Cette traduction est annoncée, sous la rubrique de *Rome*, dans le *Magasin encyclopédique* du mois de septembre 1814, f. 113.

TABULA

RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS.





